SUPPLEMENTORUM

AD

LEXICA HEBRAICA

PARS SECUNDA

LITERAS ג, ד, ET ה COMPLEXA.

Proſtat in bibliopol. viduae VANDENHOEKIAE.

גאוה Prov. XIV, 3. Job. XLI, 7.

Elationis, *ſuperbiae*, ſignificatio nota et certa, ſed duobus locis non ita apta, ut aliam deſiderare deſinamus.

חטר גאוה *baculus ſuperbiae in ore ſtulti* Prov. XIV, 3. mire compoſita imago. At חטר et *haſtam* eſſe, cui verba maledica comparare Hebraei ſolent, infra videbimus, et גאה non ſuperbiae ſolum, ſed et acuminis morſusque ſignificationem habuiſſe, ex Arabico جأي *momordit*, *dentes infixit*, colligo. Malim ergo vertere, ſive, *haſta acuta*, ſive, *haſta mordens*, i. e. vulnerans, *eſt in ore ſtulti*, maledictis alios vulnerat. Meminerimus, *mordere*, hoc ſenſu orientalibus uſitatum, pag. 237. 238.

Superbia ſunt coria clypeorum, גאוה אפיקי מגנים Job. XLI, 7. de crocodilo dictum, non ſatis auribus placet. In bibliotheca Or. T. VIII. p. 223. malui cum LXX Aquila et Vulgata, גוה legere, et vertere *dorſum ejus*: nec me ſententiae poenitet. Nullo tamen ex codicibus Kennicottianis Aleph omittente, digna certe lectio vulgata, cui meliore interpretatione ſuccurramus. Arabibus جأي plures ſignificationes conjungens, inter alia eſt, *operuit*, *texit*: tentemus ergo, *operculum* illi ſunt *coria clypeorum*.

גאון הירדן

Quater occurrit, Jerem. XII, 5. ut regio impacata, et perquam periculoſa, terrae pacatae oppoſita, c. XLIX, 19. L, 44. Zachar. XI, 3. juncta leonum mentione, ut luſtra ibi leonum fuiſſe videantur. Quod quidem obſtat, primo illis, qui de exundationibus Jordanis accipiunt, *elationem* ſeu *tumorem Jordanis* vertentes, quae quidem ſignificatio loco primo Jerem. 12. ineptiſſima: deinde et audaci Cocceji conjecturae, *campos latos et amoenos* intelligentis *per centum milliaria*

a Libano, ex quo Jordanes oritur, ad desertum Faran usque exporrectos, quos etiam mirum, quomodo a Jordane dictos putet.

Mihi quidem nomen esse videtur, aut adpellativum, aut proprium, seu potius, ex adpellativo in proprium transiens, eorum locorum, ubi Libanus densas inter silvas et arundineta, ferarum lustra, Jordanem fundit, incertum, utrum a גאה *altus fuit, excelsa*, i. e. *montes ex quibus Jordanes erumpit*, an a جأي *operuit, texit*, unde et *nigrum* colorem Arabes dicunt, جُؤْوَةٌ. Vide Relandi Palaestinam p. 274. 275. ubi haec arundineta, quae Jordanes prope tectus perrumpit, descripta, et adde Pocokii itinerarium T. I. p. 72. seu versionis germanicae §. 106. *latet prope fluvius* (ab aquis Merom usque ad lacum Genezareth) *sub umbrosis arboribus, quarum plurima pars platani utramque ripam vestientes*.

Kuypers in *observationibus ad varia V. T. loca* c. III. §. 5. 6. 7. recte eos refutavit, qui de inundationibus Jordanis cogitarunt: quod autem Arabicum غأي confert, cujus primam vim in *tumore* esse existimat, contra analogiam est utriusque linguae, ע et ג non permutantis. Sed hanc permutationem ab Alberto Schultensio, nulla ejus certa et indubia exempla adferente, ut notam sumserat.

גָּאַל *vindicavit*, גֹּאֵל *proximus cognatus, vindex.*

Nota et indubia significatio: de solo ambigi possit etymo, maxime cum linguae orientales reliquae, sola Samaritana excepta, nullum vindicis aut cognati vestigium his sub literis habeant, Hebraeisque idem verbum sit, *polluere*. Difficilis certe, ut in aliis linguis, sic et in Hebraica, nominum juris origo philologica: hic tamen si conjicere liceat, prima vis verbi fuit, *polluere*, inde dictus גֹּואֵל, aut, si malis, גּוֹאֵל, *pollutus, proximus occisi cognatus, vindex sanguinis*, quod sangui-

ſanguine cognati pollutus et infamis haberetur, donec ulciſceretur, deinde generatim, *proximus cognatus*, hinc verbum denominativum, גָּאַל *Goelis jure uſus eſt*, *vindicavit*, *redemit rem venditam cognati* &c. &c. Vide de Goele jus Moſaicum §. 134. ſeqq.

Soli Samaritani nomen cum Hebraeis commune habent: his quidem Goel forma paſſiva Numer. XXXV, 21. Deut. XIX, 6. eſt, גאול ארמה *pollutus ſanguine*. Mirum, et Syris et Arabibus, non hac modo, ſed et polluendi ſignificatione plane periiſſe: Arabum جَالَ *ivit*, *venitque*, unde *terra a Nomadibus habitata* Abulfedae مَجَالَة dicitur, ne ad hanc quidem radicem, ſed ad גול, ortum ut videtur ex جَالَ pro جول *circumivit*. Conſvetum Goelis ſanguinem ulciſcentis nomen apud Arabes ثَائِر q. d. *ſuperſtes*, de quo infra vide שְׁאֵר: nec tamen eo uſi Arabes Num. 35. Deut. 19. ſed circumſcribunt, Saadias, وَلِيّ الدَّم *propinquus* vel *adjutor ſanguinis*, Maurus, فادي الدم *redemtor ſanguinis*. Syri proprio vindicis ſanguinis nomine carent, ergo interpres circumſcribit, ܬܒܥ ܕܡܐ ܕܩܛܝܠܐ *exigens vindictam ſanguinis*.

מִגֹּאֵל *proximus poſt Goelem.*

Compoſitum ex גֹּאֵל et praepoſitione מִן nomen, Ruth. II, 20. proprie, *poſt Goelem*, i. e. proximus uno excepto *cognatus*. Vide cap. III, 12. ubi Boas dicit, *ſum quidem Goel*, *ſed eſt* גאל קרוב ממני *Goel me propior*, et c. IV, 4. אנכי אחריך *ego ſum* Goel *poſt te*.

גֶּבֶא plur. גְּבָאִים *foſſae*, *in quibus aqua colligitur*.

Ἅπαξ λεγόμενον, nonniſi Ezech. XLVII, 11. lectum, גְּבָאָיו enim, quod male huc retulerunt lexicographi, alius loci eſt, infra ſub גיב quaerendum. Ambigere *paluſtria* inter, (ſic vertit Vulgata) et *lacu-*

4) *dorsum agri* Ps. CXXIX, 3. Hic quidem veteres omnes consentiunt, *dorsum*, LXX et Vulgata, *corpus* (גושמי) Chaldaeo, ܚܨܐ *lumbos*, Syro, reddentibus: male tamen cum hi, tum, quos vidi commentatores de dorso humano cogitasse videntur. Incondita phrasis, *in dorso alicujus arare*, pro, eum conculcare: malim ergo, *dorsum agri* intelligens vertere, *in agris meis* alii *ararunt*. Sed hic iterum molestum, quod haec ipsa sententia vel sine notione dorsi ex verbis על גבי חרשו חורשים effici potest, جَبُوب enim Arabibus *superficies terrae est*, et جَبَابَة *campus*; quin et *arationes* a *secando* dici potuerint.

Ergo haec, tanta fiducia recepta, sed reliquis linguis Orientalibus ignota significatio, ut libere, et modeste dicam, dubia. Quem enim pro ea testem citant, Chaldaismus, ipse dubius est, vetus certe et biblicus, Rabbinorum enim Chaldaismum, ex sua bibliorum interpretatione significatus saepe alienos suis vocibus Chaldaicis dantium, parum curo. Danielis quidem VII, 6. עַל גַּבַּיהּ nos recentiores vertere solemus, *super dorso ejus*, sed veterum nemo praeivit LXX. Theod. Vulg. simpliciter, *ἐπάνω αὐτῆς*, *ὑπεράνω αὐτῆς*, *super se*, Syrus autem maxime hic audiendus, harmonice, ܥܠ ܓܒܝܗ *ad latera ejus*, idque nomini pluralis numeri גביה aptius, quam dorsum, singularem (in aliis tamen codicibus repertum) poscens.

II) Jam ad eas vocabuli significationes veniendum, quae ex reliquis linguis Orientis illustrari et confirmari possunt. Arabibus جَبَّ est, *secuit*, (قَطَعَ) *resecuit*, hac quidem generaliore significatione idem cum جَابَ pro جوب et جيب manifesta verborum med. radicalis geminatae, cum med. rad. Vau et Jod quiescentis permutatione, ita tamen ut speciales significationes, *castrandi* &c. inter haec verba

aliquan-

aliquando diſpertiantur. Ea modo enotemus, quae ad uſum Hebraicum faciunt: جُبّ *puteus*, a ſecando, i. e. effodiendo, جوب in octava اِسْتَجَابَ *fodit puteum*, جَوْبٌ *clypeus*, proprie, *ſecta tabula*, et مِجْوَبٌ idem, جَابِيَّةٌ *piſcina*, *ciſterna*, ab effodiendo, جَيْبٌ *ſinus*, veſtis vel induſii a ſecando dictus, item *ſinus* ſenſu geometrico, curva linea ſeu, pars circuli, ex centro circuli angulo obducta, unde et apud Syros, ܓܒܝܬܐ de quo infra. Jam apud Hebraeos invenies, גב

1) *ſepulcra ſuperbiora*, fornicata aut in petras inciſa, Job. XIII, 12. לְגַבֵּי חֹמֶר גַּבֵּיכֶם *corporibus luteis ſunt veſtri fornices*, vel, *effoſſa in petras ſepulcra.*

2) *ſupercilia*, proprie, ſinus, *oculorum*, Levit. XIV, 9. גַּבֹּת עֵינָיו.

3) *ſinus ſeu curvaturas rotarum*, i. e. *apſides*, 1 Reg. VII, 33. Ezech. I, 18. In libro regum vocabulum ut notum retinuerunt Syr. et Chald. ܓܒܝܗܘܢ et גַּבֵּיהוֹן, quod Arabs جَوَانِب *latera* interpretatur, forte hic male: at in Ezechiele LXX et Syrus *dorſum rotarum* intellexerunt, (νῶτοι, ܚܨ̈ܐ) ad ſenſum non male, modo conſtaret, גב dorſum eſſe. — — De גביהן Ezech. X, 12. vide infra ſub num. III.

4) *Fornices*, i. e. *cellas meretricum*, Ezech. XVI, 24. 31. 39. (*lupanar* Vulg. et οἴκημα πορνικὸν LXX) ubi Syrus harmonice, jam ܒܝܬ ܓܒܝܬܐ *domum fornicis*, jam, ܓܒܝܬܐ *fornicem* reddit. Quod quidem vocabulum Syriacum jam olim illo in exemplo, quo uſus eſt Ephraemus male deſcriptum fuit, ܒܝܬ ܓܢ̈ܒܐ *domus furum*,

nas arte humana factas possis, quibus salsissima maris mortui aqua, vere exundantis, excipitur, ut recedente mari solis aestu in vapores dissoluta salis thesauros relinquat. Vide historiam maris mortui §. 4. (p. 69. 70. commentationum per annos 1758-1762. praelectarum). Sic quidem Chaldaeus, פְּצִידוֹהִי *fossae ejus*. Res eo magis dubia, quod utrique significationi etymon paratum: *palustribus*, a foedo odore, Arabicoque جبأ *abhorruit, fossis* ab eodem جبأ alias جبي et Chaldaico גבא collegit. Posterius praeferre mihi videor, quod verbum جبي peculiariter de aqua collecta una cum suis derivatis ponitur. Vide Golium p. 465.

Mirari possis, quid spectantes LXX et Syrus, (Arabem enim Graeca interpretatum non numero) *reditum* vel *ingressum* verterint, illi, καὶ ἐν τῇ διεκβολῇ αὐτοῦ, καὶ ἐν τῇ ὑποστροφῇ αὐτοῦ, hic ܒܡܦܩܢܗ ܘܒܡܥܠܢܗ *in egressu suo et regressu suo*, bona quidem sententia, *cum vere exundabit, cumque aestate intra ripas suas redibit*. Est vero hoc sine dubio variae lectionis: praecedens nomen, ut est in Cthib, legerunt, וּבְצֵאתוֹ *et cum exibit*, nostrumque, וּבְבֹאוֹ *et cum intrabit* (ripas) i. e. redibit. Superest lectio, sed pluraliter scripta, ובבאיו *et in reditibus suis*, in codice Kennicotti 253 plures insignes habente, licet sit ex recentissimis, atque adeo post inventam typographiam anno 1495. scriptus.

גַּב a radice גבב.

Duplex vocabuli significatio distinguenda, altera solis Hebraeis Chaldaeisque Hebraizantibus propria, *dorsi*, altera *arcuati* et *sinuati operis* a secando ducta.

I) Ergo primo *dorsum* significare creditur, quod sequentibus locis, sed varia adhuc notionis divisione, egregie aptum:

1) *dor-*

1) *dorſum* propria ſignificatione, i. e. *humanum*, ita tamen ut dorſum pro toto ponatur corpore: Job. XIII, 12. גַּבֵּי חֹמֶר *corpora ex luto*. Sic LXX. τὸ δὲ σῶμα πήλινον. Poſſis tamen eadem manente ſententia ex Syriaco ܓܒܐ (de quo vide ſub tertia ſignificationum claſſe) *latera* vertere, laterumque nomine corpus intelligere.

2) *dorſum clypei* Job. XV, 26. גַּבֵּי מָגִנָּיו. Dorſum clypei ea ejus pars eſt, quae hoſti obvertitur, ظَهْرُ ٱلْمِجَنِّ Arabibus, ut copioſius docuit ad hunc locum Schultenſius. Ex veteribus *dorſum* habent LXX (ἐν πάχει νώτου) et *cervicem* Vulgata, (*pingui cervice armatus eſt*), alia tamen conſtructione. Apta, ut dixi, ſignificatio, ſed tamen alia aeque apta ſuppetit, *ſub craſſitie tabularum clypeorum*, ſolebant enim ex tabulis ligneis clypei componi, corio inductis: unde et Arabes a جوب *ſecare*, clypeum جُوب et مِجْوَب vocant, q. d. *ſectam tabulam*. Quin et *latera clypeorum* ex Syriasmi analogia vertere poſſis, cui ܓܒ, ܓܒܐ pro ܓܢܒ latus. Ergo hic locus, explicatu anceps, nihil probat.

3) *dorſum altaris*, גַּב הַמִּזְבֵּחַ Ezech. XLIII, 13. Locus obſcurus, ut certo argumento eſſe nequeat: nec quisquam veterum ita vertit, ſed LXX. τὸ ὕψος τοῦ θυσιαστηρίου, aliter in voces diſpertitis literis, גֻּבַּה מִזְבֵּחַ, Vulgata, *foſſam altaris*, (quam ſignificationem גֵּבִים ſine dubio habet, atque adeo vel גֵּבִים a جَبَّ *ſecuit* habere poſſit) Chaldaeus, טִקּוּס i. e. τάξιν, *diſpoſitionem fabricam* (et hoc a جَبَّ *ſecuit*, q. d. exaſciatio, forma) Syrus, ܘܓܒܢܐ ܓܒܗ, *eodemque modo in latere ejus*, harmonico adeo uſus vocabulo.

furum, ipſo interpretante, *ſacella idolorum liguriensium cibos, et furantium.* Jam intelliges, unde lexica Syriaca habeant, *domos ampliſſimas ante idola exſtructas, templa:* ex Ephraemo, aliud plane vocabulum interpretante.

5) de *tabulis ſectis* clypeorum jam ſupra ad Job. XV, 26. dictum: vide et infra גַּבִּים, 1 Reg. VI, 9. quod ſine dubio, *ligna ſecta, tabulas*, ſignificat; ac, ſi velis, iisdem vocalibus גַּבִּים ſcribi poſſit. Haec ergo *tabularum* clypei ſignificatio valde veriſimilis.

Multa quoque alia, a radicibus גבב, גוב et גיב orta, ſub גיב invenies, quod maſorethae ea ſine Dageſch ſcripſerunt, cum noſtris tamen cognata.

III) Tertia etiam ſignificatio, ex radice גנב, Syris perquam uſitata, addenda, ſi Ezechielis X, 12. pro גבהם legas גַּבֵּיהֶם ut eſt in 35 codicibus Kennicottianis, ad quam lectionem et puncta maſorethica גַּבֵּהֶם referenda. Nempe a ܓܢܒܐ *latus*, faciunt Syri eliſo Nun ܓܒܐ, quod et ſaepe a Syro pro גַּב repoſitum eſſe ſupra obſervavimus. *Apſides* hic locum non habent, Ezechiele non de rotis, ſed de animalibus currum tonantem trahentibus, loquente: vertes ergo, *latera eorum*, laterum nomine corpus intelligens. Ut tamen verum fatear, quia corporis mentio jam facta ſub בשרם, conſveta lectio גבהם praeplacet, quae quid ſignificet vide ſub ſequente גָּבַהּ.

גֹּב, גֹּבַי plur. גֹּבִים *locuſtae.*

Ter, aut quater occurrit, ſcriptione quoque plena et defectiva notanda, Amos VII, 1. גֹּבַי, 20 codicibus Kennicottianis plene גובי habentibus, Nahum. III, 17. גּוֹב גּוֹבַי, ſed 27 codicibus גבי ſine Vau habentibus, et pluraliter, Jeſ. XXXIII, 4. גֵּבִים, quod mallem analogia ductus גֹּבִים efferre. De locuſtae ſignificatione non dubitandum, Arabi-

Arabibus quoque جَاب pro جَابِي habentibus, a جبي *latere, egredi ex terra:* sed hoc ipsum Arabicum nomen eos erroris arguit, qui sub radice גוב ponunt. Proprie ex etymo esse videtur, locusta primum ex terra prorepens, i. e. in prima sua aetate, quam quatuor cutis exsuviae insequuntur, locusta vermis, quae cutim nondum exsuit: eaque significatio loco Amosi aptissima. Plene cum Vau ubi nomen scribitur, גובי, non est Vau radicale, sed Heemanticum participii Kal, cujus formam Arabicum nomen habet. Contra Jod in fine, non est adformativum, sed radicale.

גֵּב *puteus*, vide sub גבים a. r. גוב.

גֹּבַהּ *frons*.

Vix dum dixi, Ezech. X, 12. lectionem mihi גבהן sine Jod praeplacere, quam his animandam punctis arbitror, גָּבְהָן, atque ad radicem גָּבַהּ *altus fuit*, referendam. Ab hac Arabes *frontem* جَبْهَة dicunt, quod Hebraice in masculino foret, גֹּבַהּ. Omnia jam facilia et concinna, si sic vertas, *totum corpus ipsorum* (animalium currui tonanti junctorum) *et frons ipsorum, et manus ipsorum, et alae ipsorum, una cum rotis, plena erant oculis.*

גִּבֵּחַ *recalvaster*.

Ἅπαξ λεγόμενον Levit. XIII, 41. sed de cujus significatione dubitari nequit, cum ipse Moses eum ita vocari dicat, cujus calvities a facie incipit. De solo dicendum etymo, quod suspicor esse a جَبْهَة *fronte*, He mappikato cum Chet permutato, q. d. *fronto*, i. e. *cujus frons major fit*, pilis recedentibus. In sola lingua Syriaca nomen superstes fuit, a Syro hic expressum, ܓܒܚܐ: reliqui omnes aliis usi verbis, Onkelos, גלוש, Samaritanus גלשון, Saadias أجلح, Arabs Erpenii أصْلَع. Caeterum orientales calvitiem a fronte et ab

 occipi-

occipite incipientem magis, quam nos, distinguunt: haec, a fronte, Arabibus *nobilis* dicitur, quod galea saepe gestata proxima fronti decalvat; illa, ab occipite incipiens, *servilis*.

גַּבְלוֹת et מִגְבְּלוֹת Exod. XXVIII, 14. 22. XXXIX, 15.

Vocabula obscurissima, sed quae magno consensu, arrepta aliqua etymologia ex Hebraico גְּבוּל *terminus*, lexicographi vertunt, *determinatio*, ut sint, catenae *determinatae et aptae longitudinis*, vel, *aequalis longitudinis*: quasi vero id dictu opus fuisset, et גבל orientalibus nihil praeter terminum significaverit! Ac ne mensuram quidem, sed fines regionum significat. His tamen qui ex veteribus praeiverint, dicendum: Chaldaeus, מְתַחְמָן *definitae*, Saadias مُعْتَدَلَتَان, et Maurus سويات *aequales*.

Eodemne referendi sint, qui *gemellas* vertunt, Syrus, ܬܐܘܡܝܢ, et Samaritanus מתעמאן (pro מתאמאן) non constat: mallem eos de duplici catena intelligere, per annulum transmissa: suspicabaturque pater meus, eos verbum גבל cum כפל, *duplicavit*, contulisse. Sic certe Exod. XXVIII, 27. alterum nominum, גבלות accepisse LXX et Vulg. videntur, vertentes, συμπεπλεγμένοι, *sibi invicem cohaerentes*. Sed et haec mera conjectura, nulla ne etymologia quidem linguarum sororiarum confirmata.

Iidem quos dixi מגבלות Exod. XXVIII, 14. aliter verterunt, ut accidere hariolantibus fas est, καταμεμιγμένα ἐν ἄνθεσι, (floribus intermixtis) et *polymita*. Pro hac explicatione adferri ex linguis cognatis possit, جَبَلَ et جَبَّلَ *finxit*, *formavit*, ut sint, *catenae artificiose formatae*, aut Chald. בַּבֵּל *miscuit*. Displicent tamen catenae variatae, floribus interspersis.

Mihi

Mihi quidem *craſſitudo* eſſe videtur nomen ſubſtantivum גַּבְלוּת, ut catenae craſſitudinis ſint, *catenae craſſiores.* Arabibus quidem جَبَل *craſſus groſſusque* eſt, unde et *montem*, et *gibbum* cameli dicunt, Syrisque ܓܒܠ *magnus fuit*, ſtatura et corpore, qua ſignificatione quia lexica carent Syrorum, locum adſcribo Ephraemi T. I. p. 49. Cainitas dicit pumiliones fuiſſe ob ſoli ſterilitatem, at Sethitas meliores cibos habuiſſe, *qui* ܡܓܒܠܝܢ ܗܘܘ ܦܓܪܐ ܕܐܟܘܠܝܗܘܢ *magna faciebant veſcentium corpora.*

גְּבָל *Byblus*, *Gebalene*, גִּבְלִי, *Byblius*, *faber murarius.*

Bis ut nomen proprium geographicum גבל occurrit, Ezech. XXVII, 9. ubi urbs Tyriis amica, et Pſ. LXXXIII, 8. inter hoſtes Davidis, qui contra ipſum in ſocietatem coierant. Parum ad rem, quod in Pſalmis גְּבָל per Kamets ſcribitur, per Patach גְּבַל in Ezechiele. Denominativum גִּבְלִי *Gebalenſis* vel Gebalenus itidem bis legitur Joſ. XIII, 5. 1 Reg. V, 32. Ductum, non ut putabat Simonis a גְּבוּל *termino*, ſed a جَبَل *monte*, perquam in geographia frequens et homonymum: ipſe Aetna a Siculis adhuc *Monte Gibello* vocatur, retento ex Saracenorum dominatione Arabico nomine; in Perſia etiam Iracae a ſeptentrione *Al - Gebal*, montanam regionem, invenies, in Jemen Arabiae felicis urbem Gobla (جُبْلَة) &c. &c. Verum de his non jam quaeritur, ſed de גבל aut urbe aut regione, cujus in ſacris literis mentio fieri poſſit, forte non de una, ſed de duplici. Hic ergo ſe offert

1) *Byblus* Graecorum, Phoeniciae urbs, ad mare mediterraneum paulo poſt gradum latitudinis 34, Arabibus priſco adhuc nomine جُبْلَة, et diminutive, جُبَيْل dicta, indeque noſtris *Gi-*

bla, *Dschible*, *Esbele*. (Vide Schultensii indicem geogr. sub *Sjibla*, Assemani biblioth. Or. T. I. pag. 501. II. 89. la Rocque Voyage du mont Liban T. I. p. 38. Abulfedae Syriam p. 94. ubi in descriptione Bairutae ita: *distat ab urbe* جُبَيْل *Gibail 18 milliaribus. Gibail portum habet, forumque, et templum cathedrale*). Haec quidem non dubito quin sit גבל Ezechielis, in quo et LXX πρεσβυτέρους Βιβλίων (*), interpretati sunt, et Hieronymus adscripsit, *Byblus, quae Hebraice adpellatur Gebal.* Vulgata quidem *seniores Giblios habet*, sed Hieronymi commentarium legens, vix dubito, quin et in ea olim *Biblii* scriptum fuerit. Ad eandem urbem et refero denominativum גבלי Jos. XIII, 5. (**) (ubi ארץ הגבלי terra Gebalenorum cum Libano conjungitur, et ad eam usque termini Israelitarum pertinuisse dicuntur,) et 1 Reg. V, 32. ubi Graeca exempla alia Γιβλίους habent, Βιβλίους alia.

Nec tamen dissimulandum, posse et hoc quidem loco (1 Reg. 5.) adpellative accipi, de lapicidis, ut fecerunt harmonice adeo vertentes, Chald. אַרְגִּבְלַיָּא Syrus ܐܪܓܒܠܐ, exque eo Arabs, اَلَّذِينَ يَحْكُمُونَ قَطْعَ اَلْحِجَارَةِ *sectionis lapidum periti.* Nempe ܓܒܠ et جَبَلَ inter alia sunt, *formavit*, unde haec

(*) Per I scriptum nomen, errore, ut puto librariorum. Vide Cellarium T. II. p. 447. qui monuit, a Zosimo Βίβλος scribi. Fraudi fuit Arabi, *seniores librorum et doctissimos illorum*, interpretato.

(**) Magna ibi varietate veteres: LXX πᾶσαν τὴν γῆν Γαβλὶ, al. Γαλιαὰθ, al. Γαλιλαὰθ; Syrus, recte retento nomine proprio, ܐܪܥܐ ܕܓܒܠ, ex eoque Arabs, جُبْلَا, Byblum ut videtur intelligentes: male Vulgata adpellative, *ejusque confinia.*

haec ipsa nomina duxerunt Chaldaei Syrique praemisso ἀρ quod ex Graeco ἀρχι, in compositionibus usitato, detruncatum est.

Sunt, fateor, et alia ad mare mediterraneum Gabala, in Laodiceae vicinia, d'Anvillio sub gradu 35½ latitudinis, Arabibus جَبَلَة dicta, de quibus vide Abulfedae Syriam, p. 109. 110. hac tamen parte erronei, quod ei latitudinem 34 grad. 55 min. adsignavit. Verum haec urbs nimis borealis, quam ut pertinere ad eam fines Israelitarum potuerint, praeferendaque et reliquis locis Byblus, propior Tyriis, subjecta Libano, eique ipsi ejus parti, in qua cedrorum silvae fuerunt, vicinior. Vide ibi notam 157 Koehleri.

2) Quae in hostibus Davidis Ps. LXXXIII, 8. commemoratur גְּבָל possit quidem Byblus esse, vicina Beryto, urbi a Davide captae: 18 enim milliaria Arabica, i. e. quatuor aut quinque germanica, inter utramque urbem intersunt. Sed ordo verborum obstare videtur, Gebala medio loco inter Hagarenos, ad sinum Persicum habitantes, Ammonitasque posita, et a Tyro sejuncta, : והגרים גבל ועמון ועמלק פלשת עם ישבי צור. Hanc quidem ob caussam Gebalenen i. e. montana trans Jordanem plerique intellexerunt, a Relando l. I. Palaestinae c. XV. p. 82-84. descriptam: sed de qua malim ex Arabum geographis referre.

Ergo primo notanda ab Oriente Jordanis marisque mortui, regio *Scharath* (شَرَاة) cui Abulfeda urbes *Schaubec*, *Mab*, (metropolin Moabitidis) et *Azrach* adsignat, p. 44-47. Syriae, unde consequitur, ut Moabitidem nisi totam, certe aliquam ejus partem complexa sit. Vicina Scharae Balka (بَلْقَا) ad quam urbes *Crach*, *Amman*, et ex aliorum sententia *Mab* (*), refert p. 44-47. sed eandem

(*) من البلقا العزيزي هي ومدينة اذرح مدينتا

eandem Balkam alias a Scharata distinctam p. 11. ut partem Scharatae nominat, والبلقا احدي كور الشراة وهي خصبة وقاعدة البلقا حسبان *Balka est una regionum Scharatae, estque fertilis urbem primariam habens Hesbonam.* Vides Scharathae nomen latius aliquando patuisse.

جبال *Gebal*, i. e. montes, jam ut pars Scharathae ponitur, e. g. p. 46. *Azizi dicit, Mab et Ezracham urbes esse* جبل الشراة *montis Scharath*, jam ab ea distinguitur, ut p. 8. ubi accenseri Palaestinae dicit, ديار قوم لوط والجبال والشراة *habitationes filiorum Loti*, (Ammonitidem et Moabitidem) *et Gebal*, (montes), *et Scharath* (*), jam cum ea construitur, ut a Nubiensi, Clim. III. Sect. V. pagina hujus sectionis quinta in fine, من زغر الي جبال الشراة . . ومن جبال الشراة الي اخر الشراة يومان *a Zogara ad montes Scharathae* (hic aliquid omissum, Gabriel Sionita supplet ex praecedentibus, *biduum*) *a montibus Scharathae usque ad finem ejus biduum*, et ab Abulfeda p. 46. جبل الشراة. Nulla hic discordia, sed Scharatha regio, ut plures alias minores, sic et hanc montanam, Gebalenen, complectebatur. Nostri itineratores quae ultra Jordanem et mare mortuum sunt latronem metu non adierunt, unde plura de situ Gebalenes dare

مدينتنا جبل الشراة *est regionis Balka, sed secundum Azizium ipsa et Ezrach urbes sunt montanorum Scharathae.*

(*) Conjiciebat Koehlerus legendum sine Vau والجبال الشراة. Hac conjectura non opus, illis lectis, quae supra scripsi: nec a solis ea codicibus destituitur, sed et a grammatica, montana enim Schirathae dicenda fuissent جبال الشراة nullo articulo primae voci praemissa, quia status constructi est.

re nequeo: id tamen manifestum Moabitidi et Ammonitidi vicinam esse, unde et mihi videtur in psalmo LXXXIII. praeferenda. Qui autem populi eam Davidis tempore habitarint, (certe nec Ammonitae nec Moabitae, a quibus distinguitur) non liquet, nec conjicere ausim.

גִּבֵּן *gibbosus*, Levit. XXI, 20.

De significatione vocabuli, quam lexica habent, *gibbosus*, plane non dubito: praeiverunt illam ex veteribus, LXX, Vulg. Syr. Arabs uterque; Chaldaeum et Samaritanum, eodem aut simillimo vocabulo usos, in partes non voco, quod, si quis de Hebraico vocabulo dubitet, idem et de Samaritano גבן Chaldaicoque גבין dubitaturus videatur. A *coagulando*, *contrahendo*, *concrescendo*, optime gibbus dici potuit.

Sed tamen et ratio reddenda versionis sequiorum Chaldaeorum, *cujus supercilia tegunt oculos*, *aut qui non habet pilos in superciliis*, quae Castello, uni omnium qui lexica Hebraica scripserunt minimum consulto, et consuli dignissimo, placuisse videtur, quamque praeiverant Thalmudici. Vide Buxtorfii lexicon p. 381. Nempe Chaldaeis גבינא, Syris ܓܒܝܢܐ, *supercilium*, unde superciliorum vitium dici potuisset. Sed hoc vitium rarius, quare consvetam explicationem praefero: vix enim verisimile, in corporis vitiis, quae sacerdotio excludunt, gibbum omitti potuisse.

גַּבְנֻנִּים Ps. LXVIII, 16. 17.

Nomen bis modo lectum, ad quartam quadriliterorum Arabicorum conjugationem اِفْعَلَّلَ referendum, formaque proximum, ut jam Geyerus adnotavit ab Hebraico כַּאֲפַרְפִּים, hoc uno discrimine, quod illius Pe ultimo punctatores Dagesch non impresserunt: similius etiam ex lectione 44 codicum Kennicottianorum, גבנונים. Raritas nomi-

nominis fecit, ut a quibusdam proprium haberetur. Syrus quidem ut tale retinuit ܓܒܢܢܐ, (vitio forte librarii pro ܓܒܢܝܢܐ), pluralis enim Syrorum in M non desinit: exque eo Arabs Antiochenus جبل جُبْنَي *mons Gobna.* Sed series orationis versus 16. *mons Dei est mons Basan, mons* גבננים *est mons Basan*, adpellativum poscere videtur. In Thalmude quidem populus aliquis גבנוני occurrit, circumcisus, sed vitio forte scriptionis pro גבעני Gibeonita. Vide Buxtorfii lexicon p. 382.

Duplex se offert interpretatio, utraque tam verisimilis psalmoque apta, ut optionem difficilem faciat, quod et jam in notis ad versionem psalmorum germanicam pag. 154. 155. professus sum

1) *mons praealtus, mons nivalis, aeterna glacie rigens.* Sic fere, licet propria significatione, et decore simul poetico neglecto, Symmachus, ὄρος ὑψηλότατον, Hieronymus *mons excelsus*, et, aliud a גבינה *supercilio* etymon adsciscens ac cum altitudine superbiam conjungens, Aquila, ὄρη ὀφρυωμένα, *montes superciliosi.* Nempe גבן et جبن sunt, *coagulari, concrescere:* Basanitis ad montem Hermonem, summum Libani jugum extendebatur, aeternis nivibus tectum, unde Arabibus Chaldaeisque prosaice quoque et nomine proprio جبل الثَّلْج, טוּר תַּלְגָּא *mons nivis* dicitur, (Relandi Palaest. p. 324. Abulfedae Syria p. 163. 164). Hunc poeta egregie *montem glacie rigentem* vocasset, ut Virgilius Aen. VII, 675. *Homolen Othrynque nivalem.* Unum opponi pulcherrimo etymo possit, quod גבן de concrescente lacte usitatum, de glacie poni nondum observatum est: possis ergo, si hoc displiceat, cum Aquila ad *supercilium* referre, quod enim alii habent, *mons gibbosus*, a praecedente גִּבֵּן, humile, ac magnifico carmine indignum. Raschii autem derivatio a גב, et גב idem significare fingentis, ac

גָבוֹהַ

גָּבוֹהַּ *altum*, ab omni linguae ingenio, et grammaticis legibus abhorret: גב non *altum* significat, sed fornicatum, nisi misera alliteratione cum גבה conferas, et גבנן a גב cum duplici Nun Heemantico omni analogia caret. Aliquid tamen horum, ut, גִּבֵּן *gibbosus* a גב ortum esse, in lexica etiam ab eruditioribus scripta irrepsit.

2) A *concrescendo* et *contrahendo* verbo Arabico جبن *timoris* etiam et *pusillanimitatis* notio haesit. Vide Golium, nostramque chrestomathiam Arab. p. 106. not. 3. *olim ante Islamismum* خارجيّ *egrediens dicebatur*, من خرج شجاعا او كريما وهو بن جبّان او بخيل *qui egressus* i. e. primus factus *est fortis aut liberalis, cum pater ejus esset timidus aut avarus.* Evolve et loca versionis Arabicae a Castello indicata, Levit. XXVI, 36. Proverb. III, 25. XIX, 15. Sap. XVII, 11. Sirac. IX, 16. 2 Timoth. I, 7. Quae quidem significatio ita convenit egregie psalmo LXVIII, ut eam praeferre mihi videar: *mons Dei* i. e. mons a Deo subactus *est mons Basan, mons pusillanimis mons Basan. Insidiosis oculis cur timide observatis montes pusillanimes, hunc montem, quem Deus aeternum elegit.*

Quod LXX habent, ὄρος τετυρωμένον, *montem concaseatum* a גבינה, *caseus*, vel etiam, *lac coagulatum et inspissatum* Job. X, 10. ita quidem favens habet etymon, ut Arabs graeca vertens hoc ipsum, quod Hebraice legitur, verbum Arabicum reddiderit, الجبل المجبّن: sed obscura et difficilis sententia. Theodoretus *pinguem* interpretatur, *qui multum nutrimenti gregibus praebeat*: sed vereor ut quis a caseo pinguedinem regionis dixerit. Hieronymus in commentario: *apostoli congruit verbis, lac vobis dedi, non escam:* (ergo pro lacte evangelii jam reponit, mira et contraria imagine, *caseum* evangelii quo parvulos

nutriat ecclesia). *Vel mons qui in Ezechiele vulnerabat principem Tyri.* Nempe a Τύρος nomine urbis, faciebat, Τυρόω, *Tyrium vulnero.* Haec descripsisse, id vero est refutasse.

Alia perquam inepta interpretatio quorundam Judaeorum parvos montes, a gibbo dictos, intelligit, quod gibbosi statura parvi sint. Salomon Ben Melech: *radix est* גב, *et Nun additum. Montes sunt humiles, vocanturque ita a* גִּבֵּן, *qui propter incurvationem dorsi sui* (גבו) *humilis est minorque statura.*

גָּבִיעַ *calix, sensu botanico.*

גביע per Gimel scriptum sola lingua Hebraica habet, Arabibus loco ejus Kuph substituentibus, quod et in קֻבַּעַת Hebraei habent. Poculum significare, ex quo bibitur, neminem fugit: at locis Exodi, in quibus de ornamentis candelabri aurei sermo, c. XXV, 31. 33. 34. XXXVII, 17. 19. 20. vix haec significatio apta, sed calices sensu botanico, ex quibus flores erumpunt, ab eorum, ex quibus bibitur, similitudine sic dicti, intelligi videntur. Sic et قبيعة Arabibus, *calix, folliculus florum.* Forte tamen paulo aliter, ac latius, quam a nostris botanicis, nomen accipitur. Nos quidem florem dividimus in 1) *calicem, perianthium* Linneo, Germanis *Kelch, Blumenkelch* 2) ipsum *florem*, (*Blume*,) quem et distinctius *corollam, Crone, Blumencrone* dicimus. Jam Mosi גָּבִיעַ utrumque complecti videtur, ipseque deinde divisim explicare, 1) כפתר calicem nostrorum botanicorum, ab operiendo dictum, et 2) פרח *florem.* Forte hoc clarius dixero, data versione latina phrasis totius, גביעים משקדים כפתר ופרח Exod. XXV, 33. *calices*, (i. e. flores integri) *amigdalini* (quinque folia habentes), *calix* (inferior, proprie botanicis ita dictus) *et corolla:* seu, ut jam magis more nostrorum botanicorum loquar, *flores amigdalini, calix nempe et corolla.*

Caeterum

Caeterum duae res ſilentio non praetermittendae: primo, partem ſententiae mihi praeiviſſe, indicemque ad verum inveniendum fuiſſe patrem meum, cujus verba hic ſubjicio (*), illi Chriſtianum Zoegam: deinde, meae explicationi nec imaginem candelabri in arcu Titi Veſpaſiani triumphali concinere, nec Joſephum, ſeptuaginta candelabri partes numerantem, quae vix prodibunt, niſi cum ipſo גביעים a כפתרים et פרחים diſtinguas, faciasque, non duo, ſed tria. (Ant. III, 6, 7. *σφαιρία, καὶ κρίνα, καὶ ῥοΐσκους, καὶ κρατηριδίους, ἑβδομήκοντα δ᾽ ἦν τὰ πάντα*). Verum non de candelabro quaeritur, quale templi tertii fuit, in triumpho a Tito ductum, ſed de candelabro Moſaico tabernaculi conventus: nec Joſepho de hoc antiquo candelabro, nunquam ipſi viſo, quidquam crediderim, non claris verbis in Moſe lectum, maxime cum vel in paucis, quae ex eo deſcripſi, verbis, inſignem errorem admiſceat, lilia pro amygdalis ſubſtituens. Amygdali flores folia quinque habent, ſex, liliorum. Quod ſi tamen obſtinatum ſit, calices a floribus et כפתרים diſtinguere, ſic rem inſtitues: 1) גביע *calix* erit proprie dictus, perianthium. 2) פרח, *flos, corolla.* 3) כפתר *pericarpium* rotundum, ex germine piſtilli ortum.

גבעל

(*) „Chriſtianus Zoega in uſu hermeneutico accentuum MScr. cap. I, „§. 11. urget: 1) גביעיה non eſſe diviſum quid a כפתריה ופרחיה, „ſed unam tantum rem cum illis depingere, ita ut גביעים ejus rei „totum, כפתרים vero et פרחים ejus diſtinctas deſignet partes." Haec quidem ex accentuum doctrina copioſius diſputantur, ſed eam partem omitto, quod accentibus non eam, quam et pater meus et Zoega, auctoritatem tribuo, atque etiam ſine accentibus liquere videtur: eo enim ipſo, quem deſcripſi loco, quis non videt, plurale גביעים explicari per ſingularia כפתר ופרח. Laudandus tamen accentuum auctor, quod veram ſententiam praeivit.

גִּבְעֹל Exod. IX, 31.

In hoc quadrilitero ἅπαξ λεγομένῳ et linguae nos orientales destituunt, quod enim Chaldaeus reponit גבעלין non plus nos docet, quam antea noveramus, nec videtur vernaculum Chaldaeis, sed magistrale ex Hebraismo in Chaldaismum Judaeorum translatum, cum Syri eo careant: molestum insuper, quod non liquet, linone proprie sic dicto, an gossypio Aegyptio גבעל tribuatur.

Σπερματίζον, *semen jam concipiens*, LXX verterunt, quod quidem non potest longe a vero abesse, nisi quod Hebraicum vocabulum specialius ac soli lino proprium fuisse videtur, alias enim Moses, ubi generatim de staminibus vegetabilium semen ejaculantibus, pistillisque illud recipientibus, sermo, verbo מזריע זרע utitur. Genes. I, 11. Eodem et redit Arabis utriusque versio, مُشَلِّق a شلق 1) *percutere* 2) *percutere sensu Venereo*, i. e. *coire*: (Vide Golium p. 2844.) Samaritanumque נאף, q. d. *scortabatur*, id vero Samaritanis generatim est, semen concipiebat. Syri ܟܦܠ obscurius, atque adeo in lexico omissum.

Ad etymologiam ergo in obscura voce confugiendum, mire antiquorum versiones confirmantem. Ortum verbum a גביע *calice*, sensu botanico, i. e. ut modo dixi, *flore*, Lamed ex alia radice, duabus literis consona, et cum גביע composita, adscititio. Offerunt se جبل *crassus* (p. 251. summa) et בעל maritare, erit ergo, sive, *flos crassescens*, semine concepto, sive, *flos maritatus*, i. e. semine staminum masculinorum impraegnatus.

Jam quid in lino significet vocabulum, quid in gossypio, quibus proprium esse diximus, quaeritur?

1) De lino si sermo, globulus seu nodus in capite lini maturescentis erit, qui semen continet: quem et Vulgata forte *folliculi* nomi-

nomine intellexit, qua quidem significatione lexica latina carere solent. Egregie Lutherus, *der Flachs hatte Knoten gewonnen.*

2) Sin de gossypio, *capsulam* intelligo nondum plane maturam, sed adhuc viridem, quae fila gossypii continet.

Utrum praeferendum, statuere non ausim, donec nova, quae sub אפלות desideravi, ex Aegypto adferantur.

Fuerunt ex lexicographis, qui, nulla veterum auctoritate *culmum* verterent, Thalmudicos sequuti: vide enim Buxtorfii lex. Thalm. pag. 382. Pro his dici possit, جُبَّاعٌ *sagittam esse, cuspidis expertem:* (num a קָבַע *fixit, infixit?*) Sed displicet. Syriacum ܟܒܥܐ pro nostro nomine positum, quid significet, ignorare me fassus sum: suntne fila lini jam maturescentia, a כפת *ligare?*

הִתְגַּבֵּר et הִגְבִּיר

Significatio verbi גָּבַר in Kal, *valuit, praevaluit,* omnibus nota: at bis in Hiphil occurrit, utrobique, ut videtur, cum ל constructum, non sane expedito, constructionique apto sensu, Ps. XII, 5. Dan. IX, 27. Nil quidem de his duobus locis obscurioribus certi habeo, conjicere tamen et tentare liceat. أَجْبَرَ in quarta, cum عَلَى constructum est, *coegit, invitum adegit ad aliquid:* quid si eodem modo et ל Ps. 12. positum sit, *cogemus ad linguam nostram,* i. e. cogemus facere quae edicimus, *quis nobis est dominus?* Locum tamen Danielis nondum satis expedit haec significatio, ex qua vertendum esset: *hebdomas una coget foedus* i. e. *conjuratos, secundum multos,* i. e. ad faciendum, quae plurimis placent, aut si לְרִבִים legas, *ad lites, ad rebellionem.* Suspicor potius לרבים ibi non cum יגביר sed cum ברית construendum.

In Hithpael, התגבר, nonnunquam denominativum a גבור *gigas, praedo, violentus,* esse videtur: ut Job. XV, 25. *extendebat con-*

tra deum manum suam, ואל שדי יתגבר *et gigantum more altissimum oppugnabat.* Arabibus quidem et تجبّر idem quod تكبّر *contra deum se efferre.* Vide ad hunc locum Schultensium. Job. XXXVI, 9. *indicat illis peccatum ipsorum* כי יתגברו *quod contra deum se efferebant*, aut si malis, *vim injustam patrabant*, aut denique simpliciter, *quod superbiebant.* Sic Arabicum verbum ubi nihil in Graeco est, ponitur Act. XII, 21. de Herode, *sedit in throno, orationemque ad illos habuit*, مُتجبّرا *fastuose se efferens.*

גִּבּוֹר *gigas, praedo, homicida, tyrannos.*

גִּבּוֹר praeter notam fortis ac praevalentis significationem, et has cum in reliquis Orientis linguis, tum in Hebraica habet:

1) *injusta vi utentis, praedonis, homicidae.* Coran. Sur. XXVI, 130. *cum inciditis in viatores, invaditis illos* جَبّارِين *praedones facti*, XXVIII, 18. *visne me, Moses, occidere ut heri aliquem occidisti? visne fieri* جبّارًا *parricida in terra?*

Sic sine dubio occurrit Ps. LII, 3. ubi Doegum, nulla fortitudine insignem, sed ex delatore carnificem innocentum inermium, Davides alloquitur: *quid de malo gloriaris,* גִּבֹר *parricida?* ubi ad sententiam bene Chaldaeus, גבר למשדי ארם זכאה, *fortis ad effundendum sanguinem innocentem.* Ps. CXX, 4. verba obtrectatoris dicuntur חִצֵּי גִּבּוֹר, *sagittae parricidae*, seu potius, *percussoris*, pessima vocabuli significatione. *Praedonem* etiam, aut si malis, *vim injustam exercentem, tyrannum*, intelligo גִּבּוֹר צַיִד Genes. X, 9. 2 Paral. I, 9. Nimrodus, ut verbis Flori (l. II. c. 17.) de Viriato loquentis, utar, *ex venatore latro, ex latrone dux* et *rex*, magnique imperii conditor.

2) *gi-*

2) *gigantis.* Arabibus quidem Syriſque, جَبَّار, ܓܢܒܪܐ, *gigas.* Sic ergo LXX. Geneſ. VI, 4. הֵמָּה הַגִּבֹּרִים ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ γίγαντες, (non male, de gigantibus enim ſermo inſtitutus erat, quamquam hic et conſveta ſignificatio *herois*, locum egregie tuetur.) 1 Macc. IV, 30. in textu Hebraico גִּבּוֹר de Goliatho poſitum fuiſſe, ubi male verterunt LXX τὸν δυνατὸν, valde veriſimile, cum Syrus ܓܢܒܪܐ retinuerit.

Hanc ſignificationem nomini גִּבֹּר Geneſ. X. de Nimrodo poſito tribuerunt LXX. v. 8. οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς, et v. 9. οὗτος ἦν γίγας κυνηγὸς ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ, διὰ τοῦτο ἐροῦσιν· ὡς Νεβρὼδ γίγας κυνηγὸς ἐναντίον Κυρίου. Male illi quidem, mea ſententia, ſed tamen recte intelligendi, ne turpem illis obtrudamus errorem, primum in terris gigantem fuiſſe Nimrodum, alios ante diluvium ipſo Moſe memorante. Sunt inter ſidera quatuor gigantes, quorum primarius, *Orion*, *magnus venator*, גִּבּוֹר Judaeis, ܓܢܒܪܐ Syris, ألْجَبَّار Arabibus, כְּפִילָא Chaldaeis dictus, de quo vide infra ſub כסיל dicenda. Qui nobis Orion, ille Orientalibus Nimrodus, ſeu, ut rectius dicam, noſter Orion ex Nimrodo Babyloniorum ortus. Ergo hanc Moſis verbis tribuebant ſententiam: *Nimrodum jam in terris, inter mortales verſantem, fuiſſe gigantem, hunc fuiſſe gigantem venatorem coram Deo.* Nempe deinde in coelum relatus a Babyloniis γίγας κυνηγός. Nimis videtur artificioſum, nec tamen ſilentio praetermittendum exiſtimavi, quod Orion, ſeu Nimrodus, vere eſt ex aſtronomorum mythologia *gigas venator*.

גד duae radicales, valde dubiae, quod ad multas radices referri possunt.

Literae גד in verbis occurrentes, perquam saepe ambiguae interpretationis, quod, a punctis masorethicis si recesseris, aliquando etiam si ea sequaris, ad plures referri radices possunt, גדד, גוד, נגד, יגד.

Exemplo sit locus paronomasiarum plenus, in quo, ut omnia paronomasiae studio ausus poeta, plura etiam, quam de quibus cogitavit, interpreti se offerunt, Genes. XLIX, 19. גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב, magna et varietate lectionis, יגידנו, יגדנו, יגיד, יגוד, de qua consule Kennicottum. Possit verti,

1) si omnia ad גדד referas, ut ego in versione germanica feci, *Gadum turma invadet*, *sed ipse invadet calcaneum*, i. e. fugientes persequetur hostes.

2) si יגודנו lectionis receptae ad גוד referas, *Gado turma liberalis vel benefica erit*, i. e. spoliis ditescet.

3) si ad נגד Arab. نجد *vincere*, ut fecit Arabs Erpenii, *Gadum turma vincet*, جيش يغلبه.

4) si posterius יגד עקב ad נגד *traxit*, referas, ut Syrus fecit, ܘܗܘ ܢܓܪ ܥܩܒܐ *ipse trahet calcaneum*: primus erit in exercitu, praecedit armatus reliquorum Israelitarum agmen. Historiae id consentaneum, atque adeo de phrasi ut nota ac proverbiali loquitur Ephraemus Syrus. Possis eodem modo et praecedens membrum, his animatum punctis, גד הַדּוּד יְהַדְּבוֹ vertere, *Gad, juvenis, praecedet eum*, (Israelem) i. e. lectum juvenum agmen ex Gad praecedet Israelitas, aut si malis יְהַדְּבוֹ *praecedet nos*.

5) Si יֻגַּד efferas, ut verbum prim. rad. Jod, *et ipse inveniet praemium*, a وجد.

Praetermitto multas alias explicationes, ex veteribus hauriendas: sufficiat,

ciat, in uno exemplo posuisse, גד radicales saepe esse ambiguas: neutiquam, quasi verisimilia haec omnia existimem.

גָּדַד *secuit*, *renovavit*, *duxit*.

Chaldaeis quidem et Syris גדד sine dubio, *succidit, abscidit:* cujus significationis et in Arabico جدّ, multas habente alias, superest, quod inter alia ab Arabum lexicographis redditur, قطع *resecuit pannum textor*, item, *putavit palmam*, *cultello spinas ramorum resecans.* Hanc quidem secandi et incidendi vim et apud Hebraeos habet, Jerem. XLI, 5. &c. plerumque tamen denominativum a sequente גדוד, est, *turmatim incedere*, *turmatim invadere*, πειρατεύειν, ut LXX. Genes. XLIX, 19. vertunt.

Uni tamen loco Jerem. V, 7. בית זונה יתגודדו neutra harum significationum satis convenire videtur, quod enim ibi habent lexicographi et interpretes, *domum meretricis turmatim conveniunt*, nimia pene αὔξησις. Suspicari possis, per Resch ibi legendum, יתגוררו, sed solus ita codex 89, isque dubius.

In versione quidem germanica reddere ausus sum, *domi meretricis recreantur*, *(sie vergnügen sich)* praeiveratque quodammodo Vulgata, *luxuriabantur.* Nempe quia palma spinis resectis quasi renovatur, verbum جدّ in secunda et quarta conjugatione *renovandi* vim adsciscit, summa latitudine, ut Zeph. III, 17. ubi יחריש באהבתו, priorem vocem יחדיש legens, Arabs vertit, يُجَدِّدُكِ بِمَحَبَّتِهِ *renovabit te* (urbem Hierosolymam) *amore suo*; 2 Reg. XII, 14. جدّدوا بيت الله *instaurarunt domum dei.* Hinc in quinta تجدّد quae Hithpael respondet, passive est, *renovari:* id vero jam nostro loco pro, *recreari*, *oblectari*, poni arbitror. Apud Syros ex eadem forte significatione fluxit, ܓܕܘܕܐ *puer*, *juvenis*.

Caeterum ſequenti vocabulo notandum, ex permutatione verborum נגר et גרר, hoc Syris et Samaritanis aliquando eſſe, *traxit, duxit.*

גרוד *levis armaturae agmen, praedas agens.*

De juſto exercitu uſpiam poni non memini, ſed de levis armaturae milite, maxime praedas agente in hoſtico: bene ergo LXX. Geneſ. XLIX, 19. *πειρατήριον* vertunt, i. e. *piratarum agmen*, Aquila, *εὔζωνος*, *expeditum agmen.* Svidas, *εὔζωνοι*, inquit, *ἔνοπλοι*, (forte *εὔοπλοι*) *ἢ οἱ μὴ ἔχοντες φορτία.* Ἀππιανὸς· *ποιμὴν ὑπέσχετο στρατὸν εὔζωνον ἄξειν ὁδὸν ἀτριβὴ τρισὶν ἡμέραις.*

Unde ortum, pro certo non habeo dicere, duplici ſe derivatione offerente, 1) a ſecando, quod praedas agens aut tributa exigens, reſecare ſuperflua videri poſſit, unde et Aethiopibus ገድ *tributum*, fere ut nobis ex ſimili etymo, *Accise* 2) a Syriaco et Samaritano, *duxit*, quod ducatur in hoſticum. N. L.

גד *proſpera fortuna*, Geneſ. XXX, 11. Jeſ. LXV, 11.

Veriſſimam arbitror, ac pene dubii expertem, *fortunae proſperae* ſignificationem, quam a Raſchio jam proditam, atque ab Abenezra, ſed dubitante, commemoratam, pleraque lexica omiſerunt, plane commentitiam veteribusque ignotam, *turmae*, ſubſtituentes. Sed hic res paulo agenda copioſius. Pro fortuna proſpera eſt

1) lingua Arabica, cui جَدّ, *felicitas, proſpera fortuna*, جَدَّ *felix fuit* جَدِيد *felix.* Idem גד Syris Chaldaeisque ſignificare ſub n. 2. videbimus. De ſolo etymo dubius ſum, جَدَّ plerumque, *magnus fuit*, quod jam ad intentionem animi, jam ad divitias et gloriam Arabes transferunt: hincne dicta proſpera fortuna? an a جود *bonus, beneficus fuit*, permutatione verborum med. rad. geminatae

minatae et quiescentis? Ergo de etymo dubitemus, ut saepe vel in vernaculis linguis facere necesse est.

2) auctoritas versionum antiquarum non paucarum et vero primariarum, LXX. Genes. XXX, 11. (בְּגָד legentes) ἐν τύχῃ. Vulgata, *feliciter*, Josephus Ant. I, 19, 8. τυχαῖον ἄν τις καλέσειε, Arabs Erpenii جاء جدّ, Onkelos אתא גד, quod forte dubium esse posset, nisi sequiores Chaldaei clarius haberent, Hierosolymitanus, אתא גדא טבא *venit fortuna prospera*, et Pseudojonathan, אֲתָא מַזְּלָא טָבָא *venit stella prospera*, et, certe ex Gabrielis Sionitae interpretatione, Syrus ܐܬܐ ܓܕܝ *venit fortuna mea.*

Jes. LXV, 11. τύχην habent LXX, sed transpositis per lapsum memoriae nominibus Hebraicis גד et מני, item Symmachus et Vulgata *fortunam*. Syrus iterum nomen Hebraicum, ut in sua quoque lingua notum, retinuit, ܓܕܐ

Onomasticum denique Hieronymi, sub *Gad* habet, *tentationem* (male ex πειρατηρίῳ quod potius piratarum agmen significat) *latrunculum*, *fortunam*.

3) Quod si et aliae se offerrent interpretationes, haec tamen utroque in loco reliquis praeferenda videtur omnibus. Genes. XXX. in Gadi nativitate dixisse fertur Lea בגד, statimque post v. 13. Asere nato, alio modo verbo, בְּאָשְׁרִי *in felicitate mea*. Jes. LXVI, 11. גד cum conjunctissimo prosperae fortunae opposito, מני *fato*, *inexorabili fato* componitur.

Jam antequam ad recentiorum lexica descendamus, audiamus veteres, qui aliter de גד, quam nos quidem, senserunt.

1) *Idola* generatim Jes. LXVI, 11. habent, Chaldaeus (טעון) et nescio unde, Arabs, الاصنام. Confessio ignorantiae.

2) Saadias Genes. XXX, 11. قد صحّ الـخـبـر *verificatus est-nuntius*, ad radicem נגד referens, quam nonnunquam cum גדד confundi posse supra monitum.

3) Ibidem Samaritanus, בסור, incertum, utrum, *laetus nuntius*, *evangelium?* an *contemtor*, בגד efferens. Prius praetulerim, (jure? an injuria? tum statui demum poterit, cum consultae versiones Arabico-Samaritanae fuerint) sicque idem cum Saadia senserit.

4) Solus Aquila גד et גדוד idem esse censuisse videtur: cum enim גדוד ipsi sit εὔζωνος, גד Genes. XXX, 11. ἡ ζῶσις (*venit accinctio*) vertit. Putabatne, verbum גדד, esse, *accingere*.

Hoc uno ex veteribus quodammodo praeeunte recentiores lexicographi plerique, (interpretes enim aliter) גד et גדוד idem putantes, *turmam* interpretati sunt, quod polemico quidem odio Coccejus mire ad controversias de cultu sanctorum transtulisse videtur, qui Deus non unus sint, sed, *turma*: vide ipsum, difficile enim est sobrio dicere, quae polemico haustu limphaticus scripsit.

Castellum, eruditissimum et prudentissimum virum, mirum est, ipsum quoque a vero dilabi potuisse: גד Genes. XXX, 11. tributum vertit, ex lingua Aethiopica, cujus usum ejusque etymon jam supra p. 266. enotavimus. Magni viri lexicon cum paucis ad manus sit, infra vel errores, sacros in tanto viro si vel errores sint, ipsius verbis enotabimus (*).

גד

(*) *Hos significatus* (turma, et, felicitas) *aliis scripturae locis minime nego*, *Genes.* 30, 11. *tamen alius erit magis appositus*, venit census, tributum. *Vide Aeth.* גד. *Erat Gaditae tribus sors in ultimis terrae sanctae finibus sita: limitanearum vero omnium Jos.* 13, 8. *fere haec erat conditio*, *ut utrique parti*, *vel si detur pluribus*, *tributum solvant. Hoc etiam videtur Ammonitis aliquando praestitisse Gad*, Jud. 10, 7.

8. Jc-

גד *coriandrum.*

Quo jure ita vertatur, si quaeras, evolve omnino Celsii Hierobotanicum T. II. p. 78-82. Adde et *Büschingii wöchentliche Nachrichten* 1775. *d* 6. *Febr.* p. 42. haec de manna excerpentis: *Cotwyk meldet* p. 412. (vom Persischen Manna) *es sey dem Coriander-Saamen sehr ähnlich, aber etwas grösser.* — — *Rauwolf saget ferner, das Manna sey etwas grösser als Coriander-Saamen.* Nomen Africanum esse videtur, nescio cujus dialecti, Israelitarum linguae illatum, reliquae enim cognatae linguae non habent, at anonymus, qui Dioscoridem exoticis synonymis auxit, citatus a Celsio, *Aegyptii*, inquit, Ὄχιον *vocant*, *Afri* γοιδ. Neutrum coriandri nomen in Scholtzii lexico Coptico legitur, sed aliud tertium p. 12. quod literarum Copticarum typis destitutus exprimere nequeo, latinisque quodammodo scribo, *Berscheg.*

חֹר הַגִּדְגָּד Num. XXXIII, 32.

Loci situm ignoro, id unum inquisituros scire velim, Syrum interpretem Jos. XI, 17. ܒܥܠܒܟ ponere pro בעל גד i. e. Heliopoli ad Libanum. Alia de nomine si cupis, conjecturas etymologicas, adibis Simonis onomasticum pag. 135.

גדד

8. Jerem. 49, 1. *At tandem juxta vaticinia de eo prolata, magno cum honore dona, tributa, census et oblationes etiam ab inimicis reportabat.* 1 Chron. 5, 18. *Vide Genes.* 49, 19. *Ch. et confer cum Jos.* 4, 12. *et* 22, 1. 2. 8. *Sic Deut.* 33, 20. *leonis instar spolia et tributa quasi a minoribus animalculis sibi parabat,* كرس (*ut interpretis Arabico-Samaritani utar voce, qua futuram tribus hujusce conditionem praedixerat pater moriturus. Vide animadversiones Samaritanas ad Genes.* 49, 19. *et Jos.* 22, 8. - - לגד *Jes.* 65, 11. *censui accipiendo paratis mensam, et libamen numero, i. e. numerantibus pecuniam.* Explicatio vel hanc ob caussam minime verisimilis, quod Leam fatidicam fuisse, ac futura praedixisse nullo argumento vel teste sumit.

גָּרַל *torſit, contorſit.*

Verbi גרל vim, forte primam, apud Arabes, Chaldaeos, Syrosque eſſe, *torſit*, e. g. funem, indeque et fila Hebraeis גרילים dicta, ab aliis occupatum. Unum addo, hac ſignificatione occurrere videri Pſ. XLI, 10. הגריל עלי עקב *torquet contra me*, obvertit mihi, *calcaneum*, i. e. tergum mihi obvertens calcaneo me impetit. Proxima huic verſio, a LXX. hoc loco diſcedentis Joannis c. XIII, 18. ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ, *ſuſtulit contra me calcaneum ſuum.*

גָּדַר *murum ducere*, cum derivatis גָּדֵר et גְּדֵרָה

Fraudi nonnunquam eſſe video ambiguitatem latinorum, *ſepio, ſepes, ſepimentum*, quibus lexicographi hic Hebraeorum uti ſolent, ut et vivam ſepem ex virgultis ſpinisve intelligant. Arabibus quidem جَدْرٌ *paries, murus*, et جَدِيرٌ *locus muro cinctus*, ut ne de ſola quidem macerie, ſed omnino de muro Hebraicum quoque גדר intelligendum videatur. En loca claſſica Thren. III, 9. גדר דרכי בגזית *ſepſit viam meam lapidibus quadris*, (in quo ipſo tamen erravit Syrus, *obduxit ſpinis* vertens) 2 Reg. XII, 13. ubi גֹּדְרִים ſunt ſine dubio *fabri murarii*, Jeſ. LVIII, 12. Amos IX, 11. ubi de aedificiis ſermo, Num. XXI, 24. 25. ubi Bileami, iter inter vineas ita facientis, ut ab utraque parte eſſet גדר, pes ad *parietem* (קיר) comprimitur, Prov. XXIV, 31. ubi de vinea, et vero ſpinis obducta, dicitur, גדר אבניה נהרסה *murus ejus lapideus deſtructus erat.* Hinc et explicanda loca, in quibus גדר et ſepes viva, componuntur, nempe ut cognata, non, eadem: Hoſ. II, 8. *ſepiam viam ejus ſpinis*, וגדרתי את גדרה *murumque reficiam:* maximeque Jeſ. V, 5. *removebo* משוכתו *ſepem ejus ex ſpinis, et perrumpam* גדרו *murum ejus.* Vide ad h. l. ſumme reverendum Koppium, et adde, vineae a ſeptentrione et occidente murum convenire, non ſepem vivam, qua ab Auſtro bene muniri poteſt, ad murum

murum enim educatae vites ſoli orienti et meridiano oppoſitae nobilisſimum vinum ad maturitatem perducunt.

גדרות צאן, proprie, *muri ovium*, memorantur Num. XXXII, 16. 24. 36. 1 Sam. XXIV, 4. Zephan. II, 6. Mihi quidem locus eſſe videtur in deſerto, muro circumdatus, intra quem Nomades gregem noctu cogunt, ut ſecurus ſit a lupis aliisque feris: graecis μάνδρα, quo nomine et interpres Zephaniae c. II, 6. utitur. Explicat illud Dorotheus ad Deuteron. XXIII. a Svicero in theſauro eccleſiaſtico citatus: μάνδρα λέγεται τόπος περιπεφραγμένος· ἔνθα συνάγει ὁ ποιμὴν τὰ πρόβατα, καὶ φυλάσσει, ἵνα μὴ διαρπαθῶσιν ὑπὸ τῶν λύκων: i. e. *mandra locus dicitur ſeptus, in quem compellit oves paſtor, ne praeda fiant lupis.* Firmat ſententiam Arabicum جَدِيرَة *mandra ſeu ſepimentum pecorum ex ſaxis factum.* (Golius p. 477.). Nec tamen hoc ipſo Arabico vocabulo uſi, qui Arabice interpretati ſunt, ſed ſynonymo حَظِير, Chaldaeique חטרין, Maurus, زُرُوب. Caeterum cave, ſtabula intelligas tectum habentia, haec enim nec Nomadum oeconomiae conveniunt, et deterius ovium genus faciunt. Vide me, *von der Schaafzucht der Hebräer.* — — Addere lubet antiquorum interpretationes: Vulg. ubique, *caulae*, quo de nomine vide Servium ad Aeneid. IX, 60. interpretantem, *munimenta et ſepta ovium*, exque graeco αὐλὴ derivantem; LXX Num. 32. ἐπαύλεις προβάτων, at 1 Sam. 24. ἀγέλαι, *greges*: Samaritanus דירין: Syrus Num. 32. ܛܝܪ̈ܐ, de quo vide infra טירה, at 1 Sam. XXIV, 4. ܡܪ̈ܒܥܐ ܕܥܢܐ ſimiliterque Arabs, مَرْبِض *cubitorium ovium*, et Zephan. III, 6. ܡܪ̈ܒܥܐ ܠܡܪܥܝܬܐ ܕܥܢܐ *paſcuum pro gregibus ovium.*

Vide infra סוּכָּה, quae ipſa quoque mandra eſt, ſed a noſtra diverſa, ſpinetis ſepta.

גה Ezech. XLVII, 13. *frons, tractus.*

Ἅπαξ λεγόμενον, lectione valde suspecta: quis enim non suo prope periculo legendum censeat, זה גבול, *hic est terminus?* Ita satis unanimiter, LXX. Chald. Vulgata, inque sua versione Hieronymus, nec quidquam in commentario de varietate lectionis monens. Decem adeo codices Kennicotti זה habent, alii in textu, alii in Keri, alii denique a prima manu.

Solus ex veteribus גה legit Syrus, idque ܢܥܠܐ *vallem* vertit, idem cum גיא putans. Displicet: primo quod permutatio literarum vix est ad normam grammaticam: deinde, quod *vallis limitum*, incondita phrasis. *Aggerem*, aut si malis, *fossam*, dixeris, non *vallem.*

Reddenda tamen lectionis consvetae optima, quae se offert, ratio et interpretatio. Estne, *plaga*, *latus limitis*, proprie, *frons limitis?* Arabibus a وَجْهٌ *frons, facies*, feminine est, جِهَةٌ *latus rei, plaga, sensu geographico, tractus in quem quis tendit;* apud geographos innumeris locis obvium. Idem et esse masculinum גה possit, sed aliis vocalibus, et He Mappikato, scribendum, גָּהּ גבול, *tractus finium, delineatio finium.*

Fateor jam mihi גה veriorem lectionem videri, et זה, conjecturam sive interpretum, sive librariorum, qui ἅπαξ λεγόμενον גה non intelligebant. Ad eandem radicem referendum,

גֵּהָה *frons* Prov. XVII, 22.

foemininum praecedentis, ipsissimumque Arabicum جِهَةٌ a وَجْهٌ *frons, facies.* Lucebit jam locus Salomonis, לב שמח ייטב גהה *cor laetum bonum facit vultum, spiritus aeger arescere facit ossa.* Bonus hic vultus, laetus, sanguine rubens, et sanitatis index. Sententiam recte perceperunt omnes, non verba singula: Syr. et Chaldaeus,

bonum

bonum (i. e. ſanum) *facit corpus*, vertentes, גהה cum גו contuliſſe videntur. Recentiores ad ſequens גהה relatum verterunt, *medicinam*: haud probo, poſt *bonam facit*, corpus, aut partem corporis, ex analogia ſequentis membri exſpectans, non, medicinam, nec *bonam facit medicinam* concinna phraſis, pro qua malles, *bona eſt medicina*: accedit quod גהה non tam eſt, *mederi*, quam, *depellere morbum*; minus etiam placitura phraſi, *bonam facit depulſionem*.

Haec ergo duo nomina ad radicem יגה pertinent; ſed hic explicui, quo loco et alii lexicographi habent, et lectores quaerunt.

Schultenſii ſententiam, a mea diverſam, ſi quis expendere cupiat, legat ejus commentarium in Proverbiorum locum. Mihi quidem ille nimis in etymologia conjecturalis, ſed aliis forte aliter videbitur.

גהה *fugit*, *Hiph. depulit morbum.*

Ἅπαξ λεγόμενον, Hoſ. V, 13. In ſententiae ſumma errare non potuerunt, qui *mederi* verterunt: eſt tamen conſtructioni parum apta ſignificatio, malles enim *non ſanat vos ab ulcere*, quam, non *ſanat ulcus a vobis*; videturque inſuper contraria quodammodo lingua Arabica, cui جهي eſt, *vaſtare*, *aperire*, *dilatare et ampliorem facere plagam*, *inſalubris fuit aër* &c.

Hic vero, Arabismo nos deſtituente, opem fert Syria, cui ܓܗܐ eſt, *recedere*, *fugere*, (idem quod Arabum quadriliterum جهجه in ſecunda conj. تَجَهْجَهَ) ut T. I. Operum Ephraemi p. 44. *petiit Cainus*, *ut a tanta ignominia ſtatim primo die* ܒܝܘܡܐ ܩܕܡܝܐ ܢܓܗܐ ܗܘܐ *per mortem fugere ſibi daretur*: inque Etthaphal ܐܬܬܓܗܝ *liberatus eſt*. Ergo גָּהָה *fugit*, in Hiphil, *fugavit*, *depulit*, verbaque prophetae vertenda, ſi in Kal accipias, *non recedet a vobis ulcus*, ſin in Hiphil, *non depellet a vobis ulcus*. Proximi ex vete-

ribus ab hac significatione LXX. οὐ μὴ διαπαύσῃ (intransitive, *recedet*) ἐξ ὑμῶν ὀδύνη, et Vulgata, sed male מזור vincula interpretata, *non solvere poterit a vobis vinculum*, seu, ut legebatur ante Hieronymum, *nec cessare faciet a vobis dolorem*.

גחר 1 Reg. XVIII, 42. 2 Reg. IV, 34.

Incurvandi notio, in lexica recepta, (vide Coccejum) utrique loco eximie, fateor, apta, praeiveruntque veteres interpretes unanimes, nisi quod 2 Reg. IV, 34. Chaldaeus habet אלהי, *defatigavit se super ipso*, Arabsque تلغث *fessus fuit*: sed molestum, quod reliquae linguae orientales verbum hoc significatu non habent. Arabibus quidem جَهَرَ *alta voce loqui*, *clamare*, جَهِير *alta voce praeditus*, quod ipsum utrique loco satis aptum, *clamavit versus terram*, et, *clamavit super puero* (*): sed tanto veterum consensui contradicere audaciusculum. Syrus cum verbum, ܐܬܓܗܪ, utrobique, Chaldaeusque נחין priore loco ponat, dubitare aliquando de lectione coepi, suspicarique, una litera mutata legendum esse נחן: sed evulgatis bibliis Kennicottianis nullum inveni codicem conjecturae suffragantem.

Viderint alii, quo modo lexicis subveniendum. Mihi quidem etymologicae conjecturae, sed quae nondum satisfacit, in mentem venit. Prima vis verbi Arabici Syriacique, جهر, ܓܗܪ, sine dubio in *fulgore* est, atque etiam illo, qui oculos praestringit, unde et pro *caligare* ponunt, nempe cum *sunt oculis tenebrae nimium per lumen obortae*. Hinc et alta vox dicta, proprie *clara*: e. g. Sur. XVII, 110. لَا تَجْهَرْ بِصَلَوتِكَ *noli alta voce uti in precibus tuis*, *aut nimis*

(*) Video, hanc significationem, quam in praelectionibus verbo Hebraico dare solebam, a doctissimo Schultzio in lexicon Cocceji receptam esse; sed illis ex Coccejo servatis, quae ad incurvandi significationem pertinebant.

mis illam deprimere XX, 6. وَإِنْ تَجْهَرْ بِالْقَوْلِ *si alta voce clamas, scito illum vel occulta nosse* XLIX, 2. 3. *o credentes ne elevate vocem vestram supra vocem prophetae*, ولا تجهروا له بالقول كجهر بعضكم لبعض *nec clara voce loquimini ut unus cum altero. — — Eorum qui submittunt vocem suam apud prophetam, corda ad fidem dilatavit Deus.* LXXI, 7. A fulgore oculos praestringente dici et potuerit, *dejicere oculos in terram*, atque hinc generatim, *incurvari, pronum procidere.* Sed hoc in incertis pono, donec usu linguarum orientalium firmetur.

גֵּוָה *fovea* Job. XXXIII, 17.

Verba sunt, וְגֵוָה מִגֶּבֶר יְכַסֶּה. Recentiores plerumque volunt גוה idem esse quod גאוה, *superbiam*, praeiveruntque Chaldaeus, גֵיוְתָנָא, et Vulgata, *liberat eum de superbia.* Quod quidem displicet, cum ob anomaliam rarissimam omissi א gratis sumtam, tum quod incondita phrasis, *superbiam a viro tegere*, pro, *eum a superbia revocare.*

LXX et Syrus, sed diversa sententia, גוה *corpus* intellexerunt, ut idem sit quod alias גֵּו: illi τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ πτώσεως ἐῤῥύσατο, *corpus a lapsu liberavit*, verum גבר nuspiam lapsus est, et, quod illi aut legerunt aut conjecerunt, מִשֶּׁבֶר, nullus alius nec interpres habet nec codex; hic, ܘܦܓܪܗ ܕܓܒܪܐ ܡܪܕܐ *et corpus viri castigat*, vel, ut Arabs intellexit, *obtegit*, plane neglecto מ praefixo.

Mihi quidem aliis punctis efferendae literae videntur, גּוָּה, *et foveam a viro obtegit*, ne in illam incidat: collato Arabico جَوَّة *fovea.* Confer imagini intelligendae Exod. XXI, 33. Index ad hanc mihi explicationem fuit codex Cassellanus a manu licet recente מִגּוֹב habens. Vide biblioth. Or. T. II. p. 223.

גוב *fovea cisterna.*

Idem quod Syriacum ܓܘܒܐ, a radice גוב, جاب *effodit*. Non occurrit hac significatione nisi in loco vix dum indicato Job. XXXIII, 17. ex varia lectione codicis Cassellani, ipsa forte ex scholio orta. Quaere tamen et infra sub גבים a r. גיב.

גוג *rex Magogitarum.*

In solo Ezechiele invenitur, per caput XXXVIII. XXXIX. nec regionis aut populi nomen, ut vulgo putatur, exque eo vel orientales fecerunt, sed regis aut summi imperatoris terrae Magog, infra sub מ quaerendae, cujus imperio et gentes *Rosch*, *Meschech* et *Thubal* subsunt. c. XXXVIII, 2. 3. XXXIX, 1. Barbaro nomini origo ex lingua Hebraica eique cognatis non quaerenda, in quo plures errasse video, (de Gogo enim Rubenita, 1 Paral. V, 4. jam non quaeritur). Mihi quidem in Spicilegio geographiae T. I. p. 34. 35. verisimile visum, גוג idem esse quod, durius paulo adpellatum, *Kak*, in Persica historica frequens, regibus barbaris Persiae a septentrione ad mare Caspium commune, ex quo, Turcico nomine *Chak* addito, factum serioribus seculis, *Chakan*, Arabice خاقان, *rex regum*. In nomine barbaro literarum G, Ch, K permutationem, locum habere, jam ibi monitum. Hic modo addo insignem locum Mosis Chorenensis, scriptoris seculi quinti, ex quo et disces, quibus literis Armenice scribatur, p. 316. historiae Armeniae: *rex Aquilonis appellatur Chakan, qui et Chazirorum* (ad mare Caspium habitantium) *dominus, et regina vocatur Chatunia* (notissimo ex historia Mongolorum, et Abulfeda nomine, ܚܬܘܢ خاتون). Cornelius le Bruyn plane GOG scripsit nomen, in itinerum (*Voyage par la Moscovie en Perse et aux Indes Orientales*) tomo II. p. 409. De Mongolis loquens: *En l'an 1246. ils choisirent pour Chef de la Tartarie un certain Kuine, qu'ils surnom-*

merent

merent GOG-CHAM (vitiumne typographi pro GOG CHAN?) *c'est a dire, Roy ou Empereur.*

גוד

Ad hanc radicem, non ad גדד, referenda verba plene cum Vau ſcripta, quod certe in futuris verborum med. rad. geminatae rariſſime, atque ante Dageſch forte vix unquam poni ſolet. Verum גוד, illis locis egregie conveniens, a lexicographis omiſſum, ea omnia ex גדד explicare ſolitis. Eſt quidem in his fere locis varia lectio, vulgata Vau habente, aliis codicibus illud omittentibus: quae autem de radice גוד dicemus, ad lectionem pleniorem cum Vau referenda.

Arabibus ergo جاد pro جود, *bonus, liberalis fuit, benefecit.* Hinc egregie illuſtrabis Pſ. XCIV, 21. יגודו על נפש צדיק, *qui* (de injuſtis judicibus ſermo) *liberales ſunt vitae juſti* (i. e. eam facile concedunt, ad necem largiuntur, adcuſatoribus,) *ſanguinemque innocentem effundunt.* Talis locutio, ut Act. XXV, 11. *οὐδείς μὲ δύναταί αὐτοῖς χαρίσασθαι.* — — Alii: *qui turmatim exeunt contra vitam juſti:* quae quidem verſio vera erit, ſi cum LIII codicibus Kennicottianis יְגֹדּוּ legas: nec tamen aeque bona, judicisque injuſti perſonae apta ſententia. Caeterum Dageſch ex יָגוֹדּוּ delendum, atque ex analogia grammatica pleniorem lectionem יָגוּדוּ punctandam arbitror. Bibl. Or. T. XIX. p. 146.

Geneſ. XLIX, 19. conſvetam lectionem, גדוד יגודנו vertes, *turma,* (aut ſi malis, fortuna) *liberalis ipſi erit,* i. e. ſpoliis diteſcet. Lectionis ſine Vau interpretationem quaeres ſub גדד aut נגד.

Habac. III, 16. plenam lectionem עם יגודנו interpretaberis, *populus qui beneficus eſt nobis,* Perſasque intelliges, quorum fauſtum fuit Judaeis ac proſperum imperium.

גוז *transire, trajicere mare.*

Ἅπαξ λεγόμενον in codice masorethico Pſ. XC, 10. de quo lexicographi et interpretes plerumque conjicere maluerunt, quam ex uſu certo linguarum cognatarum aliquid ſtatuere.

Arabibus quidem جوز eſt, *tranſire*, eandemque ſignificationem et apud Samaritanos, Chaldaeos, Syrosque habet. Haec quidem loco primario Pſ. XC, 10. egregie apta, atque a Chaldaeo, עָרוּ *tranſierunt*, et Hieronymo, *tranſivimus*, vertentibus, agnita. Eſt tamen, quod adhuc addi poſſe videtur, phraſi et ſignificationi vocis illuſtrandae. Mythologia aliqua, ab Aegyptiis ad multos populos tralatitia, quam et Moſes ſequi videtur, mortuis inſulas trans latum mare habitandas adſignat, de qua vide epimetron noſtrum praelectioni nonae Lowthii de poeſi Hebr. ſubjunctum, *de imaginibus ex fabula poetica*. Jam ergo גוז hic eſſe videbitur, *tranſire* i. e. *trajicere mare*, et ſequens *volare*, poetice de navigando poſitum, *trajicit cito* (navigium) *et avolamus*.

Secundum aliquos et Pſ. LXXI, 6. ממעי אמי אתה גוזי, *ex viſceribus matris meae tu transtuliſti me*, novum hujus mundi colonum, concinitque quodammodo Chaldaeus, vertens, מַפְּקַי *egredi me feciſti*. Duplex tamen ſic admittenda in uno verbo anomalia, 1) ſignificationis ex intranſitiva in tranſitivam mutatae, cujus exemplum non habemus 2) participii verbi med. rad. Vau praeter morem cum Vau ſcripti, pro גָּזִי. Ergo quid de hoc verbo mihi quidem videatur, ſub גזה dicam.

At ex lectione varia, mihi veriſimillima, recurrit Job. XXIV, 11. ubi pro יִגְזֹלוּ Vulgata, in duas voces יָגֻז לוֹ diviſis literis vertit, *ad nimium calorem tranſeat ab aqua nivium*. Mutatis paucis, ac navigationem ad inſulas mortuorum intelligens, meum feci in verſione germanica:

manica: ab insulis beatorum eminus visis, quae aquis niveis recreantur, ad torridas aeterno aestu insulas trajicit. Vide haec copiosius illustrata in notis germanicis.

גוזן *Gauzan*.

Nomen aut urbis aut regionis proprium, de quo eruditissimi etiam viri, *Bochartus*, *Clericus*, *Schultensius* dissenserunt, quos ut et recte intelligamus, et judicare possimus, ante omnia sciendum, duplicem esse *Gauzan*, (sic enim nomen Syriace adpellandum) duplicem etiam *Chaboram* fluvium, de quo infra erit agendi locus. Nempe Ptolemaeus, cui soli fere notitiam Gauzanitidis et Gauzaniae debemus, habet

1) in Asiae tabula IV, ad boream Mesopotamiae Chaboram inter et Saocoram fluvios, *Gauzanitin*, quam l. V. c. 18. p. 142. ita describit, κατέχει δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν πρὸς τῇ Ἀρμενίᾳ ἡ Ἀνθεμουσία, ὑφ' ἣν ἡ χαλκῖτις, ὑπὸ δὲ ταύτην ἡ Γαυζανῖτις, quod ex mea versione, tabula ipsa consentiente, est, *hujus quidem regionis* (Mesopotamiae) *proxima Armeniae habet Anthemusia*, *sub hac*, (i. e. ab austro Anthemusiae sita et a montibus remotiora) *Chalcitis*, *sub hac*, *Gauzanitis*. Manifestum quidem ac dubii expers, hanc esse Gauzanitidem ad Chaboram.

2) in Tabulae III et V. Asiae, sub gradu latitudinis 40⅔ longitudinis 82, *Gauzaniam*, quam libr. VI. c. 2. in urbibus Mediae mediterraneis enumerat, Γαυζανίαν vocans, eique longitudinis gradus πβ, i. e. 82 assignat, non, ut in Latina versione per errorem legitur, 80. Nullum ad hanc urbem fluvium memorat aut in tabula expressit, sed inter duos fluvios, quorum alteri *Cyro* nomen dedit, magno ab utroque intervallo posuit.

Jam ad גוזן Hebraicum nomen accedamus, quinquies obvium, sed ita ut possis in duas classes dispescere.

1) 2 Reg. XIX, 12. Jes. XXXVII, 12. nomen est regionis ab Assyriae regibus victae et subactae, et vero utrobique hac verborum serie, את גוזן ואת חרן *Gazan et Haran* (*Carras*) ubi vix dubitari potest, quin sit Gauzanitis Mesopotamiae.

2) 2 Reg. XVII, 6. XVIII, 11. deportatae ab Assyriis decem tribus dicuntur *ad Chaboram fluvium Gauzanitidis* (חבור נהר גוזן) inque loco parallelo 1 Paral. V, 26 *ad Chaboram, et Haram, et fluvium Gauzanitidis*, (ונהר גוזן). Hic quidem perquam verisimile videri possit, quod et Bocharto placuit, (geogr. l. III. cap. 14. col. 194. lin. 10.) alteram intelligi Gauzaniam Mediae urbem, cum in libro Regum statim subjungatur, ועדי מדי, *urbesque Mediae*. Solus deesse Chaboras videbatur fluvius, pro quo montem Chaboram Mediae ex Ptolemaeo substituebat Bochartus, et נהר גוזן, ab חבר avulsum, Cyrum fluvium faciebat, ante Persarum imperium a vicina Gauzania ipsum quoque Gauzan, ut suspicabatur, dictum; reprehensione dignus visus Clerico ad 2 Reg. XVII, 6. sed et hic nodus solutus videbatur, cum alterum Chaboram, Assyriae fluvium ultra Tigrim ex monumentis Arabum ostenderet Schultensius in indice geographico, quem vitae Saladini subjunxit.

Non nego, sententiam perquam esse verisimilem: et tamen sunt, quae me adhuc donec dubiis satisfiat, ab ea revocant. Fluvium Chaboram trans Tigrim sine dubio monstravit Schultensius: sed primo ad Gauzaniam nullum omnino Ptolemaeus habet fluvium, quem si dicas multos omisisse fluvios, nullo tamen indicio constat, alterum Chaboram hanc alteram alluere Gauzaniam, quod quidem per situm locorum si Tigridi illabitur, ut aliqui volunt, fieri omnino nequit. Accedit, quod haec legens, *ad Chaboram fluvium Gauzanitidis*, verba sic intelliget: duplicem esse fluvium Chaboram,

sed

ſed hic eum deſignari, qui Gauzanitidem alluat, hoc ergo alterum Chaboram non facere. Jam cum Meſopotamiae Chaboras ſine dubio fluvius ſit Gauzanitidis, ex ipſis prope verbis hiſtorici ſacri conſequi videtur, ut alter non ſit. Adde, ut apud Ptolemaeum Meſopotamicae Gauzanitidi jungitur χαλκῖτις, ſic et ab hiſtorico ſacro Gauzanae in quam deportati Israelitae, jungi חלח.

Ergo mihi adhuc, donec meliora docear, veriſimile et hanc Gauzaniam, in quam decem tribus a victore deductae, Meſopotamicam eſſe, armis Aſſyriorum paulo ante ſubactam, forte et vaſtatam, ut novis ei opus colonis eſſet. In contrarias partes iturus fuiſſem, ſi qua gravior, ſententiam mutans, lectionis varietas in codicibus ſe obtuliſſet, haec maxime, quam pene ſperabam, חר גוזן, interpretaturus, *ad Chaboram montem Gauzaniae*, intellecturusque cum Bocharto, paulum mutata ejus ſententia, Chaboram montem qui Aſſyriam ab Armenia diſterminat, (Ptolemaeus l. VI. c. 1. p. 146.) inque tabulis Ptolemaei per errorem, ut jam notaverat Bochartus, Choatras vocatur, ultra quem *Gauzania* Mediae, forte olim regionis metropolis. Sed nullum omnino codicem inveni conſentientem, nec verſionem clare praeeuntem. Ergo donec haec lectionis varietas ex codicibus eruatur, invitus pene in ea quam dixi ſententia perſiſto.

Notandus, ne alios turbet, inſignis Hydii error, qui pro Hebraico גוזן duplici ſe offerente Gauzanitide, iisdem literis ſcribenda, pag. 415. eruditiſſimi de religione Perſarum libri commentus eſt, male nomen גוזן ſcriptum pro חוזן. (جوزان pro خوزان) quaſi vero ejusmodi error, in Arabicis quotidianus, quod literae ſunt ſimiles, obrepere librario Hebraico poſſit, aut unquam obrepſerit, unde, incredibili in tanto viro ignorantia duas regiones خوز et اهواز confundens, pro-

que una habens, גוזן in חוזן mutatam *regionem Ahvaz* facit. Hanc in literis mutandis violentiam narrare, id vero est, refutasse: nec ullo argumento constat, Ahvaz vicinamque Elamitidem unquam sub regum Assyriorum ditione fuisse. Omisissem haec somnia, nisi veritus essem, ne magni viri auctoritas ac nomen ea commendare posset, indigneque ferrent lectores omissionem.

גוי *gens extera*, גוים *Gojitae.*

Gentes exteras Hebraeis גוי vocari, fere ut Graecis barbaras, dictu vix opus: in solo laboratur etymo, nec certi quid habeo, liceat ergo conjecturas promere. جوي et جاء pro جيا ex prima vi *confluxum* significare videtur, a quo et *valles*, in quas aqua confluit, (Hebraeis גיא Ar. جِوَاء et *receptaculum aquae*, *locus quo confluit* جَيْئَة) dicuntur, quae aqua, quod facile corrumpitur, جوي *abhorruit animus.* Jam a *confluxu* et multitudine dictusne populus? an a *fastidio* populus barbarus? N. L.

Est et alicujus in Galilaea populi nomen proprium: Genes. XIV, 1. 9. Jos. XII, 23. Jud. IV, 2. Jes. IX, 1. incertum, utrum ipsi ita se dixerint Gojitae? an ex adpellativo in proprium transierit, exterusque aliquis, et a Phoenicibus Aramaeisque diversus populus, jam ante Mosis tempora in Galilaea consederit, a reliquae Palaestinae incolis, *Barbari,* dictus? Posterius statuisse videntur, qui appellative vertunt, Vulgata ubique, LXX Genes. 14. Jud. 4. Jes. 9. Chaldaeus ubique, Syrus Jud. 4. Jes. 9. Quis hic fuerit populus barbarus, ne conjicere quidem ausim, de Scythis certe, quorum in Palaestinam expeditio in seriora tempora incidit, chronologiae peritus nemo cogitaverit: id unum ex Genes. XIV. colligo, Abrahami tempore nondum in Galilaea habitasse; hic enim quatuor reges, in quibus et מלך גוים ad Da-

nam-

nam adſequitur, et Chobam usque, quae Damaſcô a ſeptentrione, perſequitur, v. 15. Quo autem tempore Joſuas Palaeſtinam devicit, Gojitae jam in illa habitarunt.

Notanda et verſio ſingularis Syri, Joſ. 12. ܚܘܡܩܐ *profundum* habentis, quod *vallem* Gabriel Sionita in Polyglottis interpretatus eſt. Videtur גוים ad גיא *vallem* retuliſſe. — — Forte et ubi graece legimus πάσης Γαλιλαίας ἀλλοφύλων 1 Macc. V, 15. in Hebraico exemplo fuit, כל גליל הגוים: eſt tamen ex incertis, Graecis alias non ἀλλοφύλους ſed ἔθνη pro גוים reponentibus.

גוח *erumpere.*

Cum aliquoties de *eruptione ex utero* ponatur, Job. XXXVIII, 8. et tranſitive, Pſ. XXII, 10. Mich. IV, 10. notare liceat ipſiſſimam phraſin Syriacam: *Abrahamus credebat*, ܕܡܢ ܡܪܒܥܐ ܡܝܬܐ ܕܣܪܐ ܢܓܘܚ ܘܢܦܘܩ ܥܠܡܐ ܕܒܢܝܢܫܐ *ex utero Sarae mortuo erupturum et exiturum eſſe mundum hominum.* — — Arabibus جاخ eſt *abrumpere*, e. g. cum fluvius terrae partem abrumpens litora exedit.

Noli ad hanc radicem nomen proprium fluvii גיחון referre, eſt enim, ut infra videbimus, barbarum.

גול et גיל *exſultare, gaudio, vel timore, confugere ad aliquem.*

Notiſſima *gaudendi* et *laetitiae* ſignificatio, quam et paſſim lexica, nullo addito argumento per *exſultare* reddunt, recte quidem, et praeeuntibus LXX qui perſaepe ἀγαλλιάω pro גול habent: ſed moleſtum, quod nihil harum ſignificationum ſub radicalibus גול Arabica lingua et Aramaea habet. Velim ergo, teneri, hic verba primae rad. Jod et med. rad. Vau quieſcentis, ut ſaepe alias, permutata eſſe, ac noſtrum ver-

verbum conferendum Arabico وجل quod proprie est, *exsultare*, sed ex usu linguae plerumque ad timorem, ut apud Hebraeos ad laetitiam translatum, e. g. Sur. XXII, 36. *qui, cum audiunt nomen dei*, وَجِلَتْ قُلُوبُهُمْ *palpitant corda eorum.*

Hinc et explicandum reor Ps. II, 11. גִּילוּ בִּרְעָדָה, non, *laetamini cum tremore*, quod ad seriem orationis plane ineptum, licet bona ei interpretatio theologica commodari possit, sed; *exsultate terrore*, i. e. *ita intremiscite*, *ut toto corpore exsiliatis.*

Tentandus et alter difficilior locus Ps. XXII, 11. גֹּל אֶל יְהוָה qui nullo modo verti potest, *volve in Jehovam*, sc. *onus tuum*, *curas tuas*, imperative, sequitur enim in tertia persona, *eripiat eum.* Est potius tertia persona praet. Kal, si puncta salva velis, quibus quatuor codices Kennicottiani גּוֹל habentes in consonantibus etiam suffragantur, formae אוֹר *illuxit*, ab his si discedere audeas, (ausim equidem), גַּל. Nec omnino volvendi significatio constructioni satis apta, posceret enim sive בִּיהוָה sive עַל יהוה, quod et Clerici conjecturae obstat, nimis hic punctorum tenacis, ellipticam esse constructionem pro גֹּל גָּלַל *volvendo volvit.*

In versione quidem germanica ex consveta verbi significatione reddere ausus sum, *gavisus est de Jehova;* nec poenitet. Abripi tamen ad aliam me sentio versionem, *confisus est in Jehova*, cujus jam rationem reddere posse mihi videor. Notissima verbi وجل significatio est, *timere*, (palpitare timore): verba timendi et confugiendi cum אֶל vel לְ constructa Hebraeis sunt, *confidere*, ut חָסָה לַיהוָה *confugit ad Jehovam*, i. e. *confisus est in Jehova.* Possit ergo גָּל אֶל יהוה idem significare; inque hanc versionem plures ex antiquis, verbis diversos, consentire video, quos, si errarent, idem erraturos fuisse, non est verisi-

verisimile. LXX ἤλπισεν, asseclis eos sequentibus, Vulgata et Arabe: Matthaei interpres, non ex LXX sumens, sed alio usus verbo, πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεὸν: Hieronymus, *confugit ad dominum.*

גוף in Hiphil, *clausit.*

Semel occurrit Neh. VII, 3. יגיפו הדלתות, quod recte vertunt, *claudant portas*, Chaldaismi adferentes auctoritatem: addo Arabismi, cui أجاف *clausit portam.* Syris maxime usitatum in *piscando*, *claudere reti pisces*, ipsum tamen et latiore sensu verbum retinuit Syrus interpres Nehemiae, ܢܚܕܩܘܢ ܬܪ̈ܥܐ.

גור *deflectere*, *injuste agere.*

Vertunt, *peregrinari*, unde et גר *peregrinus* dictus, *timere:* recte quidem, sed prima vis verbi esse videtur, *deflectere*, ut apud Arabes, unde fluxit, *deflectere ex via ad hospitium*, generatimque, peregrinum esse, et *deflectere a periculo*, i. e. timere.

Sed est alia significatio, neglecta interpretibus lexicographisque, verbi, maxime cum عَلَي constructi, *deflectere a justo*, *injuriam alicui facere*, Vide Sap. X, 14. ubi τυραννοῦντες αὐτῷ sunt, الذين جَارُوا عَلَيْهِ Rom. I, 31. ἄσπονδοι, جايرين. Hinc et جَوْر *injustitia oppressio*, *tyrannis*, Deuteron. XXV, 16. עשה עָוֶל Ar. صَانِع جَوْر. Plura exempla si cupis, evolve Castelli lex. Arabicum. Syris quoque *injusti* significationem habet, sed restrictiorem ad rem Veneream, ܓܘܪ *moechatus*, *scortatus est*, sicque et apud Chaldaeos, ac Samaritanos.

Ex hac ergo deflectendi a recto, injuriamque faciendi significatione acceperim, primo ubi cum על construitur, Ps. LIX, 4. יגורו עלי עזים *injuste me opprimunt fortiores*, deinde et Ps. LVI, 7. יגורו *inju-*

 ste

ſte agunt, CXL, 3. modo ſana ſit lectio, quam ſatis conſtanter omnes codices habent Kennicotto excerpti, יגורו מלחמות *injuſta gerunt bella*, Jeſ. LIV, 15. הן גור יגור *ſi quis injuſta vi utatur* (*tyrannidem exerceat*) — — et paulo poſt, מִי גָר אִתָּךְ עָלַיִךְ יִפּוֹל (his enim punctis inſtruendas literas arbitror) *qui te oppreſſerit, ſuper te cadet.*

Congregandi ſignificatio, quam a Rabbinis tralatitiam habent lexicographi, nec linguarum Orientalium uſu, nec ullo nititur certo exemplo Hebraico: Habac. I, 15. Jerem. XXX, 23. ad radicem גרר referenda: Hoſ. VII, 14. aliam lectionem, יתגודדו, praeferendam arbitror, (vide biblioth. Or. T. XIX. p. 178.) lectionem autem Vulgatam יתגוררו potius explicandam, *proſternunt ſe*, quod جور in quinta Arabum (تجوّر) ſignificat, proſtratione forte a declinatione et inclinatione dicta, aut ſi malis, *timent ſibi.* Quidquid ſit, in falſa enim lectione explicanda hariolari etiam fas foret, certe hic locus non probat reliquis linguis Orientalibus ignotam congregandi ſignificationem.

גּוּר *catulus* (leonis).

Egit de vocabulo Bochartus P. I. hierozoici libr. III. c. 1. p. 714. recte ex Ezech. XIX, 2. 3. 6. 7. monens, catulum leonis eſſe ubera adhuc matris ſugentem, a כפיר diſtinguendum, idemque et recte docuit, latius patere nomen ad animalia lacte matris nutrita, ut, canes, (de quibus vide Buxtorfii lex. Chaldaicum p. 412.) idemque eſſe cum Arabico جرو (transpoſitis radicalibus). Haec quidem ille bene, diſtinctiusque quam lexicographi, quibus et eximie concinunt loca Nah. II, 12. ubi leo catulis ſuis praedam venatur, et Thren. IV, 3. de monſtris marinis, ubera exſuentibus ſoboli ſuae, (גוריהן). In uno diſſenſerim etymo, quod a fictitia *congregandi* ſignificatione ducit: malim, ſi ad hanc radicem nomen referendum, inde dictos catulos, quod adhuc

adhuc in hoſpitio ſunt et ſub tulela matris, utramque enim, hoſpitii et tutelae ſignificationem ſub جار complectuntur Arabes.

מגור Pſ. LV, 16.

Ex fictitia congregandi ſignificatione Coccejus במגורם vertit, *in congregatione ipſorum*, alii melius, *in hoſpitiis*, vel, *habitationibus eorum*, praeeuntibus LXX. Chald. Vulg. Proxime his mutata lectione ſequentis בקרבם in בקברם verteram, *mala ſunt in peregrinatione ipſorum* (mortalium vita erratica) *inque ſepulcro, aeterna domo:* ſed nullo codice ſuffragante abdicandum video. Nec tamen placet aſyndeton, *mala ſunt in habitatione eorum, in medio eorum.* Suſpicari ergo incipio מגור hic quoque, ut alias ſaepe, (Cholem pro Schurek reſcripto) *timorem* eſſe: *inſortunia timore ipſorum ſunt in intimis eorum*, i. e. *intima ipſorum timore impendentium malorum excruciantur.* Expendant et judicent lectores, ipſe enim adhuc dubito.

מְגוּרָה et ממגרה *granarium dardanariorum.*

מגורה Hagg. II, 19. de granario recte lexicographi et interpretes intellexerunt, ſed iterum male ad fictitiam *congregandi* retulerunt ſignificationem. Equidem ne a גור quidem ortum cenſeo, ſed a מגר Arabice مجر vendidit, ut ſint *granaria dardanariorum frumentum et ſemen vendentium.*

Idem cenſeo de מַמְּגֻרוֹת, ſeu, ut potius ſcribendum puto מִמְגָּרוֹת Joel. I, 17. cujus ipſa forma argumento eſt, ad radicem מגר referendum eſſe, neutiquam ad גור, duplex enim Mem praeformativum nullum aliud nomen Hebraicum habet: נהרסו ממגרות *evertuntur granaria dardanariorum;* ad haec quippe fame ingraveſcente concurrere plebs ſolet, eaque effringere. In rei ſumma, non in etymo, conciniunt iterum recentiores, exque veteribus Chaldaeus, *horrea*, et Vulg. *apothecas* habens. At mire, neſcio unde, *torcularia* vertunt LXX et Syrus.

גויש

גוּשׁ vel גִישׁ *gleba* Job. VII, 5.

Non poſſum non vel contra magnum Albertum Schultenſium calculum adjicere lexicographis, qui ex Chaldaico גושא, praeeuntibus LXX, et Chald. *glebam* interpretantur: *corpus meum induit glebas pulveris*, i. e. *tectum eſt glebis pulveris*, quod ita egregie aptum naturae morbi, quo Jobus laborabat, (vide notas ad Jobum germanicum) ut plane non videam, quid in hac deſiderari verſione poſſit, nec ipſe Schultenſius quidquam deſiderat, praeter etymon. At hoc facile caremus, ubi de ſignificatione verbi, ut hic ex lingua Chaldaica, conſtat, vel in patriis vernaculisque linguis etymon ſaepe ignorare ſoliti. Ipſe contra quod ſubſtituit, *aeſtuat pulvis*, ex Arabico جاش pro جوش, primo ex analogia utriusque linguae Hebraico גוש non eſt idem, pro Schin enim Hebraico ex regula poſcitur Arabicum Sin: deinde morbi naturae prorſus non aptum, nec enim dolent aut aeſtuant partes elephantiaſi adfectae, ſed ſenſu carent atque emoriuntur. Verum hiſtoriam morbi nec Schultenſius indagaverat, nec alii interpretes plerique.

גזז *reſecuit crines, totondit.*

גזז eſſe *reſecuit*, *totondit* oves, notiſſimum, et linguis cognatis conſentaneum. At praeter hunc certum ſignificatum alium *evellendi* et interpretes excogitarunt et lexicographi, ubi tondere, ſeu ut illi volunt, *evellere crines*, ut maximi ſignum luctus ponitur Job. I, 20. Jerem. VII, 29. praeeunte jam errorem Chaldaico Jeremiae interprete; reliqui enim omnes *tondere* verterunt. Nulli certe linguarum Orientalium גזז eſt, *evellere*, ſolaque peccabatur morum Orientis ignoratione, cui tonſura ſignum luctus. Vide Curtium l. X. c. 14. de Perſis Alexandri mortem lugentibus, *comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte, ut gentis ſuae juſtiſſimum regem lugebant:* de Aegyptiis, in Apidis funere lugentibus, Lucianum de ſacrificiis, T. I. p. 538. 539. de Syris

ris Adonidem lugentibus, eundem de Dea Syria T. III. p. 454. deque ipsis Graecis, Herodotum libr. I. c. 82.

גֵּז *ager a locustis vastatus.* Ps. LXXII, 6.

Absurda cum sit versio Graeca et latina, *descendet sicut pluvia in vellus*, multo quidem melius alii *pratum detonsum* intellexerunt, conferentes Amos VII, 1. Nec tamen vel id satisfacit, prata enim detonsa virent, nec imaginem offerunt magnae calamitatis, ex qua recreari terram larga pluvia necesse sit. Mihi ergo verisimillimum, quod, eodem adeo verbo usus, habet Chaldaeus, עִשְׂבָּא דְגְזִיז מִן גוֹבָא *herba a locustis resecta*, i. e. *depasta*. Ager est in quo locustarum agmen nihil reliquit virens, omnibus ad solum usque resectis, (quod quidem de locustis sensu maxime proprio dici possit) sed qui recreatus pluvia revirescit.

גזה *suffecit.*

Verbum גזה duplicem Orientalibus significatum habet, qui quo vinculo connexus sit, non paret: ergo etymologiae non nimis curiosi quae vel in patria lingua saepe dubia aut obscura, manifesta et certa enotemus.

1) Syris ܓܙܐ est, *secuit*, orta forte significatione ex radicum גזה et גזז confusione: unde apud Hebraeos אבני גָזִית *lapides secti*, i. e. quadrati, cuivis lexico noti.

2) Arabibus جزي *pensavit, retribuit*, (ut Chald. גזא) atque inde *suffecit*, Arabibus ipsis per كفي *sufficit* explicantibus. Vide exempla a Castello collecta.

Huc referendum puto ממעי אמי אתה גוזי Ps. LXXI, 6. (ex legibus grammaticis participium Kal verbi גזה, non, ut fere sumunt גוז, hoc enim גָזִי scribendum fuisset), *ab utero inde matris meae mihi suffecisti*, i. e. te solo adjutore et benefactore contentus fui.

 Sic

Sic quidem verbo كفى *sufficit* innumeris locis Arabes utuntur, كفى الله *sufficit Deus.* Praeiverunt quodammodo, cui novitas objici possit, interpretationem, sed paraphrastice, Syrus, ܬܘܟܠܢܝ *fiducia mea*, LXX σκεπαστής, Vulg. *protector meus:* certe hae versiones ad eas significationes, quas lexicographi sive sub גוח habent sive sub גיה, referri nequeunt.

גָּזָם *eruca.* Joel. I, 4. II, 25. Amos IV, 9.

Plane adsentior lexicographorum et interpretum plerisque, qui praeeuntibus LXX et Vulg. *erucam* (*Raupe*) vertunt. Insignis est et classicus pro hac sententia Amosi locus, in quo גזם insectum est, vineis, olivetis, et ficubus infestum. His qui contradixit Bochartus T. II. hierozoici l. IV. c. 1. male etymon opposuit, a جرم *secuit, amputavit*, quod, ut censet, totum pro locusta est, in erucam non cadens. Atqui nullum insectum melius a secando et amputando dici potuit eruca, falcem in ore praeacutam habente, qua folia resecat. Radicem ܓܙܡ *incidit*, et Syri habent, nomen soli Hebraei et Aethiopes.

Syrus ܩܡܨܐ vertere solet, quod quid sit, ignoramus: solo se aliquo ex lingua Arabica et Aethiopica etymo offerente, quibus مشط est *pexuit, diripuit.* Bocharto idem visum cum Chaldaico שְׁמוֹטָא, quod si est, alterum ex interpretibus errasse necesse, Chaldaeus enim שמוטא pro חסיל ponit, nostrum, זחלא *vermem* interpretatus.

גֶּזַע *arbor succisa, trunci pars de ea residua.*

Non truncum arboris generatim, ut vult Coccejus a ramis et radice distinctum, sed id, quod dixi, significat, ut ex Job. XIV, 8. Jes. XI, 1. manifestum. Melius ergo Simonis, *stirps praecisa*, recte et monens, esse ab Arabico جزع *secuit.* Hanc quidem Hebraei, sed

more

more Syrorum Z in D mutato, habent ſub גרע. Nomen ipſum ſupereſt apud Arabes, ſed per ذ ſcriptum, جذع, atque apud Syros, ſed quod mirere per Z, ܓܘܙܥܐ, quo et interpres Syrus Jeſ. XI, 1. uſus, latius tamen patens, quippe quod et reſectos ramos ſignificare poteſt, Jerem. XLVIII, 17. pro *baculo* (מַקֵּל) poſitum.

Arbor usque ad radicem ſucciſa nonnunquam renaſcitur, novos ex radice ſurculos protrudens, aliquando emoritur: quod notandum locis, ubi גֶּזַע occurrit.

Κορμὸς, *truncus*, Aquila, Symmachus et Theodotio Jeſ. XI. vertebant, probante Hieronymo, recte, ſi trunci reſiduum intelligas, reprehendendi, ſi totum truncum. Nec vero damnandi LXX, qui Jeſ. XI, 1. XL, 24. *ῥίζαν* verterunt, eſt enim pars arboris ſucciſae infimae, radici adhaerens, quam poſſis aeque bene ad hanc, atque ad truncum referre.

גזר *ſecuit* (mare,) *mactavit*, *comedit*.

De exſiccato ſinu Arabico Pſ. CXXXVI, 13. dicitur, גֹּזֵר יַם סוּף לִגְזָרִים *diſſecans mare Erythraeum in ſegmenta*, vere quidem et proprie, ab utroque enim latere iſthmi exſiccati, per quem Israelitae transierunt, aqua remanſit: ad lites tamen de mari, refluxu duplicato? an miraculo? exſiccato, adnoto, ipſiſſimum hoc verbum Arabibus جزر de *refluxu maris* poni, ut n. 293. Abulfedae, in Obollae deſcriptione, ubi ſivi invicem opponuntur مدّ البحر *adfluxus maris*, et اذا جزر الماء *cum minuitur* i. e. *refluit aqua*. Hinc et intelliges quod Golius habet, *deſcendit*, *ſubſidit*, *decrevit aqua*, finditur nempe ſubſidens partibus terrae altioribus emergentibus.

Hanc ſignificationem ſoli aquae proprium, cognitam habuiſſe, ſed et male ad alia nullo linguarum Orientalium uſu transtuliſſe viden-

tur LXX in loco interpretibus difficili, Hab. III, 17. ἐξέλιπον ἀπὸ βρώσεως πρόβατα. Difficilem interpretibus fuisse dixi, sed facilis erit, modo notes جزر *secuit*, Arabibus et esse *mactavit*. Verte ergo גזר ממכלה צאן *mactat* (hostis) *ex pascuis oves*.

A mactando Arabibus جَزَرٌ *caro ferarum*, *esca*, *ovis pinguis*, *radix esculenta*, جَزَرٌ *quidquid comeditur*, ac latius etiam جَزُورٌ *pabulum* Job. VI, 6. Hinc גזר generatim *comedere*, *vorare*, quo significatu Jes. IX, 18. occurrit, וַיִּגְזֹר *vorat ad dextram et famelicus manet*, pro quo in membro sequente est, ויאכל *comedit ad sinistram*, *nec saturatur*: quamvis hoc non ut novum pono, occupavit enim Simonis in lexico, atque ante illum Cappellus conjecerat, *carpit*, Lud. de Dieu et Vitringa, *masticat*, q. d. *dentibus secat.* Caeterum mire LXX. ἐκκλινεῖ, et Vulg. *declinabit.* Legeruntne ויגור? Suspicor, sed nullus codex erroneam lectionem servavit.

גְּזֵרָה *terra insularis fertilis in medio deserti.*

Hircum expiatum Azazel, in desertum dimitti Moses jubet ut peccata deferat, אל ארץ גְּזֵרָה, seu, ut plene XXVI codices Kennicottiani habent, גזירה, ad literam, *in terram resectam.* Levit. XVI, 22. جَزِيرَةٌ Arabibus, ܓܙܪܬܐ Syris *insula*, quod resecta a reliquis terris: hoc vero nomen Arabes, plane ut Graecorum geographi, ubi ad Africam devenerunt, suum νῆσος, de *insulis* ponunt *in deserto*, i. e. de locis fertilibus in medio deserto, qualia esse solent rivo ex monte erumpente rigatae, e. g. Oases Aegypti, de quibus Abulfeda p. 5. Aegypti, يحيط بالواحات البراري كالجزيرة *cingit Alvahatas desertum tanquam insulam.* Multa hujus usus exempla in Arabum geographis obvia habui, sed enotare oblitus sum, unde citare jam nequeo. Ex filo orationis vix quidquam dubii relinquitur, quin

quin ejusmodi in deserto insula ארץ גזירה dicatur, tractus uber et pascuus, a Palaestina desertis arenosis sejunctus.

Miror nec Graecos nec Arabicos interpretes insulae nomine hic usos, quod per linguae ingenium licuisset. Samaritanus retinet Hebraicum nomen, Arabes duo ad literam مُنْقَطِعَة *resectam*, *divulsam*, LXX ἄβατον, Vulg. solitariam, Chald. *non habitatam*, Syrus ܚܪܒܬܐ *desertam*. Aliqui horum conjecisse videntur, synonymum esse praecedentis מדבר, quem tamen significatum in nulla linguarum orientalium habet.

גזרי *Gizraeus.*

Ex Keri 1 Sam. XXVII, 8. populus barbarus, in quem excursiones fecit David, nuspiam alias memoratus. Solum a ܓܙܪܬܐ *insula* etymon suppetit, q. d. *insulanus*, sive quod in ejusmodi insula qualem vixdum descripsimus, desertis cincta, habitavit, sive a peninsula Arabiae, quae ipsis Arabibus الجزيرة κατ' ἐξοχὴν, dictus. Syrus interpres, exque eo Arabs, ܓܕܘܠܐ, جَدُول habent, quod non varia lectio, sed aliud ejusdem populi, interpreti noti, nomen videtur. Arabibus adpellative rivulum designat, quod quidem etymo ab insula in desertis ducto satis convenit, quod rivuli mediis in arenis fertile solum faciunt. Non multum fido etymologiis in re geographica, meliores tamen reliquis situm et naturam loci exprimentes, *mons*, *pons*, *fons*, *rivus*, *fluvius*; atque hic quidem, ubi historice nihil novimus, vel id indicandum, ad quod etymologia, coecorum adminiculum, deducit.

גָּחוֹן Genes. III, 24. Lev. XI, 42. *pars inferior corporis reptilium qua tangunt terram.*

Ita verissime jam vertit Coccejus, nec enim ventrem humanum aut

aut quadrupedum ſignificat, ſed de ſolis humi repentibus uſurpatur, bis omnino obvium.

His vere jam dictis duo addo: primo de LXX, et Hieronymi argutiis, deinde de etymologia veriſimili. LXX duplici in vertendo vocabulo utuntur, *ventris et pectoris*: ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ, recte illi quidem, inferiorem corporis reptilium partem, quae ſuum apud Graecos nomen non habet, in στῆθος et κοιλίαν diſpertientes. Hic quidem vide, quid acciderit: lexicographi et interpretes recentiores ſolam plerumque ex illis κοιλίαν arripuerunt; quam myſtica exſculpturus, repudiavit, *pectus* ſolum tenuit Hieronymus. *Ventrem*, (inquit ad Geneſ. III.) *LXX interpretes addiderunt, caeterum in Hebraico pectus tantum habet, ut calliditatem et verſutias cogitationum ejus aperiat, quod omnes greſſus ejus nequitiae eſſent, et fraudis.*

Verbum habent Chaldaei, גְּחַן, quibus eſt, *inclinavit ſe, pronum ſe humi abjecit*, pro Hebraico כרע et השתחוה poni ſolitum: Syri paulo mollius efferunt ܓܗܢ, Chet mutato in He, ſed eadem ſignificatione, ut Marc. I, 7. *non dignus ſum* ܕܐܓܗܢ *qui provolutus in terram corrigias ipſi ſolvam*: 1 Reg. XVIII, 42. 2 Reg. IV, 34. 35.

גִּיחוֹן *Nomen proprium fluvii Edenitidis*, Geneſ. II, 13.

Ante omnia moneo, Gihon, piſcinae et vallis ab occidente Hieroſolymae, ubi reges ungebantur, 1 Reg. I, 33. et fluvii Edenitidis nomina, non ſolum ſignificatione, ſed et derivatione diverſa videri: vallis et piſcina Hieroſolymitana Hebraicum origine nomen ſine dubio habuit, poteſtque, utcunque velis, ad radicem גוח, aut ad גחן referri; at fluvii nomen, ut poſtea videbimus, exterum, nec Hebraica etymologia turbandum eſt.

De

De fluvio ergo Edenitidis Gihone dicturus, eos plane omitto, qui praeter meras conjecturas nihil habent: sic Huetio orientale brachium est, per quod Tigris mari Persico illabitur, Clerico Orontes, ad quem mons Casius, (hunc enim pro regione כוש habet, quam Gihon totam circumeat, quamvis re-vera montis Casii vix aliqua parte radices alluens (*)) Relando Araxes; sed hos fluvios usquam nomen Gihon, aut quodammodo consonum, habuisse, non probant. Virorum doctorum conjecturas exempli loco posui: indoctorum monstra, quemcunque lubebat cujusvis terrae fluvium pro Gihone habentium, non conquiro.

Unus tamen, quantumvis manifestus error, non plane silentio praetermittendus, quod aliquam veri speciem offert. Nilum interpretatur Josephus, Ant. I, 1. 3. γηὼν δὲ, διὰ τῆς Αἰγύπτου ῥέων, δηλοῖ τὸν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον ἡμῖν, ὃν καὶ Νεῖλον Ἕλληνες προσαγορεύουσι i. e. *Geon, per Aegyptum fluens, ex etymo, ab Oriente nobis exoriens* (**), *quem Graeci et Nilum vocant.* Nec quidem negari potest, Nilum a LXX, Aegyptiarum rerum peritissimis, Jerem. II, 18. Γηὼν vocari, bonamque aut Africae aut Aethiopiae delineationem inspicienti, statim occurret, eum intimum Abessiniae regnum, Gojam, non, ut alias fluvii solent, alluere, transire, sed totum in peninsulae morem ambire et complecti, ut in eo verissima videri possint, quae Moses addit, *eum totam circumire Cuschaeam*, i. e. Aethiopiam.

Et

(*) Ammianus Marcellinus libr. XIV. c. 8. *has autem provincias, quas Orontes ambiens amnis, imosque pedes Cassii, montis illius celsi, praetermeans, funditur in Parthenium mare, Cn. Pompejus ditioni Romanae conjunxit.*

(**) Hoc etymon unde arripuerit, vix expedio. Contulitne נָגַהּ *ortus est sol*, נֹגַהּ *aurora?*

Et tamen quis tam incredibilia de paradisi fluviis confingat? Euphrati et Tigridi, quos a Mose memorari nullum est dubium, quis Nilum adjungat, non solum tanto locorum intervallo, sed et immensis transituque difficillimis desertis ab Euphrate sejunctum? Ne ea quidem parte, qua Aegyptus Palaestinae vicina est, adiri a primis mortalibus, Euphratis accolis, tuto potuisset, nec in horto, sed extra hortum Edenis fuisset, deserto Gesara, seu ut sacrae illud literae vocant, Schur, ab Asia diremta, quod descriptum vide ab Abulfeda, p. 14. 15. Aegypti, (11. 12. versionis Latinae). Sed et alia sunt, quae Mosen de Nilo intelligere vetant.

Primo enim nomen Γηὼν, non illi apud Aegyptios proprium est, sed Graecum, a γῆ, terra, q. d. *terrenus, multum terrae, limique vehens*, factitatumque a Graecis interpretibus, ad nominis Hebraici שיחור, quod, *luteum*, significat, etymon exprimendum: Graeco autem nomine non Moses certe, multoque minus traditiones antiquiores, quas libro inserebat, Nilum adpellaverint. Deinde vix opinabile, Mosen, si de Nilo loqueretur, alio illum nomine vocaturum, quam quo semper alias, יְאֹר, quod Aegyptiae adeo originis est: sed fac, eum ex antiquo monumento historico, quod excerpebat et sequebatur, nomen Nili illo tempore proprium retinuisse, quid erat, cur populo, ex Aegypto egresso, atque per multas hominum aetates Nili adcolae, fluvium a remota, quam circumit, Aethiopia describat, nec potius ab Aegypto, quam perfluit et rigat? Quidni potius dicebat: *hic est* היאר? aut, *hic est fluvius qui Aegyptum perfluit?* aut si Aethiopiae, lectoribus suis non valde notae, mentionem facere omnino destinatum habebat, quidni potius ita? *hic est, qui in Aethiopia ortus Aegyptum rigat.* Ergo Nilum plane abdicemus.

Nec

Nec opus eſt, in Africa Gihonem quaerere, cum in ipſa Aſia duo ſe flumina hoc nomen habentia ultro his offerant, qui non plane geographiae Orientalis expertes ſunt, copiaque potius quam inopia laboremus.

1) Pyramus, Ciliciae fluvius, adcolis Gihon dicitur, Abulfedae جيحان Vide illum p. 27. et 153. Syriae, ubi et dicit, eum Euphrati magnitudine non multum cedere. Hoc quidem ita intelligendum, ubi Euphrates verſus Occidentem deflectens proxime ad Gihonem Ciliciae accedit, utrumque fluvium magnitudine non multum diſparem eſſe. Ergo ex majoribus eſt fluviis, dignus qui a Moſe memoretur, vicinus etiam Euphrati, ut potuerit terra Eden a Tigride et Euphrate ad illum usque pertinere; nec forte nominis Eden veſtigia in Cilicia deſideraveris, urbem Adana habente. Obſtat tamen Pyramo, Ciliciae Gihoni, primo quod nulla hucusque, quam circumeat, regio כוש in Cilicia inventa: deinde quod paradiſus, et regio Eden, ſi Ciliciam usque et ad Pyramum pertinuiſſet, plane borealis Moſi fuiſſet, non ut ipſe eam Geneſ. II, 8. deſcribit, orientalis.

2) Magnus Chovarasmiae fluvius, in mare Aral influens, Oxus veterum, noſtris geographis Abi-Amu, Arabibus, ipſisque adeo in hunc diem adcolis جَيحُون, *Gihon*, vocatus. Vide *Abulfedae* Chovarasmiam, et *Abulpharagii* hiſtoriam dynaſtiarum p. 228. 266. 290. 292. 330. latinae verſionis: exque recentioribus, *Nicol. Witſen Noord en Ooſt Tartarye* Ed. ſec. anno 1705. factam T. I. pag. 368 ſeqq. In ipſa adeo Aſiae delineatione d'Anvilliana ei primo ubi auſtralior eſt nomen, *Gihon*, deinde ubi ſeptentrionalior, *Abî Amu* adjectum videbis. Hic licet ab Euphrate et Tigride, ad quem regio Eden ſita ſine dubio fuit, magno ſejunctus intervallo,

mira tamen regionum quas permeat, ubertate, et vel maxime inde commendatur, quod ad illum celebris et metropolis et ingens regio كاث est, de qua vide infra ſub כוש dicenda.

Mirum videri poſſit, idem fluminum tantis intervallis ſejunctorum nomen, idque et apud accolas obtinens, et Arabum geographos (*): ſed id inde repetendum videtur, quod, *Gihon*, late per Aſiam, nec una in lingua, ſed plurium populorum, adpellative *fluvium* ſignificavit. Perſas quidem flumina majora ita dicere ut جيحون الرس *fluvius Araxes*, جيحون قنق *fluvius Ganges*, auctor eſt Relandus §. 17. diſſertationis de paradiſo: Meninskyus quidem in ſuo lexico nomen non habet, ſed forte eſt peregrinum linguae Perſicae, atque ex alia Aſiae *ſeptentrionalis* lingua, neſcio qua, advectitium. Certe praeter celebrem Gihonem ſeu Oxum veterum, et hos habet fluvios Nicolaus Witſen in *Noord en Oſt Tartarye T. I. editionis ſecundae 1705 factae* pag. 498. *Dzjihöeni* (ſic ſuo more ج Arabum exprimit) *Hhaadzy dat is, de River van Hhaadzy.* — — *Dzjihhoen Atel, of de Volga* (dictus ita fluvius ab urbe, quam praeterfluit, Atel, alio nomine Chuzar) — — p. 500. *Dzihhoeni Abjas, Arabicum nomen, flumen album ſignificans*: ut omnino manifeſtum ſit, in Aſia boreali *Gihun* olim adpellativum fuiſſe, quod deinde quibusdam fluviis, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictis, ut proprium haeſit.

Quod cum ita ſit, forte alium itineratores fluvium invenient, deſcriptioni Moſaicae paradiſi aptiorem. Haec quidem legens: *fluvius ex Edenitide egrediebatur ad rigandum hortum, indeque dividebatur habebatque quatuor fontes*, (ראשים (**)) non credat, *Euphratem, Tigrim, Gihonem et Fiſonem*, quatuor fluvios eſſe, ex Armeniae montibus

(*) Notatu dignum, utramque regionem et *Schichonem* fluvium habere.

(**) Vide lex. ſub ראש.

tibus ortos, qui deinde confluant, unumque magnum flumen faciant? De Euphrate et Tigri res certa, de Fisone verisimilis, ut sub ejus nomine docebo: solus Gihon superest, non conjecturis eruditorum, sed itineribus investigandus, spesque est, investigari forte posse, si quis illa in loca perveniat, in quibus Euphrates Tigrisque oriuntur. Nobis quidem illa regio prope incognita, licet id certum sit, multa flumina ex montibus Armeniae orientia, confluere: ipsos Euphratis fontes quis adiit? Nili quidem fontes, olim ignotos explorarunt Europaei, Euphratem ex terra erumpentes se vidisse, nemo retulit. Graeci et Latini quae de his regionibus fluviisque referunt, ea jam nihil ad nos, nominibus enim utuntur, non quibus ab accolis vocantur, sed quas Graeci indiderunt. Arabum geographi de his ipsis ad ortum Tigridis Euphratisque regionibus parum retulerunt copiose, quod eos montes nemo adierat et exploraverat. Nec eruditorum nostrorum quisquam ea adiit. Possunt et illa suum habere Gihonem, Euphrate etiam aut Tigride majorem, atque alterutri mixtum, nobis ignotum. Ergo, donec illa loca exploraverimus, nihil de Gihone aut Fisone Mosis statuamus certi: teneamus, multorum inde a Chovarasmia ad Ciliciam fluminum nomen fuisse, barbarum, ex adpellativo proprium factum, ex quibus Gihon quidem Chovarasmiae, terram كاش circumiens, sit Mosis descriptioni satis aptus, ita tamen, ut meliorem, qui aut Euphrati misceatur aut Tigridi, quaeramus, simusque fortassis inventuri.

גֵּאָה, גֵּי, גֵּיא, גַּיְא *vallis.*

Jam alia occasione dixi, quod hic quaesiverint lectores, esse ab Arabico جاء pro جياء *venit*, sed cujus prima vis in *confluendo.* Ipsis Arabibus جَيْأَةٌ et جِيأَةٌ *receptaculum aquae, locus, quo confluit*, جِبَّةٌ *locus in quo restagnat aqua*, quod in vallibus facere solet.

Arabibus nomen generis est feminini, atque ita et Hebraice, sed defective scriptum, גֵּאָה, occurrere arbitror, Jes. II, 12. male a Masorethis גֵּאֶה (*altum*) punctatum. Parallelismus utriusque membri, et oppositio גאה ad רם, non *altum*, sed *vallem* poscit: (Biblioth. Or. T. XIV. p. 193. 194.) In plurali certe apud Hebraeos quoque formam adsciscit femininam, גֵּיאוֹת, ut quidem Ezech. XXXV, 8. atque in Cthib 2 Reg. II, 16. Ezech. VI, 3.: Keri enim horum locorum גֵּאָיוֹת, quod et in textu Ezech. VII, 16. XXXI, 12. XXXII, 5. XXXVI, 4. legitur, (c. VII, 16. XXXII, 5. cum varietate lectionis גיאות) sphalma librariorum existimo, Jod transponentium, non dignum, cui Coccejus tantum tribuerit, ut vallem ad radicem גאה *altus fuit* referret, ita dictam arbitratus vallem, quod *in altum erigeretur.*

Solus interpretem turbare possit locus Num. XXI, 20. ubi הגיא *vallis* memoratur, *caput Pisgae, prospiciens super solitudinem*, nulla lectionis varietate, praeter duorum codicum הגאי, transpositis literis, quod ad radicem גאה *altus fuit* referre, si lubeat, possis. Mihi quidem planities intelligi videtur in descensu montis, summo ejus jugo subjecta, sed editior campis, per quos late prospicit vertex planus humilioris promontorii.

גְּבִים a r. גיב.

Non dubito quin recte lexicographi 2 Reg. III, 16. *fossas* vertant, quibus aqua ex largo imbre innatans campis excipitur, ipsa cogente orationis serie: male tamen ad גָּבָא relatum a plerisque video, cum potius ad radicem جيب *secuit*, de qua p. 246. dictum, sit referendum. *Cisternas* maluerunt S. R. Ravius et *Kuiperus in diss. in varia V. T. loca* p. 6. quas notante Benjamine Tudelensi Aleppenses אלגוב (الجبّ) dicant: verum cisternae nostro loco vix satis conveniunt, quippe quae nequeunt unius diei opera extemporanea parari.

Eandem

Eandem *fossarum* notionem ad Jerem. XIV, 3. plerique transferunt, male, ut mihi videtur: fossae recte parantur largo imbre exspectato; at in magna siccitate quis ad fossas mittat, aquas quaesitum? Nec vel Ravii placent *cisternae*, quas domi suae habent ditiores, Jeremias enim de re loquitur, quae domo procul. Ergo malim, praeeuntibus LXX, *puteos* intelligere, publicos, forte in campo, in montibus, ipsos quoque a secando et fodiendo dictos. Syris ܓܘܒܐ (quo nomine et hic interpres utitur) Arabibus جُبّ *puteus*, a גבב, a qua radice si et hic malis גֻּבִּים efferre, me sane contradicentem non habebis.

Ex Theodotionis et Vulgatae interpretatione Jes. XXXIII, 4. גבים (quae nobis locustae) *fossae* sunt. Habet interpretatio, quod placere possit, solent enim locustis ingruentibus fossae duci, in quas compelluntur, possitque משק et שָׁקַק ad سوق *propellere* referri, (quamquam non ita Vulgata, sed, *velut cum fossae plenae fuerint de brucho*): at plane obstat, quod ex hac versione locustarum nomen aberit, praedicatumque habebimus sine subjecto.

2 Reg. XXV, 12. Cthib habet גבים, (pro יגבים) itemque codex 96. Jerem. LII, 16. atque sic et Jerem. XXXIX, 10. legisse videntur Theodotion et Latinus, ὑδρεύματα, et *cisternas* vertentes. Mihi quidem גבים optime hic locum habere posse videtur, a *secando* dicta *aratione*, duplici, prout sequens כרמים extuleris, sensu, utroque bono: reliquit in Judaea praefectus praetorianorum pauperculam turbam, sive

1) secundum puncta, לְכֹרְמִים וּלְגֹבִים *vinitores et aratores*, sive

2) לִכְרָמִים וּלְגֵּבִים *vineis, et agris:* Vide supra sub גֵּב scripta. Architectonico sensu occurrit 1 Reg. VI, 9. obscuriusculum, ut plera-

 que

qua architectonica, insuperque *ἅπαξ λεγόμενον*, duplicem etymologia offerente explicationem:

1) A secando possint esse, *ligna secta atque asciata.*

2) *Trabes arcuatas* multi recentiorum intelligunt, atque etiam ipsa *arcuata laquearia* vel *lacunaria*, pro quibus adferri possit جيب *sinus*. Vide supra scripta sub גב p. 247. 248.

Alterutrum ex his voluerunt LXX. et Vulg. *Φατνώσεις*, *laquearia*, vertentes, quae inter optionem relinquens lectoribus, gratum tamen me illis facturum spero, si Raschii explicationem adscripsero. *Ex mea*, inquit, *sententia sunt tegulae concavae, ad instar dimidiae caunae rotundae*, (quas nos quidem germanice *Hohlziegel* dicimus, Galli *faitière*; *imbrices* aliqui latine) *quae sunt ad domos contegendas. Erant* גבים *supra, et* שדרות *infra:* שדרות *autem erant tabulae cedrinae supra* (vel potius infra, si praecedentia vera sunt) גבים. Non nego, imbrices גבים dici potuisse, ab excisione i. e. excavatione, unde et ܓܒܘܒܐ Syris fistula: sed hic locum omnino non habent: templi tectum tegulis non instratum fuit, nec imbricatae tegulae leniter incurvato Orientalium tecto aptae.

Chaldaeus הנחוכין vertit, quod quid sit idem Raschius, fidissimus Chaldaei commentator, ignorare se fatetur, addens, audiisse ex aliis, *tabulas esse pulchre contextas, quas Germani* Himmel, *Galli* Ciel *vocent.* Sic jam *laquearia* forent. Sed et Chaldaeus idem voluisse videri possit, quod Raschius, imbrices, a נחך *fudit*, ducto nomine, ut proprie sint, *canales excavati.*

Ex his si quam meorum cogitatorum summam facere oporteat, גבים erunt, *laquearia, tabulae politae atque ornatae*, arcuatae quidem, nec tamen ab arcuata forma, sed a sectione dictae. Vix tamen certi aliquid aut verisimilius reliquis statuere licet, nisi et sequens שדרות expediatur, quod vide suo loco.

גִּיד *nervus, tendo, ligamentum.*

Genes. XXXII, 32. (al. 33.) Jes. XLVIII, 4. Ezech. XXXVII, 6. 8. Job. X, 11. XL, 17. (al. 12.) *Nervum* vertunt lexicographi, praeeuntibus versionibus antiquis, et concinente lingua Aramaea utraque: nec dubito, quin recte, est tamen monendum, *nervi* (νεύρου) nomen latius a veteribus sumi, quam a nostris medicis et anatomicis, atque complecti horum et *tendines*, et *ligamenta*. Eadem latitudine et Hebraicum גיד poni videtur, idque vel primum in quo occurrit locum Genes. 32. dubium reddit. Posteri Israelis vesci nolle dicuntur, גיד הנשה, ut ad literam atque omni Hebraici verbi ambiguitate reddam, *nervo tendinis Achillis, quod* (is, cum quo Jacobus luctabatur), *acetabulum femoris Jacobi percusserat* בגיד הנשה, *in nervo ejus tendinis Achillis*. De ipso quidem Achillis tendine, cui נשה nomen esse suo loco videbimus, cogitari plane non potest, non solum, quod ab acetabulo femoris satis remotus, sed quod eo nemo omnino mortalium, si vel nullo cognationis gradu Jacobum attingat, nemo Graecus, nemo barbarus vesci velit. Possis autem ambigere inter

1) *nervum ischiaticum*, nescio quam ob caussam a tendine Achillis dictum, forte, quod veteres putarent, nervi ischiatici continuationem tendinem Achillis esse.

2) *ligamentum, quod os femoris acetabulo femoris conjungit.*

Res dubia, de qua malim medicum, sed philologo audito, sententiam dicere, quam philologum. Ligamento quidem, (sed a medicis inerudiri velim) duo mihi obstare videntur: primo, quod plane non intelligo, quo, non solum jure, sed et adeo errore veterum, hoc ligamentum in ipso ossium medio potuerit ab Achillis tendine גיד נשה dici; deinde quod, si illud, ut volunt ruptum fuisset, atque os femoris ex acetabulo excidisset, (quorum nihil clare Mosen habere infra

sub

ſub יקע et תקע diſputabo) proximo quidem mane non claudicaturus fuiſſet Jacobus, ſed omnino pedibus inſiſtere atque incedere non potuiſſet, donec non ſolum os reſtitutum in acetabulum eſſet, ſed et abruptum ligamentum denuo, ſanata ut fieri poſt reſtitutionem ſolet ruptura, coaluiſſet. Ergo, donec meliora docear a medicis, *nervum* malim *iſchiaticum* intelligere, ex gravi ictu, qui et acetabulum femoris percuſſerat, dolentem; unde claudicatio. Judaeos quidem hic nemo rerum peritus conſuli juſſerit: ipſi quidem non plus nobis hac de re ſcire poſſunt, ſed et non pauci eorum ignorantiam eo usque fatentur, ut hac tota parte carnium abſtineant. Dicunt, alibi locorum eſſe peritos hujus nervi exſcindendi, alios autem ac pleroſque, quod ignorent, malle has partes chriſtianis comedendas relinquere.

Jeſ. XLVIII, 4. *cervix tua eſt nervus ferreus*, mihi quidem veriſimillimum, *ligamentum* intelligi, *ab oſſe occipitis ad proceſſum dentiformem vertebrae ſecundae tendens, atque caput erigens*: niſi malis alia prorſus ſignificatione ex Arabico جيد, *collum*, interpretari, *collum ferreum eſt cervix tua;* aut, quod amicorum alicui in mentem venit, ſed poſtea ligamentum tamen praeferenti, *medullam ſpinalem*. Medici viderint, ſuarumque ſcholarum exotericum doceant.

In Ezechiele utriusque generis nervos, tendines et ligamenta complecti videtur, forte et Job. X, 11. quamvis ibi et de ſolis tendinibus cogitare poſſis. Job. XL, 17. tendines ſine dubio ſunt, non ligamenta.

Nomen cum ſolis Aramaeis dialectis atque Samaritana commune habet lingua Hebraica, Syris quidem Jod mobile ܓܝܕܐ facientibus. Arabes ergo ſemper alio in vertendo verbo utuntur, عِرْق Geneſ. 32. et Job. 40. عَصَب reliquis locis. Etymon, unde dici potuerit, nullum ſe ſub radice גיד offert: eſtne ergo formae Peil a נגד *traxit?* Nihil definire auſim.

גִּיל *aetas.*

Dan. I, 10. אשר כגילכם vertendum esse, *coaetanei, aequales vestri*, certum, monuitque et Simonis, ex Arabia petendam opem esse. Nempe جيل *agmen, gens, natio*, et جَوْل *grex agmen.* Propius adhuc ad Hebraicam significationem accedit Samaritanum גיל *generatio, aetas.* Thalmudicis בן גילו adstrictius etiam, *eadem hora*, et *sub eadem constellatione cum altero natus.* Etymon incertum. Estne a جول in *orbem* ire, tempore ab orbe seu rota dicto? Praeivit partem derivationis Buxtorfius, in lexico Chaldaico-Thalmudico, p. 423. *forte a* גלל, *quod significat revolutionem coeli aequalem:* sed nimis ad solam astrologicam Rabbinorum significationem, et minus ad grammaticam, Jod enim mediani ratio reddi ex radice גלל nequit. Quod tamen objiciens nolim inficiari, جول Arabicum, et גלל Hebraicum, idem verbum esse, permutatis, ut saepe fit, media rad. geminata, et media Jod quiescente, Arabibus enim جَلّ alias omnes significationes habet. — — Jam si tentare aliquid etymologici liceat, גיל *orbis, rota*, esto, hinc *tempus*, et *aetatem* dixerint Orientales, a tempore *generationem*, ab orbe et *gregem*, qui noctu in orbem a Nomadibus cogitur, دُوَّار Arabibus dictum, a grege, *agmen hominum*, et *populum*. Huc et refero Job. III, 22. השמחים אלי גיל *qui gestiunt viso aequali, laetanturque invento sepulcro:* de his ponitur, qui mortem exoptant, conspectoque sepulcro his, quorum socii esse cupiunt, laetitiam mutua congratulatione significant: itemque Hos. IX, 1. *noli laetari* אל גיל *ad similem, ut gentes*, i. e. similiter ut gentes, i. e. *tibi, Israel, delicta non ita impunia erunt, ut aliis gentibus.* Vide utrobique versionem germanicam.

גִּיר *calx* Jes. XXVII, 9.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod recte calcem interpretantur lexicographi, monen-

monente Simonis, Arabicum جار Deut. XXVII, 2. esse, *calce obducere.* His addiderim ex Golio, جَيَّار Arabibus *calcem* esse *vivam*, (atque de hac quidem et Jesaiam loqui manifestum, *lapides calcis* habentem). Derivatio incerta, forte ab aestu, quod adfusa aqua fervet calx viva, collato جَائِر *aestus pectoris.* Sed hoc in incertis relinquo: possit enim secus sentienti calx permutatione med. rad. geminatae et quiescentis dicta videri a جَرّ *concha*: calx praestantior ex conchis marinis.

גִּישׁ vel גֵּשׁ *exercitus.*

In bibliis, qualia ex manu Masoretharum habemus, nuspiam occurrit. At verba Job. XL, 19. העשו יגש חרבו, omni bono sensu cassa, insuperque et in prima voce anomala (suffixum enim habentia regulariter non admittunt He praefixum) sic malim dispertiri, הָעֲשׂוּי גֵּשׁ חַרְבּוֹ, aut secundum quatuor codices יגיש habentes, הָעֲשׂוּי גִּישׁ חרבו, ac vertere, *factus exercitus belli ejus*, i. e. *factus exercitus Dei bellicus.* Nempe جَيْش, notissimum vocabulum, exercitus. De elephante, quem ut pacatissimum descripserat animal, dicit, ita tamen a natura factum et formatum, ut exercitus Dei bellicus esse possit. Egregie sane et naturae belluae apte dictum, quam postea et humanum genus bellis, obterendisque hostibus adsvefecit.

גלל *magnus, gloriosus fuit, volvit.*

Distinguenda in hoc verbo duplex significatio,

1) quam apud Arabes et Samaritanos habet, *magnus, gloriosus, illustris fuit*, quae huic radici propria ac sua fuisse videtur.

2) quam Hebraei cum Chaldaeis Syrisque communem habent, *volvendi.* Haec nisi fallor, permutatione verbi med. rad. geminatae et med. rad. Vau, ex גול, جال *in orbem ire*, videtur adscititia.

Schul-

Schultensius quidem in notis ad Hamasa p. 422. Arabico quoque verbo *volvendi* notionem adserere conatus est, sed exemplis usus, nihil probantibus, quippe in quibus notior magnitudinis significatio egregie locum tuetur: idemque, utramque significationem conjuncturus, magnitudinem vult a volvendo dictam esse, quod magna et gravia volvantur. Nimis artificiosum videtur etymon; nec sola gravia, sed et levissima volvuntur, ut, de quibus mox dicam, festucae, pulvis &c.

גָּלָל vel גֵּלֶל *stipula* Job. XX, 7.

גָּלָל *stercus* esse, forte a forma cylindrica ita dictum, non inficior: at Jobi loco c. XX, 7. *si ascendat ad coelum, caputque ejus ad nubes pertingat, ut . . . .* (כגללו) *aeternum peribit, quique illum viderant dicent, ubinam est?* hanc significationem plane non convenire arbitror, cum ob nimiam obscenitatem, tum quod vix dici potest, *hominem perire ut stercus ejus.* Perire, si de corruptione sumitur, stercus jam periit, non peribit: et quaeso quid est in stercore, *perire in aeternum?* ejusne reditum aut conservationem quisquam in votis habeat? Si perit, in melius mutatur, in uberem glebam herbas alentem. Praeiverunt tamen hanc minime venustam explicationem ex veteribus Chaldaeus et Vulgata. Schultensius adeo, qui juvenis substituerat, *peribit secundum majestatem suam* (a جلّ, *magnus illustris fuit*) in commentarium tamen iterum stercus recepit, *sicut stercus ejus in purum putum abibit,* deteriorem etiam hoc puro puto sententiam faciens.

Mihi quidem unice placet Syriacum conferre, ܓܠܐ *festucam, paleam*, a vento nempe agitatam et in orbem rotatam, Chaldaicumque גִּלָּא *stipulam*, suffixumque ad nubem referre: *stipula nubis est*, stipula a vento abrepta et in nubes evecta. Insignis sententia: *nubis instar in caelum se sceleratus effert, sed ut stipula in nubes a vento abrepta dispenbit.*

ſperibit. Viae ducem ipſum habui Syrum interpretem, qui ܥܠܥܠܐ vertit, i. e. non ut habet latina in polyglottis verſio, *fumum*, nec ut lexicon, tempeſtatem, ſed, *ſtipulae pulverisque vorticem*; Arabs certe, Syriaca interpretatus, repoſuit, عجاج *pulverem.* Eandem ſtipulae in orbem actae ſignificationem recte in cognato quadrilitero גַּלְגַּל agnovit Simonis Pſ. LXXXIII, 14. Jeſ. XVII, 13. praeieratque jam in Jeſaia Syrus, ipſiſſimum ܥܠܥܠܐ ponens, et LXX. κονιορτὸν vertentes.

גַּלְגַּל *rota*, *turbo.*

Rotam ſignificare notum, *feſtucas in orbem a vento raptas*, Simonis monuerat, et vix dum dixi, exque verſionibus confirmavi. Una notanda inſignis ſignificatio, interpretibus non ignota, ſed a lexicographis plerumque praetermiſſa, *turbinis*, vorticis venti in ſe ipſum rotati. Sic ſine dubio occurrit Pſ. LXXVII, 19. *fragor tonitru tui* בגלגל *in turbine*: ubi nimis proprie, atque et obſcure, et jejune, veteres, *in rota*, lexicographique rotam coeli interpretati ſunt, male compoſta imagine. Notanda haec ſignificatio maxime ad locum difficiliorem Ezech. X, 13. ubi propheta de rotis currus tonantis, antea אופנים dictis, *has vero rotas me audiente GALGAL vocabat*, nempe coeleſti et magnifico nomine, quod et turbinem ſignificare poſſit. Syris quoque ܓܠܓܠܐ apud Caſtellum, *turbo.*

גָּלִיל *cylindrus, tornatum opus* Cant. V, 14. Eſther. I, 6.

Annulos utrobique habere ſolent recentiores, ita veteribus ignotos, ut pro hac ſignificatione teſtem quaerens adducere nullum poſſim, praeter Syrum, Eſth. I, 6. ܓܠܓܠܐ *rotas*, vertentem, quas, ſi cui volupe, in annulos mutare poſſit. Nec etymon favet, annuli enim non volvuntur: inque Cantico ſententia prodit parum probabilis, *manus tuae ſunt annuli aurei.*

Quid

Quid si, ut a volvendo Syris ܓܠܠ rotundus est, גלילים sint *cylindri?* in Estherae quidem libro perticae rotundae, ex quibus vela dependebant? Difficilior Cantici locus, ידיו גלילי זהב, *manus ejus sunt cylindri aurei:* de digitis si acceperis, illi quidem, Henna infecti aureoque inde colore, cylindri dici aurei possent; at audax est, ubi *manus* nomen legimus, ad solos transferre digitos. LXX, Vulg. et Arabs *tornatiles* verterunt, perfecto, ut videtur, artificio elaboratum opus intelligentes: quod quidem praefero. Tornamus, in orbem circumagendo, unde tornare recte גלל dici possit. (*Seine Hände sind, als wenn sie gedrechselt wären*).

גלילה Jos. XIII, 2. XVIII, 17. XXII, 10. 11. Ezech. XLVII, 8. Joel. IV, 4. *tumuli arenae, littus, planities.*

A masculino גליל, unde quaestio de hoc vocabulo quodammodo et pertinet ad Galilaeae nomen, גליל et plenius גליל הגוים *Galilaea barbarorum.* Nec equidem de etymologia nominum propriorum geographicorum valde laborare soleo, quae plerumque in incertis et minutiis versatur; hic tamen quaestionem de nomine proprio et adpellativo non prorsus sejungere datur.

Ante omnia monendum, bis גלילה hac constructione cum Philistaeis occurrere, גלילות הפלשתים, Jos. XIII, 2. Joel. IV, 4. Vulgata in Josua, LXX in Joele pro nomine proprio Galilaeae habentibus, et *Galilaeam*, Γαλιλαίαν Ἀλλοφύλων, vertentibus: quod quidem plane repudiandum. Primo enim Galilaea nimis a Philistaea remota, quam ut *Galilaea* dici Philistaeorum potuerit; deinde si vel divellas utrumque nomen, ut Vulgata fecit, *Galilaea*, *Philistim*, in Josuae libro primum locum in partibus Palaestinae obtinet, armis Josuae nondum devictis, quod in Galilaeam non cadit, collato capite praecedente.

Recentiores, *terminos*, vertere ſolent, quod et in lexica receptum, ac plerisque locis egregie aptum. Praeiverunt ex veteribus Joſ. 13. LXX et Vulgata, inque Joele, Chaldaeus et Vulgata, ac praeter hos, niſi ubique, certe Joſ. 22. Ezech. 47. Joel. 4. Symmachus. Addunt et etymon, terminos a volvendo dici, quod non recta linea eant, ſed Maeandri more volvantur. Uſu tamen linguarum Orientalium ſignificatio deſtituitur, et loco Joſuae c. XVIII, 17. plane inepta videtur, *terminum* (גבול) *ire ad* . . . . *et ad terminos* (גלילים) *et porro ad* . . . . ? Ergo hoc certe in loco, ſeu quod idem videtur, in toto Joſuae libro, haec ſignificatio abdicanda.

Aquila θῖνας, i. e. *colles ſabuli* reddidit Ezech. 47. et Joel. 4. ac forte ubique, unde et Vulgata ab Hieronymi manu Joſ. 18. *tumulos* habet, et Ezech. 47. *tumulos ſabuli orientales*. Etymon quidem facile et expeditum, (multo, quam in finibus, facilius) tumuli enim arenarum cum a *volvendo* tum a *rotunditate* dici potuerunt. Eſt et loco Ezechielis ſatis apta notio, flumine egrediente ad arenoſa deſerta, quae Hieroſolymae ab Oriente ſunt: itemque locis, ubi גלילות פלשתים memorantur, pars enim Philiſtaea ſabuloſa, tota vero regio litoralis, potuerint ergo, ut Graecis, ſic et Hebraeis litora a collibus ſabuli dici, *litoralia Philiſtaeorum*. Nec abludit Joſ. 18. potuerit enim limes ab Enſchemes ad *colles* aliquos ſabuloſos duci. In ſolo גלילות ירדן Joſ. 22. laborari poſſit, Jordane plerumque per uber ſolum fluente, niſi forte et hic ripas, aeque ut alibi litora, deſignet. Sed forte huic loco alia ex ſequentibus lux adfulſerit.

Syrus ܓܠܝܠܐ retinere ſolet, ut ſua in lingua notum, quod ipſum Arabicus Joſuae interpres, Syriaca non Hebraica vertens, c. XIII, 2. XXII, 10. 11. أَغْوَار *valles*, ſeu *planitiem* reddit, poſtremo quidem loco ad ſententiam egregie, *valles* enim ſeu *planities Jordanis*,

(أَغْوَارُ آلْأُرْدُنّ) quae sint statim videt geographiae vel modice peritus, *planities montibus ab utraque parte inclusa duorum aut trium milliarium germanicorum latitudine, per quam Jordanes a mari Galilaeae usque ad mortuum labitur*, quibus hoc ipsum nomen apud Arabum geographos, ut proprium haesit. Difficile, Arabi Syriaca vertenti quidquam negare, utriusque linguae perito, ergo et hoc vere dixisse videtur, et ܓܠܝܠܐ Syris sive *vallis* fuerit, ab orbe et rotunditate dicta, sive *planities*, quod sabulosae regiones planae esse solent.

Licebitne jam, *finibus*, *terminis*, repudiatis, hanc meorum cogitatorum summam facere, non certorum, sed verisimilium. גלילות sunt 1) *colles arenae*, a volvendo dicti, ita plerumque ponitur: hinc 2) *litus maris*, plane ut graecum θὶν, ab arena quae ibi accumulata. Hinc et litoralia Phoenices nomen acceperunt, et ipsa Galilaea, גליל גוים *litoralia barbarorum: (die Küste der Fremden)* 3) *planities*, nempe quod sabulosa plana. Sic accipitur ubi גלילות ירדן reperitur, *planities*, *vallis*, *per quam Jordanes labitur*.

Jam et statues, unde nomen habeat,

גליל גוים *Galilaea* barbarorum, nempe, me judice, ut vix dum dixi, *litoralia barbarorum*, quod ad mare sita. Sed alias praecedentis nominis significationes si praeferas, possis et hoc vertere, *fines barbarorum*, *limitanea barbarorum*, quod ad extremum est Palaestinae limitem, *valles barbarorum*, eam si partem Galilaeae intelligas, quae πεδίον μέγα vocatur. Unam caveas in Simonis onomastico pag. 60. datam interpretationem, *in rotundum flexum et circumdatum, circulus*. Cui unquam, delineationem geographicam inspicienti, Galilaea visa est rotunda?

בגליל

בִּגְלַל *propter.*

Eſt nomen גלל, Arabice جلال *magnitudo*, *honor*, cum praefixo ב, ut ab eodem nomine Arabes praemiſſo مِن dicunt, مِن جلالك *propter te*, proprie, *magnitudinis* vel *honoris tui cauſſa*. Neglecto tamen etymo ponitur etiam in deteriorem partem, ut, de poenis irrogandis.

גָּלָה

Duplex ſignificatio verbi, *migravit*, et, *retexit*, *revelavit*, ita mihi diverſae videntur, ut vix auſim cum Schultenſio unam ex altera derivare. Saepe quidem id verbis tertiae radicalis ה accidit, ut duas diverſiſſimas ſignificationes habeant; nempe quod orta ſunt ex diverſis radicibus, tert. rad. Vau et tert. Jod, quas Arabes diſtinguere ſolent. Id quidem hoc in verbo Arabes non faciunt, ſolum جلا pro جلو utraque ſignificatione habentes: ſed forte olim *retegendi* et *migrandi* notiones verbis جلو et جلى fuerunt diſpertitae.

Solum Golii lexicon ſub جلا evolvens, videbit, retegendi ſignificationem a *nitendo* ortam, primam vim verbi eſſe, *enituit*, *adparuit*, *clare*, *refulſit*, inde tranſitive et dici, *niteſcere fecit*, *polivit*, *velum retexit*: idque dudum ante me Schultenſius, cui debeo, aliique monuerunt. — — Emicandi ſignificatione et vero vegetabili, *emicat ex terra*, acceperunt Syrus et Chaldaeus Proverb. XXVII, 25. גלה חציר, ܦܩܥ *germinavit*, quo tamen loco poſſis et migrandi ſignificatione accipere: *migrat gramen*, *eique ſuccedit* דשא, nec diſſimulo me ambigere. At Jerem. XXXIII, 6. גִּלֵּיתִי לָהֶם עֲתֶרֶת שָׁלוֹם ex hac ſignificatione vertendum arbitror, *eniteſcere* i. e. *oriri*, *germinare illis faciam initium* (quaſi germen) *felicitatis*. Vide verſionem germ. et ſub עתרת dicenda.

גליון

גִּלָּיוֹן et גִּלְיוֹן.

Plane adſentior melioribus lexicographis, maximeque Coccejo, גִּלְיוֹנִים Jeſ. III, 23. eſſe ſpecula, (praeeuntibus Chaldaeo, Hieronymo, et plerisque Judaeorum), גִּלָּיוֹן Jeſ. VIII, 1. *tabulam ex marmore polito*, ut opinor, cui verba a Deo praecepta inſcribenda erant. Haec modo addo, primo etymon recte a doctiſſimo Schroedero de *veſtitu mulierum Hebr.* additum, a جلي *polire*, licet de ſpeculis diſſentiat; deinde, nullam me cauſſam videre, cur, ut fecerunt Maſorethae, punctis גִּלָּיוֹן et גִּלְיוֹן diſtinguenda ſint: unum idemque vocabulum utramque vocem duco, ac *politum* ſignificare, ſive *marmor* ſit, cui quid inſcribitur, ſive *metallum*, i. e. *ſpeculum*, ſpecula enim antiquorum ex metallo. Schroederus in libro citato Jeſ. III, 23. *veſtes pellucidas* mallet, quam ſpecula, praeeuntibus LXX, de quorum verſione, διαφανῆ λακωνικὰ copioſe et docte diſſerit, adferens etiam Arabicum, جَلْوَة, quod pellucidam veſtem ſignificare autumat, atque ex Gemara Babylonica tr. Joma, pellucidam Eliezeri veſtem, quam ei geſtare per fratres non licuerit, quod licet ſexies duplicatis filis, eſſet tamen, ut vir in vitro. Mihi quidem جلوة veſtem eſſe pellucidam non perſvaſit, unum video, ſplendidam et fulgentem eſſe. Nec pellucidae veſtes feminarum honeſtarum pudori Orientis conveniunt, contra ſpecula a feminis geſtata certum, (vide Clericum ad Exod. XXXVIII, 8.) quod ne quis nimis miretur, liceat referre, me talem ornatum belli ab anno 1757 geſti tempore vel in viris militaribus vidiſſe, equitibus Gallorum galeatis, quorum non pauci exiguum ſpeculum in galea verſus frontem geſtabant.

גלם *ſecuit*, *percuſſit*.

Non niſi ſemel occurrit 2 Reg. II, 8. de Elia, Jordanem pallio ſuo percutiente et ſecante. Arabibus جلم eſt, *ſecuit*, unde et tonſuram

furam ovium dicunt, et mactationem, et جلم (tonsos) greges ovium, maxime pecudum genus, quarum pedes crine nudi sunt, *lunamque novam*, quasi abscissam et resectam: Syris *percussit*, unde in Ethpeel ܐܬܓܠܡ *percussus fuit*. Quae cum ita sint, non dubito, quin et in libro Regum ita accipiendum sit, ac verba, ויקח את אדרתו ויגלם ויכה את המים vertenda, *sumsitque melotem suam verberavitque* (vel etiam, *secuit*) *et percussit aquam*.

Video ab omnibus hic me destitui. Recentiores cum interpretes tum lexicographi fere unanimiter vertunt, *convolvit* (pallium), nisi quod Schultzius *exsuendi* significationem verbo dedit. Nec nego et veteres qui nobis supersunt, uno excepto Arabe, convolvendi significatione accipere. Sic LXX. Vulg. Hieron. Chaldaeus, Syrus. Sed obstat, quod eam lingua Arabica et Syriaca plane ignorat: si quid adfertur auctoritatis, ex sola petitum est lingua Rabbino-Chaldaica et Thalmudica, ubi a Syriaca destituitur, ob rationes alibi dictas parum fida magistra.

Schultzius, quem dissentire dixi a reliquis, *nudandi* significatum verbo ex Arabismo dedit. Haec quidem et olim mea fuit explicatio, in collegiis tradita, vertebamque, *melotem exsuit*: sed abdicavi. جلم a Golio inter alia redditur, *nudavit carne de ossibus ablata mactatae camelae membrum*: manifestum, totum hoc fluxisse a mactatione, nec posse ad pallium, quod exsuimus, tuto transferri.

Arabs, cujus mentionem feci, a Graecis hic discedens, nec melotem sed cidarim intelligens, حل *solvit* reddidit, (*solvit fasciam capitis*). Hoc unde habeat, non expedio.

גלם *chondrus; alica, primum pellucidum corpusculum quod post conceptionem adparet, et in quo sensim crescente embrio inest.*

Et hoc vocabulum non nisi semel obvium, Ps. CXXXIX, 16. nec longe a vero aberrare per filum orationis potuerunt interpretes, *embryonem*, aut prima *stamina corporis humani in utero matris* intelligentes.

Ἀκατέργαστον LXX et Aquila vertunt, exque illis Vulg. *imperfectum meum*, Arabesque, بدء اعمالي *initium confectionis* meae: Symmachus ἀμόρφωτον, *informe* Hieronymus: paulo liberius Chaldaeus גושמא corpus (*): Thalmudici denique et Rabbini, de quibus vide Buxtorfium p. 441. 442. nomen Hebraicum, ex sua interpretatione suam in linguam translatum, pro *rudi massa*, et *embryone* ponunt. Vera haec aut vero proxima, sed molestum, quod praeter Rabbinicam, recentiorem illam et ex placitis magistrorum vocabula Hebraica sumentem, nulla Orientis lingua sub גלם aut rei imperfectae aut embryonis significatum, ac ne etymon quidem his significationibus aptum habet.

Hic vero eximiam et insperatam lucem, qua ipse non bene usus est, praefert nobis, Hebraicae linguae peritus, ex Judaeis inque ipsa Palaestina natus, Epiphanius. In haeresi XXX, quae est Ebionitarum, §. 31. docet, Γολμὴ Hebraeis esse, *chondrum*, (seu ut latini dicunt, *alicam*) — — *chondrum ex grano tritici resectum*, idque eo facilius credo viro docto, quod Arabia etymon ultro offert: chondri fiunt ex granis tritici, pellicula atque extremitatibus resectis, unde a جلم *secuit* optime nomen nancisci potuerunt. Hac vero luce, ut dixi, uti non datum Epiphanio, *chondrum* opponi arbitrato *granis mola*

(*) Syrum ne quis a me omissum conqueratur, moneo eum aut legisse, aut ignoratione vocabuli legendum conjecisse, גמולי, ac vertisse, ܦܘܪܥܢܝ *retributionem meam.*

la in farinam contusis, panique inde cocto. Sic ille: Ὁ δὲ Ἑβραικὸς θαυμαθῶς τὸ ῥῆμα σαφανίζει. Τὸ γὰρ κατέργαστον ΓΟΛΜΗ ἐκάλεσεν, ὅπερ ἑρμηνεύεται χόνδρος, ἢ σεμιδάλεως κόκκος, δῆθεν τὸ μηδέπω εἰς ἄρτον συνελθὸν καὶ φυραθὲν, ἀλλ᾽ ὡς ἀπὸ κόκκου σίτου τμηθὲν, χόνδρα, ἢ χονδρίτης, ἢ λεπτὴ ψηφὶς ἥτις ἐκ σεμιδάλεως γίνεται &c. &c. *Quo pertinet illud e psalmo 138. "in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur et nemo in eis." Nam cum libro uterum comparavit, propterea, "imperfectum, ait, meum viderunt oculi tui;" hoc est, proseminatum me, antequam fingerer, cognosti, immo etiam antequam proseminarer. Quod Hebraicus quidem textus mire declarat. Pro imperfecto enim habet GOLME, quod idem est atque alica, sive granum similae, quod videlicet nondum in panem coaluit, ac subactum est, sed a contuso frumenti grano velut medulla quaedam crassior, ac minuti calculi instar est. Sic ergo ea voce id ipsum, quod in semine hominis inest simillimum adcuratius exprimere voluit interpres graecus, dum dicit,* ἀκατέργαστον, i. e. *nondum formatum in utero, vel adeo, ante uterum viderunt oculi tui.* Quae de chondro, imperfecto, farina et pane, rebus perfectis, habebat, cum mihi ad embryonem et hominem translata minime probarentur, chondrus autem prope certus videretur, interrogabam rei anatomicae peritissimum Wrisbergium, aliquidni chondro simile in utero gravidae adpareret? Respondebat: omnino! primum quod post impraegnationem oculis cerni in utero possit, vesicam esse semipellucidam, prope rotundam, chondro similem, eam crescere, fieri villosam, atque, ubi jam paulo major et villosa facta fuerit, embryonem continere.

Ergo jam גלם erit chondrus, proprio sensu, deinde sensu anatomico et medico, pellucidum corpusculum seu vesicula, quae prima post conceptionem in utero oculis cerni potest, et in qua crescente embryo.

Mira ac forte incredibilis haec tanta tempore Davidis rei anatomicae ſcientia videri poſſit: ſed meminerimus, ſacerdotibus medicinam demandatam fuiſſe (*), illosque innumera ipſos mactaſſe ſacrificia; ſacrificulis medicis nota et vulgaria eſſe potuerunt, quae noſtros medicos diu fugerunt.

גְּרוֹם *contuſum.*

Et hoc vocabulum non niſi ſemel occurrit, Ezech. XXVII, 24. in ſtatu conſtructo pluralis, ante תכלת, (quem hyacinthinum colorem interpretantur) גְּרוֹמֵי תכלת, ſeu, ut quinque codices Kennicottiani habent, גרמי, defective. Mercis ibi nomen ex Arabia Tyrum advectae: cujus? id valde dubium videri poſſit, in magno antiquorum diſſenſu.

גרזין i. e. *tonſuras* interpretatur Chaldaeus, cujus quidem verſionis bona reddi ratio philologica poſſit, cum جلم inter alia ſit, *tondere.* Verum diſplicet *tonſura hyacinthina*, lana enim hyacinthina ovibus non eſt, unde nec detonderi poteſt.

Caeterum ipſum hoc vocabulum Chaldaicum non intellexerunt Judaei, plerique *pallia*, *gazas* Kimchius.

2) ܡܐܢܐ i. e. veſtes vertit Syrus, *involucra* (εἰλήμματα) Aquila, Symmachus. Vulgata ex Hieronymi emendatione, ac recentiorum plerique *pallia*. Nempe ad גרם *involvere*, referebant, quem ſignificatum cum verbo ſupra negaverim, ſequitur, ut nec nominis interpretationem ex eo ductam probare poſſim.

Mihi quidem omnia videntur expedita, modo meminerimus, quod abunde docuit Braunius de veſtitu ſacerdotum P. I. c. 13. hyacinthinum colorem תכלת confectum eſſe ex atro, ut vocant ſanguine, i. e. atro liquo-

(*) Vide jus Moſaicum §. 210. p. 252. 253. partis IV.

liquore, quem piscis, Rabbinis חלזון dictus, larga copia emittat, hunc autem piscem vivum capiendum, unoque ictu contundendum esse, ne atramentum suum effundat. Nempe de *sepia* (Germanice *Blakfisch*) Rabbini ab eo excerpti loquuntur, quae fugiens, ut ait Cicero (*), *atramenti effusione tutatur*, atramento ergo si quis omni potiri cupiat, vivam capiat necesse est, unoque ictu aut contundat aut mediam secet. Jam cum גלם Arabibus sit, *secare*, Syris *percutere*, verisimillimum videtur, גלומי תכלת esse, *percussiones sepiae*, i. e. *sepias* dum vivunt *percussas*, *atramentumque earum ita integrum totumque servatum*, quo partim ad scribendum, (nostro enim factitio atramento multo est melius), partim ad tingendum utebantur.

Hoc non verisimillimum modo, sed et certum haberem, nisi alia se offerret aeque verisimilis interpretatio, versione literali eadem manente. Tertium ex piscibus, colorem effundentibus quo mare inficitur, genus, *polyporum*, (*sepia otopodion* Linneo) edule est, ac grati saporis, veteribus maxime in deliciis, sed ictibus et fustigatione praeparabatur. Svidas T. III. p. 147. Πολύπους· ὅτι ὁ πολύπους θηρευθεὶς τύπτεται πολλάκις πρὸς τὸ πίων γενέσθαι, καὶ παροιμία·

Δὶς ἑπτὰ πληγαῖς πολύπους πιλουμένος.

Sic Arabes ex mari Indico et majores polypos Tyrum devexerint, fueritque mercatura piscium. Quae scribens, nec et alia genera edulia fuisse Graeciae in deliciis, ignoro, nec, secundum alios sepiam ictu macrescere. Forte haec conciliari possint, sed id meum non est, maxime cum recentiores parum de hoc toto genere piscium ipsi αὐτόπται et testes tradant, sed plerumque veteres exscribant, ipso adeo adcusante, qui Aristotelem de illis agentem interpretatus est, Joanne Gottlobo Schneider. (*Vermischte Abhandlungen zur Aufklärung der Zoologie. Berlin* 1784.)

גלמוד

(*) De natura Deorum l. II. c. 50. (§. 127.)

גַּלְמוּד

Optime nomen, antea obſcurum, illuſtravit Schultenſius ad Job. III, 7. docens, et lexicographorum Arabicorum auctoritate, et exemplis, جلمد et جلمود *ſaxum* eſſe, indeque ارض جلمدة *terram lapidoſam*. Ab hac ſaxi ſignificatione videtur ad ſterilitatem deventum, ſive, quod ſaxa non gignunt alia ſaxa, ſive quod ipſa durities obſtat generationi, ſive a terra lapidoſa, quae et ſterilis. Vide ipſum, nolo enim compilare.

גִּלְעָד *Gilead.*

Montem Gilead minus propinquum Jordani fuiſſe, quam vulgo creditur, ac medio fere loco Jordanem inter et Euphratem, ex Geneſ. XXXI. collegi, copioſiusque diſputavi, in ſcriptis miſcellaneis, (*vermiſchte Schriften*) P. I. n. VI. (*Abhandlung von der Schafzucht der Morgenländer*, §. 13.) Ovium greges 150 diebus 40 milliaria, incertum utrum Anglica majora, an Hiſpanica abſolvere poſſunt: illorum quidem $23\frac{1}{6}$ horum $26\frac{1}{2}$ gradu uno continentur, faciamus ergo medium tenentes milliaria $\frac{1}{25}$ gradus, eruntque ejusmodi milliaria 150 aequalia noſtris, quorum quindecim in uno gradu, 90. Sic iter gregis quotidianum erit $2\frac{1}{4}$ milliarium germanicorum. Poſſunt quidem illi, ubi acrius impelluntur, 6 usque ad 7 milliaria $\frac{1}{25}$ gradus conficere, id eſt 4 circiter germanica verum id plures per dies continuos fieri non poterit. Laban Jacobum ſeptimo die aſſequitur, ex quibus primum certe totum trajiciendo Euphrati impendere neceſſe Jacobus habuerat: aſſequitur ergo illum ſexta ab Euphrate ſtatione, i. e. circiter decimo octavo milliari germ. ab Euphrate, aut ſi vel 4 milliarium itinera ſumas, viceſimo quarto. Laban hoc omne iter, camelis ut videtur vectus, triduo (*) confecerat,

(*) Septimo nempe die Jacobum aſſequitur, tertio demum poſt fugam de

rat, quod quidem fieri poteſt ſi acrius cameli impellantur, licet perquam moleſta ſit vectio. (Vide me infra ſub נבוה). Jam evolve in tabulis geographicis melioribus, ut, in d'Anvilliana Euphratis et Tigridis, *Haran, Carras*, ab ea duc lineam ad locum ubi Jacobus Jordanem trajecit, paulo infra mare Galilaeae: tranſitumque quaere Euphratis, a quo proximum in Palaeſtinam iter, ad illum enim, fugam meditantem Jacobum cum gregibus deflexiſſe veriſimile. Hinc usque ad Jordanem, recta quidem linea, ſunt ſexaginta milliária germanica, ac flexibus itineris in rationem vocatis, paulo plura. Mons ergo ubi Jacobum Laban aſſequutus eſt, propior adeo Euphrati quam Jordani, viceſimo ab Euphrate, quadrageſimo a Jordane milliari fuerit. Sed forte Racca fugam paranti Jacobo vicinior, ibique ſtatim, quo tutior eſſet, Euphratem trajecit: haec quidem recta linea ducta 68 milliaribus a Jordane abeſt; quod ſi ſumas, locus ubi Laban eum aſſequebatur, in illud ipſum incidet jugum montium, quod in tabula d'Anvillii haud procul Taiba ſignatum invenies; atque hoc mihi, ut plane fatear, veriſimillimum. Quae loca ſi quis aliquando adeat, montemque inveniat, ex quo verſus occidentem et orientem late proſpectus patet, Gileadum montem habebit.

Cur alium computum non ſequar, ex quo Laban decimo demum fugae, ſeptimo perſequendi die, Jacobum aſſequutus creditur, rationes reddidi p. 158. libelli citati. Tardus ſupra fidem in perſequendo fuerit Laban, ſi, quod iter cum gregibus decem diebus Jacobus fecerat, ipſe camelis vectus ſeptimo demum die abſolvat.

Tabulae quidem geographicae Palaeſtinae ad hunc usque locum, ubi aſſequi Jacobum Laban potuit, non pertinent, ſed eas nimis arctis finibus

de hac certior factus: ſuperſunt ergo quatuor dies, quorum unum demendum puto, quod Laban non ſtatim ad ipſum Euphratem eſſet, ad quem forte veſperi hujus diei pervenit.

finibus circumscribere terram Israelitis promissam, quae usque ad Euphratem extendi ex promissione divina debuissent, monui in jure Mosaico, §. 23. Regio quidem, a monte dicta, Gileaditis, libera pascua usque ad Euphratem complexa est, angustis vallibus et fertilibus exceptis, quae alicubi non ultra vicesimam milliaris germanici (*) partem patentes Euphratem a deserto dirimunt, aratro parentes.

גלע

Ter occurrit, semper in Hithpael, Proverb. XVII, 14. XVIII, 1. XX, 3. Recentiores plerumque cum גלל contulerunt (**), (quasi vero verbum גלע ipsum in linguis Orientalibus non suppeteret) indeque aliquam verbo significationem commenti sunt. Chaldaeus קריא et מצטרא reddit, quae sunt Hebraico obscuriora, ac ne a Buxtorfio quidem in lexico Chaldaico satis expedita. Reliqui veteres ita discordes, ut conjecisse videantur, ac LXX ne sibi ipsis quidem constantes, primo enim loco *ἔνδειαν*, paupertatem, vertunt, secundo, *ἐπονείδιστος ἔσται*, tertio *συμπλέκεται*. Primus ex Arabico جلع *patuit os, labiis non tegentibus dentes*, Schultensius, probabilius aliquid attulit, *dentes stringere, einander die Zähne weisen*. Possis ex antiquis suffragantem, paullisper mutata sententia, citare Syrum, qui c. 18 et 20. [illegible] *irridentem* vertit, nam et risus a nudatis dentibus dici potest, ac saepe Arabibus dicitur.

Jam

(*) Vide bibliothecam Orient. T. VIII. p. 119.

(**) Consvetum errorem, Syriaco forte ܐܬܓܠܠ *convolutus, circumactus, rotatus, circumvolutus est*, quod ex Bar Bahlul habet Castellus, aliquis defendendum susceperit: sed hanc auctoritatem, nullo probante exemplo addito, deprecor, vitiumque librariorum, qualia multa in lexica Orientalia irrepserunt, admissum esse suspicor, pro ܐܬܓܠܥ. Nil facilius in Syriacis, quam ܠ et ܥ confundere.

Jam, ut meam promam ſententiam, Schultenſii quidem etymon ſumo, *dentes nudare*, quod tamen nolim in verſione exprimi. Inde dicitur 1) *irriſio*, quam Syrus habet 2) generatim omnis *verborum turpitudo et obſcenitas*, quam et lexica Arabum ſub جلع habent, *obſcene locutus fuit*, جالع *inverecundus*, *impudens*, *obſcenus*. Hinc contumelioſa dicta. Hujus ſignificationis reſidua apud Rabbinos, magiſtros Hieronymi, memoria pellucet in verſione vulgata, c. XVII, 14. *antequam patretur contumelia*, XVIII, 1. *erit exprobrabilis* (ἐπονείδιστος Graecis) XX, 3. *miſcetur contumeliis* (miſcetur, ex Graecorum συμπλέκεται retento). — — Quas ſignificationes ut ad ſingula loca transferam, XVII, 14. verterim, *et antequam ad convicia deveniatur, deſiſte a lite:* XVIII, 1. *irridet omnia, quae ſanare vulnus poſſunt*, (reſtaurare amicitiam) XX, 3. *ſed ſtultus conviciis utitur.*

Unicus lexicographorum a quo proxime abſum, eſt, quam ſaepe laudare ſoleo, neglectum aliis, Caſtellus: *involvit*, inquit, *immiſcuit ſe. Aliter LXX. Ch. Syr. Ar. V. Lat. et*, *ni fallor*, *melius: deriſit contumeliis adfecit.*

גֹּמֶא *papyrus.*

Papyrum recte et veteres tantum non omnes, et lexicographi meliores vertunt, quod confirmantem, copioſiusque de papyro agentem vide Celſium in hierobotan. l. II. p. 137. cui vix eſt, quod addam, praeter haec pauca.

Imaginem papyri dedit Proſper Alpinus ad cap. 36. de plantis Aegypti, et Michaelius in novis plantarum generibus tabula 31. collata pag. 44. De navigiis ex papyro, Exod. II, 3. Jeſ. XVIII, 2. memoratis, recte citare ſolent Plinium l. VII. c. 57. pag. 417. lin. 15. et libr. VI. c. 22. Quo autem modo contexta ex papyro fuerint navigia, ab aliis doceri malim, quam ipſe dicere: ſed et hos, qui docere

nos

nos benevole volunt, antea discere velim aut experiri, non conjicere. Conjectura quidem duplex se offert: 1) ita forte composita fuerint, ut navigiola in nuper repertis insulis australibus ex arundine firmissime inter se colligata et connexa, ut aquam non admittat, addita etiam pice, aquam prohibitura. 2) pars modo navigiorum ex papyro fuerit, ut in India ex junco et arundine funes navigiolorum et vela confieri a missionariis didici. (Vide biblioth. Or. T. XXIII. sectione secunda). Ad Job. VIII, 11. ubi *elevari* (גאה) supra aquam papyrus dicitur, nota ex Prospero Alpino, *VI aut VII cubitos supra aquam adsurgere.*

גֹּמֶד *mensura longitudinis ignota contractus? brevis?*

Ἅπαξ λεγόμενον Jud. III, 16. de quo id unum docere velim lectores, nihil nos scire, et quae passim in lexicis legunt, alia falsa esse, incerta alia. Veteres dissident.

1) *Spithamam* habent, LXX. Vulg. Aquila, Theodotion, aliusque anonymus in Hexaplis. Est autem spithama, maxima manus extensio ab extremitate pollicis exporrecti ad exporrectum digitum minorem, in humano corpore plerumque aequalis spatio inter carpum manus, mediumque digitum extremum.

Versio multas ob caussas haud verisimilis: nullum omnino etymon suppetit, et si verum est, quod plerumque sumunt, זרת spithamam esse, mirum, eandem mensuram alio hoc nomine dici. Sed quod maximum est, gladius spithamae longitudine vix potuisset per hominis valde obesi totum corpus ita adigi, ut ab altera parte exiret. (Jud. III, 17. 22.)

2) Syrus ܩܘܡܨ vertit, quod mihi manus esse videtur in pugnum contracta, (vix dimidia spithamae pars) a ܩܡܨ *contraxit*, *constrinxit*, Arabice قفس et قفص.

Hic quidem forte derivationem haberemus a جبل *constrictus, congelatus fuit*, si sumere liceat, primam hujus verbi vim in contrahendo esse. At pugio tam brevis multo minus obesi regis corpus totum transire, et a postica exire potuisset.

3) Rabbinis גמר est, *mensura cubiti.* Vide Buxtorfium. Aliqui ex illis, quos sequitur Castellus, *cubitum minorem* intelligunt, (אמה גרומה, confer Arabicum جلم *amputavit*). Hinc גרם legerunt transpositis literis? In Kennicotti quidem bibliis nullum variae lectionis vestigium. Caeterum cubitus satis historiae rei gestae aptus.

4) Arabs, ذراع *brachium*, qui est cubitus maximus. Verum ea magnitudine gladius sub veste occultari vix potuisset.

5) Chaldaeus vertit, גַרְמִידָא, quod quid sit, utinam sciremus, possit enim ipsissimum videri vocabulum Hebraicum mutatis modo vocalibus גַמֶּד scriptum, Resch Chaldaeorum saepe per Dagesch compensantibus Hebraeis, aut pro Dagesch Hebraico Chaldaeis Resch substituentibus. *Cubitum, brachium*, interpretatur Buxtorfius, lexici Chaldaico-Thalmudici p. 478. 479. quasi vero id unum idemque sit! mensuram ergo certam et determinatam non habemus. Sed vel haec ipsa forte falsa, ac *manum* potius significat. En loca ab ipso collecta! Exod. II, 5. in Thargum Jonathanis: *filia Pharaonis extendit.* . . . ית גרמידא, hic quis non potius manum quam brachium suppleverit? Thalmudicorum citat dictum: *cum amor noster* (mariti et uxoris) *esset fortis, cubabamus in latitudine ensis, nunc postquam debilitatus est, non sufficit nobis lectus* בר שיתין גרמידא (quod pessime vertit) *sex cubitorum.* Atqui *sexaginta* vertendum fuisset, nec jam גרמידא esse potest cubitus, quis enim unquam lectum vidit sexaginta cubitorum, sed multo minor mensura, forte palmorum.

Jam

Jam, ut plane fatear, aliis vocalibus adficiendum videtur Chaldaicum nomen, his quidem גַּרְמִידָא *os manus*, ac significare five fpithamam, five quod malim, manum i. e. *palmum:* quo modo acceptum, mere jam Chaldaicum et recens, non aufim cum antiquo Hebraico גמר idem putare, hoc enim compofitorum genus Hebraei non amant.

Ergo ignoremus potius, quae menfura fit גמר, (barbara forte) quam erremus! Quid, fi plane non fit menfura, fed vertendum, *contractior longitudo ejus*, i. e. *gladius folito brevior?*

גַּמָּדִים Ezech. XXVII, 11.

Nomen non folum ἅπαξ λεγόμενον, fed et lectionis dubiae: anno quidem 1766 conjeceram ex ferie orationis, גמרים, legendum effe, quam conjecturam codices Kennicotto collati jam firmant, quibus audacior factus, eam praeferre incipio. Quid tamen confveta lectio fignificare poffit, aut quo fenfu accepta fit, docere interrogantem fas exiftimo.

1) Retinuit Theodotion, incertum, utrum nomen proprium putans, an faffus ignorantiam, Γαμμαδεὶμ, vel fecundum Hieronymum *Gomedim.*

2) Pro nomine proprio Medorum habuerunt, Symmachus et Chaldaeus, ille, *etiam Medi* vertens (ἀλλὰ καὶ Μῆδοι, ac fi aut גם מרים legiffet, aut inde contractum גמרים putaffet, quod quidem plane eft contra leges grammaticae Hebraicae) hic קפוטקאי *Cappadoces*, forte illam, quam praeferre me dixi lectionem exprimens, (גמרים, *Cimmerii*).

3) *Cuftodes* turrium habent LXX et Syrus, φύλακες, ܢܛܘܪܐ. Suppetere forte derivationem ab Arabico جمد *conftitit* fperes: fed fpei abjiciendae fvafor fim, جمد enim *conftitit* oppofitum eft verbi

verbi ذاب *fluxit*, nec nisi de concrescente liquore, ut de sanguine, de aqua, usurpatur. Hanc ergo versionem repudiaverim.

4) Πυγμαίους, i. e. *pygmaeos*, *nanos* Aquila in prima editione vertit, atque sic et Judaeorum haud pauci, Kimchius aliique, (כְּבָסִים) quasi diceres, *unius cubiti virunculos*, a גֹּמֶד praecedente. Haec quidem versio plerisque visa fuit perquam absurda, quis enim, sic sibi intra animum canebant, nanis moenium credat custodiam. Ipse, qui *pygmaeos* in versionem Vulgatam recepit Hieronymus, aliter in commentario, ac contra usum linguae interpretatus est: *pygmaei*, inquit, *hoc est bellatores*, *atque ad bella promtissimi*, *ἀπὸ τῆς πυγμῆς*, *quae graeco sermone in certamen vertitur*. Mihi vero ex omnibus receptae lectionis interpretationibus haec videtur expeditissima et felicissima. Derivatio facilis et in promtu: גֹּמֶד si non cubitus ipse, certe aliqua minor mensura est, pygmaeis conveniens. Nec pygmaeos dici putem, qui vere tales sunt, sed, qui praealtis in turribus stantes pygmaei videntur. Quas ob caussas ut reliquis verisimiliorem in versionem germanicam recepi, *und wurden auf deinen Thürmen zu Zwergen*.

5) Ludovicus de Dieu, *fortes*, *audaces* intelligebat, a ܓܡܘܕܐ *audacia*, ܓܡܘܕܬܢܐ *audax*, ܓܡܕܐ *ferox*. Nempe prima vis verbi, ut ex Arabico جمد est, *congelascere*, unde et Arabibus *durities animi* dicta, sed in deteriorem partem, Syris in meliorem, pro *fortitudine*. Nec tamen placet. Nomen gentis ex analogia praecedentium exspectassem, aut si illo carendum est, aliquid certe turrium custodibus magis proprium, quod eos a reliquis militibus distinguat, non *audaciam*, quae illis cum omnibus militibus communis esse debet, aut qua potius, tuto in loco constituti, minus quam alii opus habent.

6) Ab-

6) Abſurdiuscule Rabbi Menachem, a Raſchio citatus, *urinatores* intelligebat, *deſcendentes in mare usque ad fundum, menſurantesque* גומדי *i. e. cubitos profunditatis.* Quid quaeſo urinatori in turribus praealtis negotii eſt.

7) Miror in tot divergiis nemini in mentem veniſſe Chaldaici, גְּמִיד בִּידֵיהּ דִימִינָא *conſtrictus manu dextera* i. e. *ſcaevola* Jud. III, 15. XX, 16. ſeu ut et elliptice dicunt, גמיד. *Scaevolas funditores* magni in bello faciebant Hebraei, ut vel ex loco vix dum citato intelligitur: tales ergo et conſtitui in altis turribus potuiſſent, lapidibus hoſtes impetituri. Nec equidem eo hic animo pono, quod probem, ſed melius tamen plerisque aliorum explicationibus videtur.

Cogitationum hanc ſummam facio, גמדים, ſi modo vera lectio, *pygmaeos* eſſe, aut, ſi hos repudies, *ſcaevolas*.

גָּמַל *ablactavit, maturuit, maturavit.*

Duae ſignificationes ablactandi et matureſcendi, non amiciſſime ſolum ſed et elegantiſſime conſpirant, ſuntque altera ex altera ortae. Frequens eſt et placens translatio ex regno vegetabili ad animale, et viciſſim: fructus matureſcentes ablactantur, dum ligneſcente petiolo qui mollior ante fuerat, deſinit pomum ſuccum arboris ſugere, eoque nutriri atque augeſcere. Fueritne autem prima vis verbi in regno animali an vegetabili, ignorare me fateor. A matureſcendo retributionem dictam arbitror. Notari et velim locum ubi ſenſu morali poſitum *maturare* verti poteſt, non, *retribuere*, Jeſ. III, 9. גמלו להם רעה *maturant ſibi malum.* *Fovendi* ſignificatio, quam Schultenſius verbo primam tribuit, nondum mihi ſatis certa. Benefaciendi et ex uſu Hebraicae linguae et Arabismo indubia, ſed etymologicam ejus rationem reddere nondum auſim.

גמל

גָּמָל *camelus.*

De camelo quidem ita egit copiose Bochartus T. I. hierozoici libr. II. c. 1-5. ut ad illum ablegare lectores possim. Locum difficiliorem Levit. XI, 4. in notis germanicis illustravi, nec gratum me lectoribus facturum arbitror, quae ibi dicta sunt repetens. De sola aliquid velocitatis itinerumque mensura dicendum, qua aegre carebunt Orientalium scriptorum lectores. Nec de eximiorum camelorum, dromedariorum maxime, velocitate agere animus, de qua vide Bochartum T. I. p. 87. 88. sed de mediocri et consveta.

Cameli quidem equis nostris non sunt, ut multi putant, velociores, quod et ex Niebuhriano itinerario docebo, et ex mensuris itinerum Arabicis liquet. Hi quidem camelorum vecturae adsveti, iter unius diei, (مسيرة ، مرحلة) dividunt in

1) *minimum*, 12 milliarium Arabicorum, quorum $66\frac{2}{3}$ sunt in uno gradu: id vero est, circiter $2\frac{8}{11}$ *germanicorum.*

2) *mediocre* 24 milliarium Arabicorum, i. e. $5\frac{5}{11}$ *germanicorum.*

3) *magnum* 30 milliarium Arab. i. e. $6\frac{9}{11}$ *germanicorum.*

Non haec solum, sed et plura, ab equis nostris mediocribus exigimus. Possunt quidem et plus praestare cameli: Irwinus, Cosaira Ginnam proficiscens, camelisque vectus, tertio die perquam magnum iter emensus est, 45 milliarium Anglicorum, ut ipse aestimat, id vero est fere $9\frac{1}{2}$ germanicorum, (vide ipsius itinerarium, aut, si eo cares, nostram bibliothecam Orientalem T. XVI. p. 40. 41.) sed huic itineri 18 horae, quas inter ter requies, impendebantur. Non jam dicam, hoc spatium equum mediocrem facile XIII horis absoluturum, tertius enim jam dies itineris erat, delassatique cameli, insuper sabulosa regio, quae magis equos, quam alte gradientes camelos impedit: sed tamen idem a mediocri equo, si opus fuerit, vel benignissimus insessor exegerit.

Sed

Sed audiamus mathematum peritiſſimum Niebuhrium. Is quidem, ut poſſet quas peragrabat regiones, viarumque longitudines, adcuratius metiri, primo ſuis greſſibus milliare germanicum menſurabat, inveniebatque, ſuorum greſſuum, (alii enim, et ruſtici, majores quidem habent) 4720 (duplicatorum). Jam et experiebatur, quo tempore hoc ſpatium aſinus, quo camelus, emetiretur, diſcebatque, *horae tempore* abſolvere horum greſſuum

asinum Jemenenſem, — — — 1750.
camelum deſerti Faran — — — 1600.
camelum Jemenenſem — — — 1500.

Ergo, fractis numeris nimis minutis neglectis,

aſinus Jemenenſis per horam ibat, $\frac{3}{8}$ milliaris germanici,
camelus Faranenſis, $\frac{1}{3}$ mill. germ.
camelus Jemenenſis, $\frac{5}{16}$ mill. germ.

id vero eſt, milliari germanico impendebat,

aſinus Jemenenſis, *horas 2, minuta 41.*
camelus Faranenſis, *horas 2, minuta 56.*
camelus Jemenenſis, *horas 3, minuta 8.*

Quibus lectis ſi quis ſuſpicetur, Niebuhrium milliaria ſumſiſſe, non mathematica XV in uno gradu, ſed juſto majora, forte qualia in patria ipſius uſitata ſunt, non meum erit reſpondere, ſed Niebuhrii: id unum certum, camelum aſino adeo tardiorem, nec id mirum videbitur his qui noverint, calidum clima majores alere et celeriores ac nobiliores aſinos.

Celerius quidem cameli currunt tolutim, ac ſubſultim, aut adeo ſubditis calcaribus et admiſſis habenis, (Gallice addo, quod forte haec latine non intelliguntur, *au trot*, *au galop*, *en carriére*, *ventre bas*) ſed hic velocior curſus perquam ſeſſori moleſtus, ob ſuccuſſiones, multo majores cameli, quam equi, et quem pauci ferre diu poſſunt.

Quaeras ergo forte, cur camelum equo praeferant Arabes? Non certe ob cursus celeritatem, sed ob victum parcum inque desertis saepe parabilem, inediaeque et sitis patientiam, quae virtutes faciunt, ut camelo melius quam equo deserta trajiciant.

גָּמַם *multus fuit*, גַּם *multitudo*.

Verba, Genes. X, 21. וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם הוּא ut manifesto in mendo cubantia, et ex quibus bona sententia elici non possit, notaveram in P. II. spicilegii geographiae Hebr. exterae p. 64. 65. Sed monuit S. R. Dathe in suis ad Pentateuchum notis, consuli illis posse, modo גַּם substantive accipias, *multitudo*, ab Ar. جَمَّ *multus fuit*, unde جَمّ *copia*, *abundantia*, atque הוּא cum sequentibus constructo vertas: *et Semo nata est multitudo*, (i. e. multarum pater gentium factus est). *Hic est pater Hebraeorum* &c. Gratias ago, ac mihi quoque verisimilem videri explicationem profiteor, addens, ipsum جَمَّة quod Golius *multitudinem*, *copiam* vertit, adjectivi loco *multi*, fungi, ut Rom. XV, 22. مُنْذُ سَنِينَ جَمَّة *multis abhinc annis*.

מְגַמָּה *pars rei antica, quod primum adparet*.

Ἅπαξ λεγόμενον Habac. I, 9. quod, a Judaeis christianis male saepe habitum, ad plures referri radices possit:

1) prima fronte, ad eam quae vixdum praecessit, et sub qua plures ponunt, גמם, *multus fuit*. Ad hanc et plures per annos retuli, nec tamen, ut illi, verti, sed, *multitudinem*: *multitudo facierum eorum est versus orientem*, i. e. uno omnes agmine orientem versus eunt. Sed recogitanti, neminem veterum ita interpretatum esse, omnesque in unam prope nominis versionem consentire, idque in maximo alias sententiarum divergio, dubia coepit ista et derivatio et significatio videri.

2) Nem-

2) Nempe omnes prope *anticam*, *oppositum*, *adspectum*, habent: LXX. ἀνθεστηκότες προσώποις αὐτῶν, Symmachus, πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν, Chald. מְקַבֵּל אַפֵּיהוֹן (*adspectu vultus similes sunt Euro*) Syrus, ܚܙܘܐ ܕܐܦܝܗܘܢ *adspectus vultus ipsorum*: quod quidem Houbigantio ita videbatur a מְגַמַּת remotum, ut veteres קָדִים legisse, infelix criticus, conjiceret. Atqui referendum est ad גָּבָה Arab. جبا pro جبو, quod cum derivatis ipsi Arabum lexicographi per شخص *adparuit*, interpretantur. Hinc جبا *quod de re quavis extrinsecus adparet*, جَبَأ *adparentia*, *res exstans et conspicua.*

3) Audaciore conjectura, nec satis grammatice, Judaeorum et Christianorum multi ad גמא *sorbere*, *citato cursu vix degustare terram*, retulerunt: *citato cursu orientem petunt.*

גָּמַר

Verbum, non nisi quinquies obvium, et vero in solis psalmis, VII, 10. XII, 2. LVII, 3. LXXVII, 9. CXXXVIII, 8. quod, quis non putat expeditissimum aegre forte laturus, triviales has hic literas legi? Et tamen plane fateor, quae hic scribo ex dubitationibus nata esse: vera plerumque habere interpretes, sed lexicographos partim rem male egisse, ut Coccejum, omnia loca ex conjectura ad unam significationem intransitivam, *totus fuit*, referentem. Cognatas Hebraicas linguas si consulas, insolitum offerent spectaculum, notiones sub una radice diversissimas, quas vix possis ad unam revocare, ut *prunarum*, *silicum*, *perficiendi*, *desinendi*. Suspicari adeo possis, duas diversas radices aliqua literarum permutatione in hanc unam coiisse.

Perficiendi indeque *finem faciendi* significatio, quam Chaldaica et Syriaca lingua habet, abjudicari verbo vix potest. Abdico igitur,

 quod

quod olim praeter neceſſitatem Pſ. 7. *averruncare* verti, ex Arabico جمر proprie, *ſilicum jactu Satanam impetere*, a جمرة *ſilex*, deinde *averruncare malum.* Eſt haec ſuperſtitio mere Arabica, nec tantae antiquitatis, ut ad Hebraicum Davidis verbum illuſtrandum transferri poſſit. Ergo in ſecunda editione verſionis pſalmorum correxi. Caeterum ſuſpicor, tranſitivam et intranſitivam ſignificationem ita verbo apud veteres Hebraeos diviſam fuiſſe, ut tranſitivum *perficere*, *finem rei facere*; גָּמַר, intranſitivum, *finem habere*, *deſinere*, גָּמֵר adpellaretur.

Hoc quidem, *deſinere*, tribus locis Pſ. VII, 10. XII, 2. LXXVII, 9. aptiſſimum. Veteres omnes, aut ſic, aut tranſitive, *perficere*, verterunt LXX Pſ. 7. (una cum Aquila) συντελεσθήτω Pſ. 12. ἐκλέλειπεν (Vulg. *defecit*) Pſ. 77. ἀπέκοψε (plerisque tamen codicibus omittentibus). Symmachus Pſ. 7. ἀπαρτισθήτω (non bono verbo uſus) et 77. συνετέλεσε. Ipſo verbo ܓܡܪ *finem habere*, uſus Syrus Pſ. 7. eodemque et Chaldaeus Pſ. 12. Denique Pſ. 77. verbo שלם uſi, de *perficiendis* a Deo minis acceperunt.

Et tamen unus eſt in his locus, cui aliam forte ſignificationem aptarim, non quod haec, deſinendi diſplicet, ſed quod nova filo orationis inſigniter apta, valde arridet, Pſ. XII, 2. גמר חסיד poſſit eſſe, *defecerunt*, i. e. nulli amplius ſunt *pii*, ſed ſtatim ſequitur פַּסּוּ, quod, ut ſcriptum eſt, non poſſum non ad *ſortem* referre, ſortem nempe fati, omnes nos ad mortem ſortientis, cum *omne capax movet urna nomen.* Vide me infra ſub פסס. Hic ergo quaeri poſſit, ipſumne etiam גמר ad *ſortem* mortis pertineat? *ſors ſortitur bonum?* Arabibus quidem cum جمرة ſit *ſilex*, indeque et *jactio ſilicum* dicatur, Hebraicum quoque גמר ad *ſortem* referri poſſit. Quod tamen uſu linguarum *ſors* deſtituitur, non auſus ſum verſioni germanicae inferre, ſed

fed ita verti late, ut erroris expers fim, fi vel altera *finem habendi* praeplaceat: *die Tugendhaften sterben aus.*

Alia est duorum locorum in quibus cum על et בעד construitur, ratio, Pf. LVII, 3. CXXXVIII, 8. In his quidem transitive accipiendum, *Deus perficit pro me*, i. e. rem meam gerit, me folus defendit, tutumque praestat. Sic quidem, fed paulo adstrictius quam fas erat, ad literam, Pf. 138. anonymus, *ἐπιτελέσει ὑπὲρ ἐμοῦ*, et Hieronymus, *operabitur pro me*, liberiusque et paraphrastice Syrus Pf. 138. ܐܠܝ ܬܟܣܝܢܝ *texit me.* Utroque tamen loco lectio quodammodo dubia, codicibus licet, Kennicotto collatis, filentibus: fuerunt enim qui, et vero diverfiffima fentientes, ita verterunt ac fi גמל legiffent, quod effe poffit, גמל עלי *benefaciens* vel et *rependens mihi*, et גמל בעדי *rependens pro me*, i. e. poenas ab *hostibus exigens*. Habe illos, Pf. 57. LXX. *εὐεργετήσαντά με*, Hieron. *ultorem meum*: et Pf. 138. LXX. *ἀνταποδώσεις ὑπὲρ ἐμοῦ*, Vulg. *rependet illis malum propter me*, Chald. יְשַׁלֵּים בִּישָׁא עֲלֵיהוֹן אֲמְטוּלָתִי.

גֹּמֶר Genef. X, 2. 3. Ezech. XXXVIII, 6. *Cimmerii.*

Copiofe de hoc nomine egi in Spicilegii P. I. p. 16–24. fed a memetipfo jam multis in rebus diffentienti, ea, quae nunc fedet fententia dicenda est. Bocharto quae oppofui, de quaestione mere geographica ex etymologia, et vero Hebraica nomini barbaro obtrufa, refpondenti, oppofui, ea omnia rata et in hunc usque diem mea, taedetque indies magis talium etymologiarum.

Confveta nominis interpretatio, ex qua Cimmeriam gentem denotat, illam quae inter Boryfthenem olim et Tanaim, in Cherfonefo etiam Taurica habitavit, atque Bosporo Cimmerio nomen reliquit, una mihi vera videtur, eamque et in Spicilegio dixeram, fed male eum alia Jofephi conjunxeram. Recte tamen intelligenda: non illi, qui

qui nunc Chersonesum Tauricam, nomen adhuc *Crim*, *Crimmische Tatarey*, retinentem incolunt, ullo cognationis gradu veteres Cimmerios, gentem jam ante duo annorum millia et quod excurrit plane deletam aut dispersam, attingunt, sed sunt aliis ex terris advenae, suosque haec Chersonesus et vicinia incolas saepe mutavit. De priscis loquor Cimmeriis, gente antiquissima ac nobilissima, cujus utinam aliquis historiam ex Strabone et Herodoto texat, qui enim hucusque adgressi sunt male rem egerunt, partim somnia de Gomeritis et conjecturas venditantes: ne Theophilus quidem Sigfridus Bayerus satisfacit, qui in Actis Petropolitanis T. II. p. 419. de Cimmeriis (*) egit, sed ex solo Herodoto, minusque dilucide, nec a fabulosis liber conjecturis. Donec haec scribatur, quisque sibi ex Strabone, pag. 12. 106. 756. 859. 930. 958. 959. et Herodoto, libr. I. c. 6. 15. 16. 103. IV, 1. 11. 12. componat, cujus haec fere summa: Cimmerii, gens antiquissima et fortissima, Homero jam noti, magnas et multas in Asiam minorem incursiones fecerunt, aliquas ut vult Strabo, ante bellum Trojanum, alias post illud, Cyaxaris autem (Dejocis Medorum regis nepotis) tempore, a Scythis Europa pulsi, denuo in Asiam minorem irruperunt, sed et ab Alyatte Asia ejecti. Incidunt haec in Josiae aetatem. Paulo post gens aut deleta aut dispersa interiit, nec post Cyrum quidquam de ea relatum legimus: Strabonis quidem tempore gens Cimmeriorum nulla supererat, solo nomine in urbe, monte, muro, Bosporo adhuc haerente.

Ad hos quidem Cimmerios ipsum non solum nomen גמר quemque ut primum legit, deducit, cujus si vocales *Gomer* obstare visae sint, ut lubuerit aliis vocalibus efferes, גָּמַר ut LXX Γαμερ, aut si malis גִּמֶּר, in plerisque enim codicibus, vulgatisque editionibus sine

Vau

(*) Invenies et in opusculis Bayeri, a Klotzio editis.

Vau scribitur, גומר in paucis; sed et ordo gentium, *Gomer*, *Magog*, *Medi*: mirumque quod Cimmeriis Bochartus opposuit, suarum ille quidem amore etymologiarum, *tam versus Aquilonem remotos fuisse Cimmerios, ut eorum famam vix putet ad Judaeos emanasse* (Geogr. S. P. I. libr. III. c. 8.). Atqui remotiores qui statim sequuntur, Magogitae, ipsi adeo Medi: exque terra boreali Chaldaeorum Israelitarum majores oriundi, ut notitiam etiam septentrionalium quorundam populorum tralatitiam relinquere posteris potuerint. Colonias gentis versu 3 describit Moses: inquisivi ergo, possitne ex Strabone illustrari; verum quae ille de Cimmeriis novit, ad Mosaica tempora non accedunt.

De Josepho etiam paulo, quam in Spicilegio feci, dicendum lucidius. *Galatas* interpretabatur, his quidem verbis, ut compertum habere videatur, sua illos se lingua ita vocare: *τοὺς νῦν ἀφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ λεγομένους, Γόμαρος ἔκτισε.* Ant. I, 6, 1. Nec quidem tam stipitem, aut historiae omnis ignarissimum Josephum putem, ut de his Mosen loqui arbitretur Galatis, qui nuper admodum advenae ex Europa in Asia minore consederant, sed de eorum majoribus in ipsa Gallia. Quae gens, quo se ipsam nomine vocaret, id quidem ex Galatis (Asiaticis) in Palaestina stipendia facientibus compertum habere poterat: Herodis enim Magni milites exteri, Thraces, Germani, Galatae, ipso Josepho teste Ant. XVII, 8. 3. Jam Galli, si non omnes, aliqui certe sua olim lingua KYMR vocabantur, idque nomen in hunc usque diem in populis superest, prisca adhuc lingua Gallica utentibus, Walliae (*Wales*) Anglicanae incolis, ac ni fallor et in Armoricis, qui minorem Britanniam Francici regni peninsulam habitant, ac vetere lingua utuntur. Hi quidem sibi ipsis Kymr, eorumque lingua *Kymbraec*, quod vel tituli librorum de hac lingua

lingua agentium testantur, ut, *antiquae linguae Britannicae, nunc vulgo dictae Cambro-Britannicae, a suis Cymraecae vel Cambricae, ab aliis Wallicae, dictionarium. Londini 1632.* – – *Cambrobrytannicae Cymbraecaeque linguae institutiones* (Jo. Davidis Rhaesi) *Londini 1592.* &c. Hoc ergo nomen nobilissimae et antiquissimae gentis cum ex ore militum ipsa in Palaestina Josephus audiret, arripuit incautius, et ad גמר transtulit, nulla nec sequentis Magogi, nec earum quae v. 3. nominantur coloniarum ratione habita. Quamquam sumto consveto errore, *Gomer, Aschenas, Riphath, Thogarma*, nomina esse virorum, qui gentes condiderant, poterat patrem in Europam, filios in Asiam deducere, idque fecit, tres Gomero Gallorum patri filios adsignans, quorum primus Ῥηγινας seu potius Ῥητινας (*), i. e. Rhaetios, secundus, Paphlagones, tertius Phryges progenuerit: aegri sane somnia!

Mihi quidem, non singulorum hominum, sed populorum, exque illis ductarum coloniarum nomina a Mose memorari arbitrato, cujus sententiae rationes in spicilegio statim ab initio reddidi, Galli, Galliae incolae, intelligi non videntur posse, quantumvis, (fateor) nomen consonet. Ut enim immensum taceam intervallum, quo Gallia a terra Magog, quaecunque demum fuerit, sejuncta est, obstant duae de quibus aliquid novimus coloniae, gentem Asiae viciniorem poscentes, אשכנז in vicinia Armeniae, et תגרמה ipsius forte pars Armeniae, de quibus vide in Spicilegio dicta.

Et tamen, Cimmerios inter, quos repudiare non audebam, Josephique Gallos, coitionem aliquam aut cognationem in spicilegio tentabam: sumens, ut aliae gentes ex vicinia Ponti Euxini egressae versus

(*) Spicilegium T. I. p. 60. 61.

ſus Occidentem ſunt, Cimmeriorum coloniam Gallos quoque fuiſſe. Sed poenitet; nimis enim ſumtu audax; nullum ejusmodi migrationis veſtigium hiſtoria habente, ac ne lingua quidem antiquae Gallicae cognata in Ponti Euxini Armeniaeve vicinia reperta. Quid obverti his dubiis poſſit video, Cimmeriorum gentem interiiſſe: at coloniae non interierunt תגרמה et אשכנז. Donec ergo illis in tractibus, in quibus hae coloniae ſedem habuerunt, lingua inveniatur Gallicae quodammodo cognata, non auſim Cimmerios Gallis cognatos dicere: neminem fuiſſe, qui inveſtigarit, certum eſt, ut enim taceam de linguis ad orientem et auſtrum Ponti Euxini itineratores parum fuiſſe ſolicitos, nemo omnino eas regiones adiit veteris linguae Gallicae peritus. Sed haec utcunque ſint, nolim nullo indicio Gallos a Cimmeriis deducere. Thogarma ſi Armeniorum progenitor, ut Armenii volunt, in ſpicilegio jam faſſus ſum p. 78. plane non poſſe Gallos ad גמר referri, quippe quorum lingua cum Armena non cognata eſt.

Ad גמר, *Cimmerios*, ut redeamus, Ezechielis tempore gentem nondum interiiſſe ex ejus capite XXXVIII, 6. conſtat, nec capite XXXII. inter illas memoratur, quae ad inferos deſcenderant. Europa, ut p. 334. diximus expulſa erat a Scythis, poſtea et Aſia minore: ſed quo abierit? aut num omnes inter Tanaim et Boryſthenem Cimmerii a Scythis pulſi ſint, an aliqui remanſerint, dictu audax.

גמרים Ezech. XXVII, 11. ex varia lectione *Cimmerii.*

Nomen גמדים, quod in editis habetur, ſuo loco explicui: at cum alia gentium nomina praecedant, ex quibus mercenarium Tyrii militem conduxerant, Perſarum, Lydiorum, Phutaeorum, Aradiorum, perquam veriſimile, et hic nomen proprium poni, ſuſpicarique jam anno 1766. quo hoc Ezechielis caput curioſius tractabam, coepi, גמרים in codicibus, ſi excuterentur, inventum iri. Nec ſpes me fefellit,

fellit, habent enim in Kennicotti bibliis per Resch גמרים cod. 96. (insignis, vide biblioth. Or. T. XX. p. 65. 66.) 526. 541. 601. (Erfurtensis) ac forte 28 et 82 (anno 1306 scriptus).

גמרים *Cimmerii* erunt, a praecedente גמר, quos Tyriis stipendia, ut Lydios, fecisse, satis verisimile: fortitudinis laude illustres; sed jam ex aliquo tempore, ut antea vidimus patria extorres, perque Asiam grassantes, conduci facile ab exteris poterant. Ezechielis tempore gentem nondum interiisse, sub גמר vidimus.

גנב

Furari, nec vero vi, sed clam et arte, recte lexicographi interpretantur: hoc sumo, solum etymon addens, atque aliqua de phrasi גנב לב.

ܓܢܒܐ Syris, جنب Arabibus, *latus*, est: unde Arabicum verbum جنب in plerisque significationibus, *fregit latus*, *a latere duxit equum*, *procul fuit*, *removit*, *pleuritide laboravit*, *contraxit latus*, *claudicavit*, &c. denominativum esse, non nomen a verbo ortum, *latusve a frangendo latere* dictum, quis non videt? Jam et Hebraicum *furari* a latere dictum arbitror, quod *a latere clam res surripiatur*. Similem phrasin, sed non eandem, habemus Germani, *etwas auf die Seite bringen*, pro, furari.

In propria magis significatione, atque adeo de vi violenta, pro *absportare* ponitur Job. XXI, 18. XXVII, 20. גנבתו סופה non certe, *furatur*, sed, aufert q. d. ad latus abripit, *turbo*. Germanicae linguae, eandem phrasin habentis, usus beneficio, utrobique verti, *der Sturmwind führet ihn seitwärts*.

Genes. XXXI, 20. ויגנב לב לבן sine dubio est, *plane non animadvertente Labane fecit*: sed incertum, utrum proprie, *ad latus* Labanis, ipso oculos animumque aliorsum advertente clam fecit? an, *cor*,

i. e.

i. e. *mentem ipsam surripuit Labani.* Posterius probare mihi videor, simili inventa phrasi Syriaca, *cum putarent Loti filiae* ܕܢܣܒܝܗ ܕܝܢ ܗܘܐ ܪܥܝܢܐ ܠܗ ܡܢ ܚܡܪܐ *quod ratio ipsi a vino subducta esset.*

מְגִדּוֹ , גכד

מֵי מְגִדּוֹ *aqua Megidduntis*, Jud. V, 19. per situm urbis vix alia esse potest, quam Plinii *palus Cendevia*, ex qua Belus effluit. Certe palus aliqua intelligenda videtur, ut palus Merom est מי מרום, nec alia praeter Cendeviam illis in locis palus. Mirum, id nec interpretes vidisse, nec doctissimum Palaestinae geographum, Relandum, illosque Kisonem rivum intelligere, qui Megidduntem alluere plane non potest, nec מֵי *aqua*, *palus*, dicendus fuisset. Hebraico autem et Latino paludis nomini ut concordia coeat, illud quidem non, ut fecit Simonis in Onomastico, ad גדד *turma*, sed ad radicem גכד Chaldaicam Arabicamque, referendum est, מְגִדּוֹ pro מְגְכְדּוֹ, cujus nominis duae ultimae syllabae, גְכְדּוֹ paulo fortius elatae, et Chirek more Syrorum per E, in *Cendeviam* latinis transierunt. Nomen unde acceperit, definire non audeo, cum גכד plura significet, جُنْد *exercitus*, *praesidium*, maximeque in geographia Palaestinae, sed ex seriore tempore, quo Romanis subfuit, *urbs cui praesidium impositum*, גוּנְדָא *exercitus*, جَنَد *terra scabrosa*, *lapidibus constans.* Bis quidem ad hanc urbem exercitus concurrerunt, magna ad illam praelia pugnata sunt, Jud. V, 19. 2 Reg. XXIII, 29. sed diu antea, subque ipsum Israelitarum in Palaestinam ingressum, nomen מגדו jam habuit, Jos. XII, 21. XVII, 11. Ex hoc tamen etymo explicandum nomen fictum in Apocalypsi, c. XVI, 16. συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸν τόπον τὸν καλούμενον Ἑβραϊστὶ Ἀρμαγεδών, i. e. הר מגדון, *mons conventus exercituum*, cum allusione forte ad magna praelia in vicinia Megidduntis commissa.

געל

Fastidiendi significatio, late in lexicis regnans, ignota Arabibus Syrisque, vera Hebraeisque frequentissima, sed alias obliteravit, quibus verbum in ipso codice sacro occurrit.

I) Prima quidem ex illis, quae nobis supersunt, verbi notio, ea esse videtur, quam Arabicum جعل habet, *posuit*, cujus exempla vide a Castello collecta, (sine exemplis enim posuit Golius). Hinc Syris ܐܓܥܠ *deposuit*, *commendavit*, *fidei alicujus permisit*.

Hac quidem prima significatione non dubito quin accipiendum sit 2 Sam. I, 21. כי שם נגעל מגן גבורים *ibi enim positus est* (humi procubuit) *clypeus heroum*. Quod enim alii habent, *ibi pollutus est clypeus*, quam absurde dictum? quasi vero pugnantis sanguis, honestissimus clypeo, dedecori illi esset! quam in illos, quos laudaturus canit poëta, ignominiose? — — Praeiverunt mihi, ignotam recentioribus, versionem, sed alio verbo usi LXX προσωχθίσθη (*humi allisus est*): proximus ab illis, sed indecoro usus verbo Hieronymus et Vulgata, *ibi abjectus est*, abjicere enim clypeum, fugientis est et opprobrii plenum. In Syro nunc legitur ܐܬܬܒܪ, *fractus est*, quod quomodo געל significare possit non video: sed aliud verbum legisse videtur Ephraemus, in commentario explicans, *mortuus est Saulus et clypeum abjecit in terram*.

Ex eadem significatione et explico Ezech. XVI, 5. *projecta es in agro* בגעל נפשך, ubi געל נפש, ad literam, *depositio personae*, est, quam latine dices, *expositio infantis*.

II) A deponendo vel abjiciendo fastidium dictum, quod omnes, sed sine origine, habent lexicographi.

III) Contrariam habere apud Arabes significationem videtur, *adpetendi*, et vero, *adpetendi coitum*. Sed nulla antiphrasis: اجعل

Arabi-

Arabibus, *libidinosa fuit*, *marem appetiit*, (*canicula aut alia*) nempe, quod se submittit, humique quodammodo deponit, inde in decima استجعل *libidinis fervore correpta fuit*, camela vel aliud feminei generis animal.

Haec quidem significatio aptissima videtur loco Job. XXI, 10. שורו עבר ולא יגעל, sive, (licet enim animalium nomina, masculine constructa, utroque genere accipere) *taurus ejus conscendit vaccam*, *nec iterum adpetit*: sive, quod potius malim, quamvis sensu eodem, *vacca ejus conscenditur*, *nec iterum adpetit*. Aliquid de hac significatione suspicatus Bochartus erat, T. I. hieroz. p. 293. 294. multa congerens de brutis coitum non adpetentibus, ubi conceperunt, de libidine vaccarum, denique ex Aristotele, vaccas gravidas aliquando coitum admittere, sed id inter prodigia censeri. Atqui haec ipsa multo perfectiora ex patre familias, vel adeo ex bubulco quovis, discere potuisset Bochartus, quam ex his, quos morbo eruditorum solos consulebat, veteribus. Non raro vaccae gravidae taurum admittunt, quod ubi faciunt, prior graviditas perit, denuo concipiunt, sed non sine rei familiaris damno, serius parituræ, pluresque per menses steriles. Res ita nota, ut vel proprium in Germania verbum habeamus, *die Kuh öchset um*, quod nonnullarum vaccarum libidinosarum peculiare vitium. Evolve locum Jobi, videbis, quod in primo membro est, *non adpetit*, *non libidinosa est*, in secundo dici, לא תשכל *abortum non facit*: nempe novam tauri conscensionem sequitur abortus prioris foetus, novo concepto. Haec ita plana, ut nemo mediocriter rei familiaris peritus dubitare possit, licet, nam et hoc fateor, verbum יגעל sola philologia duce plures sensus admittat. Ex hac enim et esse possit, sive, 1) *non fastidit vaccam* sive 2) *vacca non deponit foetum*, i. e. non abortit. Sed ambiget nemo oeconomiae mediocri-

ter peritus, aut ſi id indignum erudito, nemo qui bubulcum interrogaverit.

נָעַשׁ, *ferire, quatere, ſuccutere, colluctari.*

Commovendi ſignificatio, quam lexicographorum plerique verbo, 2 Sam. XXII, 8. Jerem. V, 22. XXV, 16. XLVI, 7. 8. Pſ. XVIII, 8. Job. XXXIV, 20. conjectura illi quidem ex ſerie orationis ducta, tribuerunt, falſa non eſt, ſed ut ſolent conjecturales, Hebraico atque adeo Orientali verbo multo latior, et quibusdam locis adplicata, aut obſcurior aut languidior. Coccejus quod addit ſpecialius, *videtur notare ſolutionem et laxationem partium*, non ſolum merae eſt conjecturae, ſed et multis locis, ut Jerem. XXV, 16. XLVI, 7. 8. non bene aptum: magis etiam diſplicet, quod huic conjecturae nullo argumento addit Venema in commentario ad Jerem. XXV, 16. *tumere, diffluere et diſſilire*, Jeremiae verba ita explicans, ut, qui ex poculo Jeremiae hauſerant, *tumidi a veneno crepent.* Vino hauſto nemo crepat! Veteres plerumque *perturbari* vertunt, ſed nec haec ſignificatio omnibus locis apta, ut Pſ. XVIII, 8.

Moleſtum, quod linguae Orientales quodammodo nos deſtituant, et tamen ſufficere videtur, quod ſolum ſub his literis comparet نخس *cornu ferire*, maxime ſi paulo latius ſumas, ut germanicum *ſtoſſen*, de omni ictu et quaſſatione graviore. Jam videbis egregie poni Hebraicum נעש *de terrae motu*, aut vero, aut cum tacta fulmine intremiſcere videtur, 2 Sam. XXII, 8. Pſ. XVIII, 8. Nos quoque nomen, *Stöſſe, ſuccuſſiones*, de terrae motu ponimus: *(ſo und ſo viel Stöſſe geſchahen in der und der Zeit).* Forte eodem referendum Job. XXXIV, 20. *media nocte* יְגֹעֲשׁוּ עָם וְיַעֲבֹרוּ *quaſſatur populus ac diſparet:* habet certe antiquiſſima Arabum hiſtoriae ingentem terrae motum, quo

The-

Themudeni media nocte oppreſſi, idque, ut alibi (*) doceo, ante Abrahami tempora, hunc enim inter et Aditas memorari Themudeni ſolent. Nec minus eximie, de fluctibus aggeres arenae a natura fines mari poſitos impetentibus, aut inter ſe colluctantibus, Jerem. V, 22. (ubi Syrus, ܐܬܟܬܫܘ *colluctantur*) XLVI, 7. 8.

A *feriendo cornu*, hoc ipſum, quod vixdum mihi excidit, *colluctari*, optime dici poterat. Sic quidem Jerem. XXV, 16. accipiendum omnino videtur, ubi poculum inebrians populis per legatos eorum praebet Jeremias, ושתו והתגעשו והתהוללו, *ut bibant, et colluctari incipiant, atque inſaniant.* Ebrii rixas amant. Certe recentiorum, *ut bibant et commoveantur*, non ſolum merus languor, ſed et obſcurum.

Eſt tamen in hoc ultimo loco aliquid de veterum verſione dicendum, LXX vertunt, *καὶ ἐξεμοῦνται, et vomant*, eodemque referri poſſit, quod Chaldaeus habet, וְיִשְׁתַּפְּשׁוּן quippe quo verbo v. 27. ejusdem capitis pro וּקְיוּ utitur. Poſſit quidem vomitus a concuſſione ſtomachi dici, aut vomitus ſtercoreus a جَعْس *ſtercore.* Aliquidne horum menti interpretis Graeci oberrabat? an ex mera conjectura vomitum, qui ebriorum ſolet eſſe, ponebat. Quod ſi vel conjectura, melior certe eſt conjecturis recentiorum. — Syrus vertit, ܘܢܬܬܘܗܘܢ, *ut ſtupeant*, idque jam Arabs, Syriaca interpretatus, legit, يَتَحَيَّرُونَ ponens. Vix tamen conjicio, quomodo id ex Hebraico verbo exſculpere interpres potuerit: ſuſpicor ergo, eum ſcripſiſſe, ܘܢܬܕܘܕܘܢ *ut perturbentur*, quod et Vulgata hic habet, atque, ut ſupra monui, alii alibi veterum.

נפן

(*) ad §. 3. Antiquitatum.

גֶּפֶן 1) יַיִן, *vitis* 2) שָׂדֶה et כבריה *colocynthis* 3) סדם

גֶּפֶן, *vitis* nomen, cum Aramaea, Samaritana et Arabica, lingua Hebraica commune habet, ita tamen ut Arabes eam frequentius كَرْم quam جفن vocent. Etymon plane latet. Sunt tamen praeter *vitem* proprie sic dictam et alia vegetabilia, quae eodem nomine Hebraeis vocantur. Est illis גפן

1) proprie et usitatissime *vitis*, haec tamen ut ab homonymis distinguatur, semel in lege condenda, גֶּפֶן יַיִן *vitis vini*, dicitur. Num. VI, 4.

2) גֶּפֶן שָׂדֶה *vitis agri*, 2 Reg. IV, 39. quam plerique, recte ut arbitror, *colocynthidem* interpretantur. Vitem dixisse Hebraei videntur, cum ob insignem foliorum (multifidorum, ut botanico verbo utar) tum ob capreolorum similitudinem: denique quod, nisi adminiculis sustineatur, et vitis et colocynthis humi serpit.

Celsius quidem P. I. hierobotanici p. 393. seqq. disputat, non colocynthides sed cucumeres agrestes vitem agri esse: nec negem, latius patere nomen atque et cucumeres agrestes complecti potuisse, colocynthidi in multis similes. At 2 Reg. IV, 39. colocynthides vel hanc ob caussam praetulerim, quod cucumeres agrestes maturi dissultu et crepitu legentem deterrent, nec bene concidi in ollam potuissent. Sed hac tota disputatio alius loci esto, sub פקעים, fructu vitis agrestis, tractanda.

Hi tamen ipsi, quos dixi, fructus, (פקעים) 1 Reg. VI, 18. in ornamentis templi Salomonaei memorati, admonent vitis aureae, quam Josephus in templo maximo artificio elaboratam fuisse tradit: Antiqu. XV, 11, 3. καθυπέρθεν δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς θριγχώμασιν ἄμπελος διετείνατο χρυσῆ, τοὺς βότρυς ἀπῃωρημένους ἔχουσα:

et

et de Bello Jud. V, 5, 4. εἶχε δὲ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, ἀφ᾽ ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο. Haec quidem ille, non de templo Salomonis, nec Zorobabelis, ſed de tertio, quod viderat, Herodis. Utrique templo cum vites ornamento fuiſſe dicantur, Salomoneo agreſtes, Herodiano verae ac propriae, aliquid ſubeſſe erroris ſuſpicari poſſis, nec quidem, Joſephum male de his retuliſſe, quae ipſe viderat, ſed Herodem ambiguitate vocabuli גֶּפֶן deceptum, pro vite agreſti (colocynthide) nobiliores vites, veras, ſubſtituiſſe, cum ſuo auſu templum denuo exſtrueret, (male ferentibus ille quidem Judaeis) eas vites, quae in praecipuis dotibus erant, Palaeſtinae a natura conceſſis: quod ſi fecit, non ſolum in interpretatione nominis גֶּפֶן, ſed et guſtu ac ſenſu pulcri erraſſe dicendus erit. Colocynthides pulcherrimum parietum templi ornamentum, non verae vites, multoque minus aureae uvae quinque pedem longitudine deſuper dependentes, ac prope minantes. Non materiam ſuperabat opus, ſed materia, aurum quod prodige profuſum erat, artificis guſtum.

3) Idem ſignificare videtur גֶּפֶן נָכְרִיָּה *vitis peregrina*, ut nos dicturi eramus, *vitis ſpuria* Jerem. II, 21. In bibliotheca Or. T. XV. p. 156. 157. jam adnotatum, manifeſto vitio grammaticali voces prave diviſas eſſe, הגפן נכריה (aut enim utrumque nomen, ſubſtantivum et adjectivum, cum He praefixo ſcribendum erat, הגפן הנכריה, aut neutrum) literasque ſic diſpeſcendas, סוּרִיָּה גֶּפֶן נָכְרִיָּה *colocynthis*, *vitis ſpuria*. Vide plura ſub סרי et שׂרי.

4) גֶּפֶן סְדֹם *vitis Sodomitica* Deut. XXXII, 32. cujus fructus ſunt עִנְּבֵי רֹאשׁ *botri ſpurii*, me quidem judice eſt *ſolanum*, vitis nomine dictum, quod uvas quodammodo habet ac folia viti ſimilia. Sed haec ſub ראשׁ plenius dicam, eoque lectores ablego.

גֹּפֶר Genes. VI, 14.

Ἅπαξ λεγόμενον, loco quem indicavi, ubi Noachus navigium suum ex *lignis Gofer* aedificat, de quo copiosius egit, sed parum ut mihi videtur feliciter, Celsius T. I. hierobotanici p. 325 - 334. me quidem judice pene desperandum, quod ignotae nobis et barbarae linguae, nulla cognatione Hebraicam attingentis, esse puto.

Ad Hebraicam quidem cognatasque linguas si referas, possint esse, *arbores adultae, optimae et plenae* aetatis, a جفر *adolevit*, sicque, cum nihil melius suppeteret, germanice verti, *wähle dazu grosse vollkommen ausgewachsene Bäume.* Conjectura est, non sententia.

Contra omnes fere consentiant, nomen esse arboris: quod si est, peregrina Palaestinae, alioque sub coelo nascens arbor habenda erit, quod neminem vidisse summopere miror. Magna arborem *Gopher* copia, vel potius silvas ejus fuisse ibi locorum, ubi Noachus ante diluvium habitabat, necesse est, ut tanto parando navigio sufficeret: ejusmodi vero arboris nomen, si Hebraeis, Aramaeis, Arabibus, domestica fuisset, non posset non et saepius in codice Hebraeo recurrere, atque et in reliquarum linguarum Orientalium vel una superesse. Jam cum Gofer arb[illegible] nec sacer codex amplius habeat, nec ulla linguarum cognatarum, consequi videtur, ut haec, cujus silva vel uni impendenda navigio fuit, exotica sit, nullibi in Palaestina, Arabia, Syria, Mesopotamia, Chaldaea, Assyria crescat. Exotica si est, nomen quoque, omnibus linguis Orientalibus ignotum, erit exoticum. Ubi locorum Noachus vixerit, cum ingruenti diluvio navigium pararet, nullo verbo Moses prodidit: sumi video ab interpretibus, in Armenia aut certe ejus vicinia, sed quo sumatur argumento plane non assequor; quod enim post annum, vagum ejus in illo immenso ne fines habente Oceano navigium ad montes Armeniae adhaesit, indicio profecto non

est,

eſt, his ab montibus profectum aut in illis aedificatum eſſe. Poſſit ergo eſſe, Indiae, Chinae, Africae, aut ſi valde cupias, Americae arbor: illarum terrarum, in quibus Hebraice, Syriace, Chaldaice, Arabice loquuntur, non poteſt eſſe. Quod ſi exoticum nomen eſt, plane omnes repudiandi, qui Hebraicum גפרית, *ſulphur*, contulerunt, indeque pro lubitu aliquam dici voluerunt reſiniferam arborem, *pinum* hi, illi *abietem*, aut quae alia ſe obtulerat. Sulphur et reſina non ſunt eadem, nec omnino ab Hebraico nomine hoc exterum derivandum. Hi ergo res ſuas ſibi habeant.

Eadem ratio et cupreſſo obſtat, cujus cauſſam agendam ſuſcepit Celſius. In Syria omni, in Libano, Phoenicia, Palaeſtina, Aſſyria, Babylonia, frequentem eſſe probat: ex quo mihi quidem conſequi videtur, ut non poſſit גפר eſſe, ſemel in Hebraicis lectum, reliquis linguis Orientalibus ignotum omnibus.

Ebenum Bochartus intelligebat, me quidem judice paulo reliquis omnibus veriſimilius. Huic quod opponit Celſius, in ſola India ebenum naſci, nec tam longe petendam Noacho aedificandi materiam; id quidem vel maxime pro ebeno facit. Exotica enim, et, ſi lubeat, Indica arbor quaerenda. Sumebat Celſius, longe ab India habitaſſe Noachum cum navigium conderet: ſed hoc unde noſſe poterat, Moſe tacente? Lignum praeſtantiſſimum et duriſſimum, ut navigium ex eo fabricari jubere deo videri dignum poſſit. Nec haec ita ſcribo, ut ſententiam dicere auſim, nullo enim argumento conſtat Gofer ebenum eſſe, nec novimus ulla a gente barbara ita vocari: vereor etiam ut navigiis lignum tanti ponderis, omnium prope quae novimus graviſſimum, aptum ſit, qua quidem de re, et num in India ex ebeno naves conſtruantur, miſſionarios in India Lutheranos interrogavi. Reſponderunt: *nulla ex eo navigia, quantum ipſi quidem ſciant, parari,* nec

nec solam obstare gravitatem, sed et nimis rigidam duritiem, cujus consequens sit, ut impingens facilius dissiliat. Vide ipsorum verba in bibl. Or. T. 23. sect. secunda.

Samaritanus cum סיסם (non זיזים) reddat, eique vocabulo ipse Celsius, ebeni adversarius, conferat ξύλα σεσάμινα, teste Arriano in periplo, Indica, atque ut alii referunt ebeni similia, inquisivi, quid versio Arabico-Samaritana, Oxonii adservata, ejus loco habeat? Respondit mihi Clarissimus Fordius خشب ساج, *lignum Sach*, ipsissimum nomen, quod in Eutychii annalibus lectum Bochartus ebenum interpretabatur. (Hieroz. P. II. p. 847.) Ergo et Samaritanus pro ebeno esse videtur.

Quid spectantes LXX. ξύλα τετράγωνα, *ligna quadrata*, verterint difficile dictu, ac ne constat quidem, quid hoc nomine intellexerint. Ligna quadrata, in asseres secta, non rotunda, navigio parando adhibenda esse, id quidem certum: sed dictune opus? tamne erat stipes Noachus, ut divinitus monendus videretur, non truncos, quales a natura sunt, rotundos compingendos esse, sed antea in tabulas asseresque dissectos? Vossius quod habet, (p. 34. de translat. LXX.) aliusque post alium ex illo repetiit, arbores resiniferas, abietes, pinus, alias, quadratas vocari, quippe *quarum rami ita aequaliter a truncis suis prodeant, ut quaterni simul explicentur, et instar quatuor brachiorum pares faciant angulos*, vix dignum relatu. Quatuor brachia habens, non est τετράγωνον, *quadratum*, nec usus graecae linguae significationem male confictam vel unico firmat exemplo.

Ergo, aut ignorantiam fateamur, in vocabulo barbaro, donec aliquid, forte ex India lucis, aut ligna adulta plenae aetatis intelligamus.

ברבשי

גִּרְגָּשִׁי *Gergeseni.*

Gens Cananitica ab Occidente Jordanis, ſed diu ante Chriſti tempus ita deleta, ut nihil praeter nomen in antiquis libris, ſupereſſet. Vide Spicilegii T. II. p. 20. et introductionem in Nov. Teſt. p. 641-644. editionis tertiae.

גרד *radere, ſcabere.* Job. II, 8.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod ex ipſa orationis ſerie recte interpretati ſunt lexicographi, התגרד. *ſcabere ſe.* Concinit hiſtoria morbi: lepra, cujus ſummus gradus elephantiaſis, a prurigine incipit. Habent verbum cum Aramaeis Arabibusque commune Hebraei, quod et hic utraque verſio retinuit, ܠܫܚܢܗ ܕܢܓܪܘܕ ܒܗ, لِيَتَجَرَّدَ فِيهِ. Arabibus quidem eſt, *decorticare, ſcalpere, abradere,* (quod frictioni leproſi aptiſſimum) Syris et Chaldaeis, *radere,* unde ܓܪܘܕܐ *ramentum.*

Minus bene LXX. ἵνα τὸν ἰχῶρα ξύῃ, exque illis Vulg. *qua teſta ſaniem radebat.* Nihil de ſanie eſt in Hebraicis, non verbum גרד illam ulla in lingua orientali complectitur: nec in initio leprae ſanies.

גרה in Piel, et Hithpael, *rixari, bellum gerere.*

Verbum ter in Piel obvium, יְגָרֶה מָדוֹן Proverb. XV, 18. XXVIII, 25. XXIX, 22. ſaepius in Hithpael, הִתְגָּרָה Deut. II, 5. 19. 24. 2 Reg. XIV, 10. Jerem. L, 24. Proverb. XXVIII, 4. Daniel. XI, 10. 25. 2 Paral. XXV, 19. cujus ſignificatio, *rixari, contendere, bellum gerere,* legenti ſtatim ſe offert: in etymologia, et illuſtratione ex Arabismo male ſudaſſe interpretes et lexicographos videas. *Miſcere* lites, *immiſceri* bello, olim reddebant lexicographorum aliqui, forte non etymon exprimere ſibi viſi, ſed paraphraſtice, quamquam Stockius generalem verbi ſignificationem (ex conjectura, ut ſolet) habet, *mixtionem,*

nem, et collisionem unius cum altero. Alii ex Arabismo opem tulerunt, sed parum feliciter: Joannes Henricus Michaelis in notis ad Deut. II. monebat, Arabibus verbum significare, *animosus*, *audax fuit*, quod quidem verum in verbo جَرُؤَ, sed non animadvertit, esse illud tertiae rad. Aleph mobilis, גרא. Forte tamen a vero proxime abfuit, possit enim Arabicum ex nostro permutatione tert. rad. ה et א ortum esse. Schultensius, p. 412. grammaticae Hebr. confert غرا *adglutinare*, in quarta, hostiliter aliquem alteri adglutinare, *incitare* contra eum, sed nullo certo exemplo sumens, ג et غ permutari. Recepit tamen in lexicon Simonis.

Ex Aramaea potius lingua opem petere, atque ante omnia, vel omissa etymologica inquisitione, usitatam verbi significationem confirmare fas fuisset. Syris quidem ܐܬܟܪܝ sine dubio est, *bellum gerere.* Anonymus, in Assemani biblioth. Or. T. I. p. 3. de Sapore rege Persarum: *mortuo Constantino Magno* ܐܫܟܚ ܠܗ ܐܪܥܐ ܕܢܬܟܪܐ ܥܠ ܒܢܘܗܝ ܡܛܠ ܕܛܠܝܐ ܗܘܘ ܘܐܡܝܢܐܝܬ ܥܠ ܒܥܘܠܝܐ ܥܠ ܐܪܥܐ ܕܪܗܘܡܝܐ ܡܥܠܠ ܗܘܐ *invenisse sibi visus opportunum tempus belli contra filios ejus gerendi, quod adolescentes admodum essent, assiduas incursationes in terras Romanas faciebat:* ac paulo post, ܡܛܠ ܗܢܐ ܒܥܠܬܐ ܡܩܒܠܐܝܬ ܐܬܟܪܝ ܒܚܣܡܐ ܐܪܥܐ ܠܥܒܕܘܗܝ ܕܐܠܗܐ ܕܬܚܬ ܐܪܥܐ ܕܐܘܚܕܢܗ *quam ob caussam infestior etiam odiis erat servis Dei* (christianis) *suae ditionis.* Similiter Chaldaeis, ut 1 Paralip. XIX, 6. *cum viderent Ammonitae* אֲרֵי אִתְגְּרִיאוּ בְּדָוִד *quod jam bellum haberent cum Davide.* — — His etiam ex linguis aliquid certe etymi disces: utrique גְּרֵי est *concitare*; אתגרי *concitari contra aliquem.* Vide Buxtorfii lexicon p. 474. ubi Chaldaica significationis exempla, passim jam ad *litigandum* transeuntia magna copia habebis:

bebis: et Act. XXI, 27. ܓܪܝܘ ܥܠܘܗܝ ܠܟܠܗ ܥܡܐ *concitarunt contra eum populum*, graece συνέχεον τὸν ὄχλον, Arabs Erp. Syriaca vertens, اغروا به الشعب, quam Arabicam versionem hanc ob caussam omittere aut dissimulare nolui, quod possit pro Schultensiana derivatione citari. Verum interpretis non est, derivationes exprimere: Syris, Arabibusque ܓܪܝ et اغري est, *concitavit*, sed propterea non idem origine).

Jam de etymo si adcuratius quaeras, mihi sic videtur. Arabibus جري (quod omiserunt de התגרה inquisituri,) cum suis derivatis, est, *currere*, atque etiam *fluere*, forte idem cum Syriaco ܓܪܐ *traxit*, solent enim *trahendi* verba etiam de eundo et fluendo orientalibus poni: hinc ܓܪܝ proprie, *incurrere fecit*, ut Deut. VII, 21. *etiam crabrones* יְשַׁלַּח יהוה *immittet illis Jehova*, Syr. ܐܓܪܝ ܡܪܝܐ ܕܒܘܪ̈ܐ eodemque verbo usus Chaldaeus, יְגָרֵי יְיָ בְּהוֹן, XXXII, 24. שֵׁן בְּהֵמוֹת אֲשַׁלַּח בָּם *dentem beluarum immittam illis*, ܫܢܐ ܕܚܝܘܬܐ ܐܓܪܐ ܒܗܘܢ Chaldaeusque similiter, שֵׁן חֵיוַת בָּרָא אֲגָרֵי בְּהוֹן: indeque, *incitare*, *instigare*, 1 Sam. XXVI, 19. 2 Sam. XXIV, 1. pro Hebraico הסית. Hinc in Hithpael התגרה *concitare se in aliquem*, *rixari*, itemque, *in acie concurrere*. Haec quidem ita plana, ut artificio nullo opus sit: quae si vera sunt, peribit etiam Schultensiana ab غري derivatio, licet enim, ut paulo ante notavi اغري idem significatu secundario sit, quod Syriacum ܓܪܝ, *concitavit*, *incitavit*, casui id dandum, qui vel oppositas aliquando significationes sub iisdem literis conjungit, non cognationi, Syris incitationem a *currendo*, Arabibus ad *adhaerendo* dicentibus.

Ad hanc jam et radicem

תִּגְרָה Pf. XXXIX, 11. *lis*, *pugna*

recte a plerisque refertur, nomen cum Thau praeformativo, quod saepe habent ex Piel et Hiphil derivata. Ipsissimum adeo nomen sub *litis* significatione Syri Chaldaeique habent, תִּגְרָא, ܬܓܪܐ. *Lis manus Dei*, est, *manus Dei nos oppugnans*.

גָּרַז *resecuit*.

Ἅπαξ λεγόμενον Pf. XXXI, 23. quod recte monent idem esse cum גזר, quamquam hoc ipsum adeo verbum (נגזרתי) octo codices Kennicottiani habent. Arabibus quoque جرز est, *amputavit*, *resecuit*, quin et, plane ut جزر, de quo vide pag. 292. *comedit:* vere unum idemque, literis modo transpositis, verbum. – – *Resecari ab oculis Jehovae*, phrasis duriuscula: sed meminerimus *insulam*, *sejunctam a reliquis terram*, גזירה resectam dici, p. 292.: forte ergo mollius sic interpretaberis, *videbar mihi in exsilium, in longe sejunctas ab oculis Jehovae terras abactus*, *procul a Palaestina vitam acturus*. Sed haec conjectura est, non sententia.

גִּרְזִי *Girzaeus*.

In Cthib occurrit 1 Sam. XXVII, 8. cui lectioni sola concinit Vulgata, *Gerzi*, habens. Mihi quidem, cum et verbum גרז idem sit ac גזר, hoc quoque inde ortum nomen idem videtur esse cum Keri גזרי, de quo p. 293. actum. Ex novis literariis didici, Koecherum anno 1783. *libellum de Girzaeis* edidisse, cujus haec summa, גרזי esse Gerasenos: qui quibus argumentis utatur, ignoro, Goettingae enim scriptum, cum quaererem, reperire non potui unde nec judicare possum. Est tamen mihi perquam suspecta sententia, cum quod secundum leges grammaticas גרזי vix *Gerasenus* esse potest, Zain Hebraicum Graeco ζ latinoque Z respondente, neutiquam Σ et S, quibus a literis est ipso sono disjunctissimum; deinde quod Gerasenorum nomen Hebraice גרש scribi puto, Arabice جرس, quod infra vide.

גרל

גרל Proverb. XIX, 19.

In textu loco citato eſt גרל חמה, quod Schultenſius in commentario cum Arabico جرل *lapidoſus fuit,* جرل *lapis,* جرول *terra lapidoſa* conferens, *aſperum iracundia* interpretatur: quod mihi quidem nimis videtur conjecturale, cum ipſam aſperitatem Arabes ſub hac radice non habent, ſed ſolum aliquod etymon a quo forte dici potuerit. Multo expeditius, Cthib גרל efferre, *ſors iracundiae reportat damnum* vel, *mulctam.* Sors autem quod a جرل lapide nomen acceperit, quilibet Schultenſio adſentietur. Caeterum veteres omnes, ſolo excepto Theodotione, μεγαλόθυμος habente, nec גרל textus, nec גרול marginis expreſſerunt, credo, quod גרל legerent, ſed non intelligerent: Vulg. *qui impatiens eſt*, et, qui in Proverbiis concinere ſolent, LXX κακόφρων ἀνὴρ, Syr. ܓܒܪܐ ܒܝܫ ܚܡܬܐ, Chaldaeus, גברא חמתנא. Suſpicari poſſis, eos גבר legiſſe, quod quidem cum nullus codex habeant, hique tres unus modo ſint, forte non legerunt, ſed primus ex illis conjecit, ita legendum, eumque reliqui ſequuti ſunt, unus alterum exſcribere ſoliti.

גרם *comminuere?* an, *nudare?*

Verbum ter omnino ſecundum puncta codicis maſorethici obvium, Num. XXIV, 8. Ezech. XXIII, 34. Sophon. III, 3. Commentum Simonis, proprie *duritiem* ſignificare, indeque ſylleptice eſſe, *durus fuit contra aliquid*, i. e. *confregit*, morbis ejus temporis etymologicis adnumerandum, nulla linguarum orientalium ſuffragante. *Oſſa* quia גרמים dicuntur, verbo *roboris* et *duri* ſignificatum comminiſcebatur, quaſi vero non et aliunde, ut deinde videbimus, oſſibus nomen duci potuerit.

Confringere lexicographi plerumque vertunt, praeeuntibus Num. 24. Syro, Vulgata, Arabe Erpenii, ac fortiore verbo uſis LXX, ἐκμυελιεῖ,

μυελιεῖ, *medullam exsuget*, quod fieri nisi diffractis ossibus nequit. Hos quidem in versione germanica ubique sequutus sum, sed fateor, dubitasse, atque indies magis dubitare.

Frangendi significationem lingua Arabica et Syriaca sub his literis non habent, sed poterat, ac sic quidem mihi videbatur, verbum denominativum esse a nomine גֶּרֶם, *os*, — — *ossa frangere*, quod loco Num. 24. egregie aptum. At ab Ezechiele idem verbum de vasis testaceis diffractis ponitur, perquam abusive, si proprie est *ossifragium*: derivationis ac propriae significationis nullam aliquando in usu linguarum haberi rationem novimus; sed haec audacia in usitatis conceditur verbis, non in rarioribus. Sophoniae denique dictum, *lupi vespertini, qui mane nondum comminuerunt ossa*, displicere magnopere legenti possit, nec enim vorax ac famelicus, sed in vorando piger lupus videbitur, qui mane ossa nondum comminuerit. Accedit quod veteres Ezechielis et Sophoniae interpretes de comminuendi significatione plane non cogitarunt, ut certe illo tempore, quod propius abfuit ab Hebraicae linguae interitu, ignota fuisse videatur.

Nihil definiam, sed tamen dubitare ausim. Arabibus quidem جرم, inter alia est, *resecuit*, *amputavit*, (quo sensu et Syrus Ezech. 23. accepit, חרשיה תגרמי, sed aliter lecto priore verbo, vertens, ܘܣܥܪ̈ܟܝ ܬܓܙܘܪܝ *crines tuos resecabis*) indeque, *destringere* ramos, foliis demtis, *nudare*.

Haec quidem, non conjiciendo, reperta, sed Arabibus usitata significatio, egregie convenire primo loco, Num. XXIV, 8. videtur, עצמותיהם יְגָרֵם *ossa eorum nudabit*, i. e. vorabit carnem, ossaque nudabit, rodet ossa. Quin ex veteribus ita praeivit Saadias, يعرق *rodet*. — — Hoc si sumas, ipsa ossa forte a nudando nomen גרם habent,

habent, proprie, *ossa nudata*, ossa sine carne, qualia sunt in sceleto. Certe et Syris ܓܪܡܘܣܬܐ est, *cadaver osseum*, *sceletus*.

Ezechielis locus magis dubius, forte ne lectione quidem certa, collatis LXX, sed de ea non disputabo, cum et satis consentiant codices Kennicottiani, ac melior etiam consvetae lectionis sententia Graeca versione videatur. Perquam aspere vertit Vulgata, *fragmenta ejus* (poculi) *devorabis*, (quod vix aliquem aliquando potatorem fecisse recentiorum temporum annales in miraculis memorant) rodendi significatione in majus aucta. Equidem malim et hic vertere, *testas ejus rodes*, i. e. lambes, ne guttam quidem in illis vini relictura.

Sophon. III, 3. alias omnino significationes veteres habent: LXX οὐχ ὑπελίποντο, (ex quibus Ar. لَا يُبَقُّون) Vulg. *non relinquebant ad mane:* Chaldaeus et Syrus, ܠܐ ܡܟܬܪܝܢ et לא מוריכין *non manebant ad mane:* quae quomodo duce philologia ex לא גרמו effici queant, alii viderint. Mihi quidem orta suspicio, loco verbi, mutatis vocalibus nomen legendum, לֹא גֵּרְמוֹ, *lupi sunt vespertini: mane illucescente ne ossiculum quidem ejus* (praedae) *superest*, i. e. ita avidi et voraces, ut pecudis vesperi laceratae mane nullum ossiculum supersit. Alia de variis verbi apud Orientales significationibus, infra obiter post nomen גֶּרֶם explicatum dicentur.

גֶּרֶם *ipse* 2 Reg. IX, 13. *eximius.*

Ossis significatio, cujus derivationem verisimilem vixdum indicavi, omnibus lexicis nota et certa: sed ex ea expediri non potest, in quo mire sudarunt interpretes, locus difficilior, ac forte nemini recte intellectus, 2 Reg. IX, 13. ubi Jehuum extemplo regem dicturi duces exercitus, subjectis vestibus sedere faciunt *in Gerem graduum*, גרם המעלות. In diversa abeunt veteres et recentiores, quae ante omnia scire opus est.

1) LXX ipſum nomen ignotum retinuerunt, ſed non uno modo deſcriptum: ἐπὶ τὸν Γαρὲμ τῶν ἀναβαθμῶν, ex codice Alexandrino, ἐπὶ Γαὲρ (credo, pro Γαρὲμ, lapſu librarii) τῶν ἀναβαθμῶν, apud Theodoretum, ἐφ᾽ ἓν τῶν Γεραμὶν, in Hexaplis, addito comite Theodotione, ἐπὶ Γαρεὶμ ἕνα τῶν ἀναβαθμῶν. Sic qui retinuerunt, גרם pro nomine unius graduum habuerunt. Ita et Symmachus, ἐφ᾽ ἕνα τῶν ἀναβαθμῶν.

2) Proximi ab his, *ſummum gradum* intelligentes, Arabs, على درج المطّلع, et Kimchius, המעלה העליונה שבמעלות, quod, rei ut geſta videtur ſatis conſentaneum, chriſtiani interpretes plerique, ut ſolent, ex Kimchio ſumſerunt. Sed obſtat, quod linguae orientales גרם ſub hac ſignificatione omnino non habent. Videri quidem poſſit Joannes Henricus Michaelis in nota ad h. l. Arabicae linguae auctoritatem adferre voluiſſe, (*in faſtigio*, *ex Arab.*) verum جِرْم Arabibus *corpus* eſt, non *faſtigium*. Sed puto, illum Arabicum interpretem citare voluiſſe.

3) Chaldaeus *horologium*, דרך שעיא (*gradum horae*) intellexit, quod alias אבן שעיא, *lapidem horae* vocare ſolet, Jeſ. XXXVIII, 8. Nempe hoc ipſo, quem dixi, loco, מעלות gradus ſunt horarii Achazi, de גרם quid ſenſerit, Raſchius illum interpretari ſolitus, ſic exponit: גרם *ſignificationem habere ſecandi*, (פגם) *unde et apud Thalmudicos aliquod mactationis genus* הגרמה *dicatur*, quo de genere, vel potius vitio mactationis vide Buxtorfii lexicon Thalm. pag. 478. Parum in his liquidi. Volebat, quantum video, horologium a ſecando dictum eſſe, quod lineis ductis ſectum ſit: ſed hanc ipſam *ſecandi* notionem male ex Thalmudico הגרמה probat, quod potius *aberrationem cultri* ſignificat, a جرم *aberravit*, *peccavit*, *deliquit*. Reſecandi, amputandi ſignificationem ſupra ex Arabiſmo verbo

verbo adserui, sed alia sunt, secare generatim, et resecare, nec ab amputando aut resecando horologium dici potest. Vix etiam putem, illo jam tempore in ipsis castris horaria posita habuisse Israelitas, quibus vel nostra carere castra solent.

4) Syrus ܡܘܬܒܐ, *sedem*, vertit, conjectura, ad quam filo sibi orationis deduci videbatur: nuspiam enim גרם *sedere*.

5) Aquila, ut solet, etymologice, ὀστῶδες τῶν ἀναβαθμῶν. Sed quid sit, *osseum graduum*, Hebraico vocabulo non minus obscurum.

6) Quamquam ausus est ossa graduum interpretari Simonis, *gradus lapideos*, nempe quod lapides duri sint. Fateor, sed propterea in prosa oratione lapides nemo ossa dixerit, usu certe linguarum orientalium haec significatio destituitur.

His ergo omnibus valere jussis, verisimiliorem proposuerim explicationem. *Ossium* nomen orientalibus in pronomen IPSE transire solet, ut עצם היום *os diei*, pro, *hic ipse dies*. Sic et Chaldaei nostrum גרם pro *ipse* ponunt, cujus phrasis exempla vide in Buxtorfii lexico col. 477. 478. ut עבד צליבא לגרמיה *fecit crucem sibi ipsi*. Jam vestes positas dici putem על גרם המעלות, *super ipsos gradus*. Aut si hoc non satis adriserit, ex *nudandi* significatione, de qua supra sub verbo egi, vertere eadem sententia possis, *nudis gradibus vestes imposuerunt*. Sed prius praeplacet. Oberrat aliquid memoriae, de Rabbino עצם המעלות vertente: quod si quis Rabbinorum fecit, nec memoria fallor, idem mecum sensisse videbitur.

Quaeri posse video, quid spectantes LXX Genes. XLIX, 14. חמר גרם (sic enim legebant,) verterint, τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν, *pulcrum concupiscit*. Quod succurrit, respondeo, licet illorum sententiae minime accedam. Habet forte גרם aliquid ejusmodi significationis in linguis

linguis orientalibus, ut, جَرْم, quod Golius ex Maruphide adfert, *jumentum eximium*, sed suspicor, ex alia radice tralatitium esse, videturque omnino notandum ad diversissimas significationes quas literae גרם in linguis Orientalibus habent, plura verba mutatis paulisper literis hic concurrere. Ex Arabico كرم *nobilis fuit*, et كريم *nobilis*, Caph in Gimel mutato, *eximium*, *καλόν*, dici potuit. Syris ܓܪܡ saepe pro Hebraico כלה ponitur, estque, *perfectus*, *consummatus*, *plene decretus fuit*, (1 Sam. XX, 33. 34. XXV, 17.) Chaldaeisque גרם est, *caussari*, proprie, aliquid perficere: nisi fallor, per metathesin ex radice גמר. Quin ipse Chaldaeus תגרמי Ezech. XXIII, 34. תְּגַמְרִין interpretatus est.

גרס *comminuit*, גֶּרֶשׂ *contusum*. Ps. CXIX, 20. Thren. III, 16. Levit. II, 14. 16.

De recepta in lexica et commentarios significatione dubitare non licet per Syriacum ܓܪܣ *comminuit*, *contudit*, ac figurate, *male adflixit*, ܓܪ̈ܝܣܐ *contusum*, Arabicumque جرش *contudit* (in partes etiam grossiores) جريش *comminutus*, indeque *sal mali odoris*, i. e. qui a natura est in partes minutiores contusus, *kleinkörnig* germanice, hic enim sal facilius corrumpitur eo, quam cujus grana majora sunt. Est ergo contundere, sive in majores partes, sive et in minores.

גרע, *sorbere? bibere? radere?*

Verbo multoties occurrenti diminuendi significationem nemo negaverit, haec autem unde orta, utrum a sorbendo bibendoque, an a radendo, quaestio est etymologica, non maximi quidem illa momenti, major autem et gravior, ipsisne his significationibus גרע in sacris

cris literis legatur. De hac quidem ut agam, alteramque etymologicam attingam, haec lectores de Arabica et Aramaea lingua ſcire velim.

1) جرع Arabibus ſine dubio eſt, *ſorpſit, hauſit*, ad quam ſignificationem et omnia verbi derivata referenda, ut, *arena* tanquam bibula, pluviae avida, *ſedavit iram*, q. d. bibit, aquam ei adfudit. Vide non tam Golium, quam Caſtellum, exempla ſignificationis citantem. A ſorbendo diminutionem dici potuiſſe, tanquam *ebibere*, quis non videt.

Hac quidem propria ſignificatione verbum Hebraicum occurrere exiſtimo, (ut jam monuit Schultenſius) Job. XV, 8. ותגרע אליך חכמה *et bibiſti in te*, i. e. totam ebibiſti, tibique ſoli hauſiſti *ſapientiam*. Forte idem voluit, ſed aliis punctis legendus Chaldaeus, וְאַטְפְּתְּ לוּתך חכמא, *et inſtillaſti tibi ſapientiam*.

2) Syris ܓܪܥ eſt, *raſit, totondit*, ut magna ſane exemplorum copia confirmat, quem hic conſuli velim, Caſtellus. Hac ſignificatione גרע de barba poſitum Jeſ. XV, 2. Jerem. XLVIII, 37. non poteſt non accipiendum videri, וכל זקן גרועה, *et omnis barba raſa*, quod enim Venema ad Jeremiam habet, *omnis barba abſorpta*; non dubito, quin illi ſoli relicturi ſint, ſi qui aliquo guſtu et judicio ad philologiam tractandam accedunt.

Et tamen, ut verum fatear, haec mihi ſignificatio, ab altera ex Arabiſmo nota et certa nimis ſejuncta, perquam videri coepit ſuſpecta. Quid? ſi utrumque radendi verbum per Daleth, גרע, ܓܪܥ, ſcribendum ſit? Hanc certe radicem in lexicis Syriacis cum radendi ſignificatione exſpectare fas erat, cum ipſis Hebraeis גרע ſit, *ſuccidere*. At ea prorſus carent, ejusque loco ܓܪܥ *raſit*, habent, confirmatum, fateor, a Caſtello et Schafio exemplis, ex vetere et

novo

novo Testamento petitis: verum cum innumeris locis in literis ܪ et ܕ, solo puncta, quod saepe omitti a librariis solet, diversis errari soleat (*), suspicor etiam hic in lingua mortua ab editoribus universis erratum, et ܓܪܥ pro ܓܕܥ editum esse. Multa ejusmodi in linguis mortuis ecclesiasticis accidunt, novimusque, qui semper canebat, *mumpsimus corpus tuum*, ne ei quidem credens, qui, *sumpsimus corpus tuum*, adpellandum monebat. In duobus locis Hebraicis גרועה per Daleth legendum videtur: sic quidem Jes. XV, 2. Kennicottus in textu habet (**), non nisi 14 aut 15 codicibus notatis, per Resch גרועה exhibentibus, ac Daleth sine dubio legerunt LXX. *πάντες βραχίονες κατατετμημένοι* (כל זרוע גרועה) vertentes. Locus quidem parallelus Jerem. XLVIII, 37. si vel nihil varietatis haberent codices, ex Jesaia corrigendus: sed et ibi duo codices Kennicottiani a prima manu גדועה habent, tres in hunc usque diem גדעה. — — Ergo גרע, *rasit*, jam ex lexicis sacroque codice eliminandum.

גָּרַף *verrere, abluere, expurgare.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jud. V, 21. male a lexicographis, *volvere*, conversum: pro quibus si ex Syriaco Castelli lexico adferre animum subeat, Syris esse, *devolvit*, sciendum, id ex solo loco, de quo jam quaeritur, ad Hebraicorum lexicographorum morem verso, sumtum esse: omnia enim reliqua Castelli citata, *inundandi*, *exhauriendi*, *exsiccandi* significationem habent. Primus ex Arabismo, cui جرف *verrere*, *everrere*, *abluere*, egregie illustravit Lette ad h. l. adferens ex

Phiru-

(*) Vide grammaticam Syriacam p. 5.

(**) Etiam insignis et rarissima Stephani editio, anno 1539 in fol. minore, quam in bibliotheca Or. T. XIV. n. 232. descripsi.

Phiruzabadio, جرفته السيل averrit aliquid torrens, exque Corano, Sur. IX, 110. *meliorne est, qui fundavit aedificium suum super timorem Dei et beneplacitum ejus, an qui fundavit aedificium suum* علي شفا جرف *super ripam ab aqua exesam.* Idem et significat Syriacum ܓܪܦ cum derivatis, ut ex Castello disces. Plerumque pro Hebraico שטף, *inundavit, submersit, ponitur*, ut Dan. XI, 10. inque locis a Castello citatis, Jes. VIII, 8. X, 22. XXVIII, 18. Jerem. XLVII, 2. Cant. VIII, 1. Vertes ergo Jud. V, 21. *torrens Kison eluit illos*, i. e. secum absportavit.

מגרפה *pala lignea.*

Ἅπαξ λεγόμενον Joel. I, 17. in quo mirum, neminem verum ultro se offerens vidisse, omnes in diversa iisse.

1) *Praesepia* LXX. et Syrus habent. Haec quidem unde?

2) Vulg. *stercus*, quod quidem ab everrendo dici potuisset. Sic illa: *computruerunt jumenta* (פרות pro פרדות) *in stercore suo.*

3) Chaldaeus, *opercula*

4) recentiores, *glebas*, vertunt, nulla omnino auctoritate, aut argumento philologico, nisi quod Job. XXI, 33. conferunt, ubi רגבי glebas aliqui interpretantur. רגבי vero quid ad מגרפות, nisi summa audacia literas mutes et transponas?

Mihi vero omnia videntur prona et facilia. A גרף *verrere, mundare, palas* intelligo, quibus frumentum in horreis purgatur, jactaturque ne situ corrumpatur: nec haec conjicio, sed ipsissimum nomen Arabicum مجرفة *palea est lignea* (*qua*, ut addunt lexicographi, *solum a luto mundatur*) *Schaufel* germanice; Syris ܡܓܪܦܬܐ *everriculum sordium.* Sub ipsis prope paleis minui frumentum in hor-

 reis

reis dicit propheta. Vide notas ad versionem germanicam, et infra עבש, *contrahi*,

אֶגְרוֹף Exod. XXI, 18. Jes. LVIII, 4.

Pugnum vertunt lexicographi prope unanimiter, atque utrique loco, ubi occurrit satis apte, nec tamen ita certa significatio, ut ab his creditur, qui veteres non consuluerunt, *pugnum* inter et *baculum* divisos. Pugnum ob etymon praetulisse recentiores videntur, quod a *convolvenda* manu dictum putarent: quod quidem, cum *convolvendi* significatio sit fictitia, nihil momenti facit.

Pugnum ex veteribus habent, LXX. et Vulgata utrobique, ac nisi fallor, Syrus in Jesaia: ܩܛܝܪܬܐ enim *nodatam manum* intelligo, plane ut ibidem Arabs pro Graeco *πυγμή* عقد انامل *vinculum* seu *nodum digitorum* reposuit.

Contra *baculum* vertunt, (ad filum orationis perquam apte, maxime primo loco) in Exodo Syr. ܚܘܛܪܐ, atque utrobique Chaldaeus, כורמיזא.

Arabes Pentateuchi interpretes obscurioribus vocabulis utuntur, quibus et lexica carent Arabum; Saadias, شادخ q. d. *frangens*, a شدخ fregit. Instrumentum rusticum, quod rixantibus statim ad manus erat, intelligendum videtur, pala, sed ferro munita, frangendis glebis. Arabs Erpenii, ترابة quod ipsum quoque palam significare videtur, a تُراب *pulvere*, quem everrit, ita dicta.

Interpretatione tam diversa ac dubia, ab etymologia opem petere necesse erit. Hac quidem arbitra excludendus videbitur baculus, qui quomodo a גרף nomen sortiri potuerit, non adparet. Vinceret, *pala*, ab everrendo dicta, si de uno loco Exod. 21. quaereretur: instrumentum est rusticum, iracundo statim ad manus, quod optime cum

lapide

lapide componeretur, mortiferum etiam: sed rem mihi dubiam alter Jesaiae locus facit, nec enim placet, *pala injusta*, qua de phrasi si cui aliter videatur, recte quidem palam praetulerit. Pugno inveniri etymon possit a ܫܛܦ, quod frequenter pro Hebraico שטף *inundare, submergere*, poni, hujus jam tum memor quaestionis, p. 361. monui. Dividunt Hebraei aliique Orientales, lotiones manuum, quarum una est שטיפה *immersio*, cum tota manus immergitur, quod quidem Marc. VII, 3. πυγμῇ νίπτεσθαι dicitur. Ab hacne ergo immersione ea pars quae mergitur, pugnus, nomen accepit? — — Verisimilia ergo dixerunt lexicographi, quae et in versione germanica sequutus sum, non certa.

גָּרַר *traxit.*

Trahendi significatio certa, Hebraicaeque linguae cum Arabica et Syriaca, quibus جَرَّ et ܓܪ est, *traxit*, communis: unde non video, cur Coccejus statuat, *in Chaldaismo patriam et originem habere.* Nec illis adsentior, qui cum נגר origine idem putant, utriusque verbi significatione non una: ortus inde error, quod יַגֵּר et similia, mediam radicalem geminatam in prima compensantia, ad נגר retulerunt. Caeterum sunt aliqua de specialiore usu verbi addenda

1) סַעַר מִתְגּוֹרֵר, seu, ut in quatuor codicibus defective scribitur מִתְגֹּרֵר Jerem. XXX, 23. mihi quidem esse videtur, *procella humi se trahens*, gravi nube terram fere attingente; aut si id displiceat, *procella turbine abrepta*, verbum enim Arabibus Syrisque inter alia est, *abstrahere*, *abripere.*

2) הִגִּיר עַל יְדֵי חֶרֶב Ps. LXIII, 11. Jerem. XVIII, 21. *trahere aliquem gladio*, nota est, ac jam a Golio enotata, phrasis Arabum, أَجَرَّ *confodit hasta, hastam in illo infixam relinquens.* Proprie videtur

tur esse, cum hasta aut gladius in vulnere quassantur et commoventur, corpusque confossi illis trahitur.

3) Syris ܐܓܪ in Aphel est inter alia, *protraxit*, *duravit*, *perseveravit*, ut Jud. II, 7. *seniores* ܕܐܓܪܘ ܚܝ̈ܐ ܒܬܪ ܝܫܘܥ *qui protraxerunt vitam post Josuam*, Hebr. אשר האריכו ימים אחרי יהושע: Act. XX, 7. ܐܓܪ ܠܡܡܠܠܘ *protraxit loqui.* Hinc consvetam lectionem Ps. LXXVII, 3. ידי לילה נִגְּרָה explicandam puto, *manus mea noctu perseverat*, nempe, extensa ad deum in precibus. In sententia plerique consentiunt recentiorum, praeeuntibus, Symmacho, ἐξετέτατο, Hieronymo, *extenditur*, horumque sequace Luthero, *ist des Nachts ausgereckt*, quos et lexicographorum aliqui sequuti sunt: hi quidem male paraphrasticos interpretes, גרר enim non est, *extendi*, sed, *perseverare*. Aliam veterum lectionem נגרה sub נגר explicatam invenies.

גֵּר *radices montes.*

Semel occurrit Job. XXVIII, 4. a plerisque male ad גּוּר relatum, rectius a Schultensio ad Arabicum جُرّ *radices montium*, dictas a trahendo, comparatasque σύρματι vestium. Erumpere ex eorum montium, in quibus metalli fodinae, radicibus, rivi dicuntur.

גֵּרָה *siliqua*, *pars sicli vicesima.*

Geram minimum Hebraeorum pondus, vicesimam partem sicli, esse, dubio caret, ipso Mose teste, Exod. XXX, 13. Levit. XXVII, 25. Num. III, 47. XVIII, 16. haec relativa quantitas certa, absolutam nuspiam Moses definit, faciuntque, ut mihi videtur, omnes, Judaei et qui eos sequuti sunt christiani, non justo solum majorem, sed et incredibilem. Omnium exponere rationes, in nonnullis diversas, hujus loci non est, Eisenschmidium ergo sequi lubet, qui reliquis adcuratius,

ratius, distinctius, brevius, ac paulo minora, quam alii, pondera Hebraica facit. Nempe Josephus siclum *quatuor drachmis Atticis* aestimabat, in quo eum et sequitur et corrigit Eisenschmidius, in pondere *Atticarum* drachmarum nonnihil erroris admisisse censens. Ex ipsius Eisenschmidii computo siclus aequalis est, *ponderis Coloniensis, 3 drachmis* $68\frac{13}{100}$ *momentis* vel granis, unde, cum 20 Gerae faciant siclum, 3000 sicli talentum, haec sequitur aequatio,

	Marcae		semunciae		drachmae		momenta
talentum	182	=	20	=	1	=	$17\frac{64}{100}$
siclus	–	–	–		3	=	$68\frac{13}{100}$
Gera	–	–	–	–		–	$14\frac{81}{100}$

Vera haec, aut potius vero proxima pondera Christi et Josephi tempore fuisse, negare minime ausim: at ab his ad Mosaica pondera, aut ad illa quibus Judaei ante exsilium Babylonium utebantur, argumentum non valet, quae non eadem fuisse, ut vulgo sumitur, sed multo minora, alia commentatione disputabo, diario Goettingensi, *Göttingisches Magazin*, inserenda. Certe quae de Goliathi armis, Absalomi pilis, Davidis thesauris referuntur, ex hoc intellecta computo, non fidem modo superant, sed et partim sunt absurda. Mosaica quidem pondera, eorum, quibus Christi utebantur tempore, secundum Josephum computatis, quartam circiter (*) partem fuisse, conjicere ausus sum in *commentatione de siclo ante exsilium Babylonicum*, tomo secundo commentariorum soc. scient. Goettingensis ann. 1753. inserta, nec me conjecturae poenituit, indies verisimilioris factae. Talentum quoque Syriacum ejus quod Rabbini Josephusque Mosi tribuunt, quarta pars fuit, (vide *Waserum de nummis antiquis Hebr. Chald. Syr.* l. II, c. 17.).

Post

(*) Eorum quae computavit Eisenschmidius pars fere tertia.

Poſt tot quidem exſilia, exterorum dominia, annorum millia, ne ſpes quidem eſt, certe et exacte definiri poſſe, quanta fuerint pondera Moſaica: ſed forte ipſum *Gerae* nomen in aliqua nos veri veſtigia, non perfecti quidem, ſed tamen vero proximi, deducet, unde non prorſus ſupervacanea mihi videtur, de etymo nominis, hucusque ignoto, diſputatio.

Ad גרר radicem referendum, fere omnes dederunt: hujus quadriliterum גרגר Chaldaeis *granum* eſt, ſed magna ſignificationis latitudine, ut, *granum ſalis*, *tritici*, *uvarum i. e. acinus*, *bacca olivae*, (quem et ſignificatum apud Hebraeos, Jeſ. XVII, 6. habet) Arabibus جرجر *faba:* credo, ab *extrahendo* et *detrahendo*, i. e. *deſtringendo*, ducto nomine. Ex his alia ob ponderis inconſtantiam in cenſum venire non poſſunt, ut, baccae olivarum, alia, quod minus ponderis habent, quam ut viceſima ſicli quantumvis minuti pars eſſe potuerint, grana tritici, acini: magis determinato pondere, atque nec nimio, nec nimis parvo, *fabae*, quas inter *faba ſiliquae* eminet, in Palaeſtina perquam frequentis. Jam meminerimus ex aliarum gentium, Graecorum Latinorumque, uſu, *ſiliquam*, ſeu ut ſervato graeco nomine *κεϱάτιον*, vocant, *ceratium* antiquis naturale fuiſſe ponderis minuti aut minutiſſimi, exemplar, (vide Gesneri theſaurum ſub *ceratium* et *ſiliqua*, citatosque ab eo auctores) cui faba ſiliquae egregie apta, quod magnitudine et pondere ſemper prope eadem. Quid ergo, ſi גרה quoque, Hebraeorum granum, *ſiliqua?* Ita quidem alia plane ponderum quantitas, ſed recepta multo veriſimilior, ejusque paulo plus quarta parte, conſiſtet. Siliquae, ut Eiſenſchmidius p. 22. libri de ponderibus docet, Fannio auctore, poeta ſub Auguſto vivente, *ſex ſemina ſcrupulum faciunt*, *tres ſcrupuli drachmam Atticam:* 18 ergo ſiliquae aequales erant drachmae Atticae. Qua de re cum certior fieri vellet Eiſenſchmidius, facto multoties experimento jam ſibi tradit conſtare, *ſili-*

qua-

quarum bene siccatarum octodecim aequiponderare granis Parisiensibus 87, interdum 88, quod a drachma Attica parum absit.

Jam ergo, quem Josephus *quatuor drachmis Atticis* aestimabat, (Ant. III, 8, 2.) siclus, paulo major unica drachma erit, viginti enim siliquae facient $1\frac{1}{9}$ *drachmae Atticae.* Mirum, ipsum aliquando Josephum, sive antiqua quae nobis periit traditione, sive negligentia obliviosa, sic pene siclum computare: pro *quinquagenis* enim *siclis* 2 Reg. XV, 20. δραχμὰς πεντήκοντα Antiqu. IX, 11, 1. reposuit, nulla omnino varietate lectionis. Jam hoc si sumas, et aliud fiet talentum Hebraicum, nempe 3333 *drachmarum Atticarum*, id vero est, 33 *minarum et* 33 *drachmarum.* Quod si, non ut perfecte verum, sed ut vero propius, sequaris, omissis numeris fractis minoribus, ut in ejusmodi disputatione fas est, ad pondera Coloniensia sic retuleris Hebraica:

	Mar.	semunc.	drachm.	momentum.
Gera seu siliqua	–	–	–	– $5\frac{11}{100}$
siclus	–	–	–	$1\frac{2}{5}$
talentum	65	= 10	=	

Ponderibus Parisiensibus si comparare lubuerit, erit

	libra	uncia	groff.	gran.
Gera, κεράτιον	–	–	–	– $4\frac{62}{100}$
Siclus	–	–	– 1	= $20\frac{2}{5}$
Talentum	30	= 1	= 20	

Caeterum quod habet in suo lexico S. V. Schulzius, *esse videri* جَر *concham marinam, qua multae gentes pro pecunia usae sint*, &c. ex mea de siclo ante exsilium Babylonicum commentatione sine nomine sumtum, duas ob caussas plane abdico: 1) quod apud Phoenices et Hebraeos antiquissimus est argenti pro pecunia usus, Abrahamo adeo antiquior 2) quod גרה, et quae inde pendent, שקל, ככר, non pecu-

pecuniae nomina, ſed ponderis, quo argentum adpendebatur: ponderis autem nomen aut exemplar concha eſſe nequit.

Veterum interpretum nulla hic ratio habenda: veram et intrinſecam quantitatem ponderis Moſaici ignorabant; quod ſi cognitam habuiſſent, ne poterant quidem ſine numeris fractis, quibus vix uti interpres ſolet, exprimere; ergo exigui aut minimi ponderis nomen ſuae linguae ponunt, LXX. ὄβολον, Vulg. *obelum*, Chaldaeus מעין, Syrus ܡܥܐ, Arabs Pol. دانق (vocem Perſicam, $\frac{1}{6}$ درهم, ſeu *ceratia duo*, ſignificantem). Quae quidem indicaſſe, id vero eſt refutaſſe, mathematum enim mediocriter peritus ſtatim videbit unum alteri contradicere. Aquila, Symmachus et Theodotio quomodo verterint, ignoramus, non noſtro, ut puto, damno: Joſephus nomen גרה nuſpiam interpretatus eſt. —.— Mirum tamen accidit, aliquem ex veteribus paulo a mea interpretatione propius abeſſe, Arabem Erpenii, حبّ reponentem, *bacca*, *granum*, magna ſignificationis latitudine, peculiariter tamen *ex leguminum genere*, unde et pondus minimum, (ſed noſtra etiam gera minus) *granum* حبّة dicitur: niſi forte, ut ſaepe alias, maſculinum et femininum diverſa ſunt, ac majus minusque, حبّ ipſum ceratium, حبّة quartam ejus circiter partem, (*ceratiolum* dixeris,) ſignificante.

גרשׁ *depaſcere*, *nudare ſolum.*

Expellendi ſignificatum, quem lexicographi habent, minime in dubium vocans, alium tamen addendum puto, ex quo et loca aliqua difficiliora, et מגרשׁ, *ſuburbana Levitarum*, expedienda. Arabibus quidem جرس eſt, *depaſcere*, unde et *lenem ſonum*, (*qualis eſt avis roſtro edentis*,) dicunt, quin et جرش praeter propriam comminuendi, etiam *pectinandi caput* ſignificationem habet, forte ex verbo

per

per س scripto adscititium. Hinc et Syris, sed Schin more Hebraico ponentibus, ܡܓܪܫܐ *nudus, vacuus.* Ex his significationibus, illisque conjunctissima *everrendi*, explicari velim,

Amos VIII, 8. *omnis terra* נִגְרְשָׁה *everritur, et inundatur, tanquam fluvio Aegypti.*

Ezech. XXXVI, 5. *gentes exterae, quae terram Israeliticam occuparunt,* לְמַעַן מִגְרָשָׁהּ לָבַז *ad depascendum illam tanquam paratam praedam.* Hic mihi מגרשה est infinitivus, more Aramaeorum per מ formatus, qualis et alter in eodem propheta, in Aramaea degente occurrit c. XVII, 10. Depascere hic ne figurate quidem acceperim, pro, *diripere*, sed proprio sensu: perpetua haec sors Palaestinae incolis vacuae, ut vicini Arabes suis ex tristibus arenis in ejus fertile solum transeant, Nomadesque in ea greges pascant.

Ipsa forte *expellendi* significatio recepta ab *expurgando, everrendo, depectendo* orta. Hinc jam

מגרש Num. XXXV, 2. 3. &c.

ager suburbanus Levitarum, i. e. spatium mille cubitorum ab omni parte urbium illis concessarum, sive a *depascendo*, sive a *nuditate* dictum: in hunc enim finem attribuebatur, ut decimas pecudum armentorumque lege ipsis concessas in hoc agro subdiali usque ad diem mactationis pascere possent. Ponitur et de libera area, quadratum sacrum 25000 cubitorum ambeunte, et a communi agro discernente, Ezech. XLV, 2. et de area libera circa Hierosolymam, c. XLVIII, 17.

Soli cum Hebraeis nomen commune habent Chaldaei, Ezech. XXVII, 3. de *area nuda ad portum* positum, מִגְרַשׁ מְחוֹזֵי יַמָּא, *area termini maris.* De portu Tyri sermo.

גרשה Ezech. XLV, 9.

Semel occurrit, גָּרֻשְׁה punctatum, quamquam hae vocales dubiae videri possint; de jure aliquo molesto, aut injuria, quod principes antea exercuerant. Patrimonium illis dari jubet Deus, sed hac conditione, הרימו גרשתיכם מעל עמי *tollite . . . . . . vestras a populo meo.* Generatim oppressiones verterunt LXX. (*καταδυναστείαν*) Syr. ܗܘܠܒܢ̈ܝ, Chald. תקלתא: recentiores, *expulsiones* ex patriis agris intellexerunt, multo hi quidem filo orationis aptius, quam ob caussam et in versione germanica eos sequutus sum. Longius recedit Vulgata; *separata confinia vestra*, גרשה ut videtur idem esse censens quod מגרש, aream nudam, quae inter duo majora patrimonia relinquitur.

Equidem potius a depascendo nomen ductum esse arbitror, et significare, sive generatim et metaphorice, graves exactiones, sive, quod verisimilius videri incipit, *servitutem juris pascendi in subditorum agris*, *Huth- und Weide-Recht* germanice diceres, vocabulo, quo linguam nostram carere omnino mallem. Aliquid talis juris, ipsam adeo primam graminis demessionem, exercuisse reges Israeliticos, ex Amos. VII, 1. (גזי המלך) manifestum. Certi nihil statuo, ipse hanc inter novam explicationem, eamque, quam in versione germanica dedi, ambigens.

גרש ירחים Deut. XXXIII, 14.

Fructus menstruos esse, ex ipsa orationis serie certum: id unum quaeri potest, unde dicti. Plerique ad גרש *expellere* referunt, ut sint quasi violenter per menses ex terra expulsa, praeiveruntque ex veteribus Samaritanus, טרדי, et Saadias, طرود الاهلّة *protrusa lunarum.* Ego tamen mallem ad جرس 1) *depascere* 2) simpliciter *comedere*: *edulia mensium.*

גרש,

גרשי , גרש Γερασηνός.

Non in Hebraico quidem, ſed tamen in Graeco codice ſacro Matth. VIII, 28. Marc. V, 1. Luc. VIII, 26. occurrebat, antequam Origenes ex mera conjectura deleret, quod ad ipſam urbem Geraſam, de qua vide Relandum p. 806. nullum ſit nec mare nec palus. Equidem in introductione in N. T. p. 642. 643. monui, urbem eſſe primariam et munitam regionis Transjordanenſis, a qua et circumjecta regio nomen acceperit, teſte Joſepho de B. Jud. I, 4, 8. Antiqu. XIII, 15, 5. quae quidem regio potuerit usque ad lacum Tiberiae pertinere. Haec quidem ibi legi velim, ſed et addi ex Relando pag. 194. totam Gileaditidem, ſeu regionem trans Jordanem Arabibus بلد جَرَش dici. Exempla non ſubjecit, ſed habe, Deuteron. II, 36. III, 10. 12. 15. IV, 43. &c. ex verſione Arabica Saadiae: Arabs-quoque Samaritanus גלעד omnibus locis, quae vidi, جرش reddidit.

Nec jam putem regionem ac urbe, ſed urbem primariam, ut frequens Orientalibus, (e. g. مصر *Cahira*) nomen accepiſſe, hanc vero a paſcendo, quod tota paſcua eſſet, ut vel lecto capite 32 Numerorum intelligetur. Sic ergo rationes inſtituerim, גרש, جَرَش 1) *deſerta paſcua*, adpellative 2) *tota Gileaditis*, nomine proprio, 3) ab hac *Geraſa*, urbs primaria, quae, quo nomine in tabulis veteris teſtamenti dicta fuerit, non liquet, nec dum inquiſivi.

גשן *Goſen.*

De terra גשן, in qua per 430 Israelitae annos habitarunt, dicturo, haec quidem facienda videntur: primo ut aliqua praemittam prolegomena, de vitandis erroribus, quos obrepere paſſim hac de quaeſtione commentantibus, deprehendiſſe mihi videor, illosque a vero arcere, itemque de tractibus quibusdam Aegypti ex tota quaeſtione demendis;

mendis; deinde ut sententias veterum colligam, exque illis seligam, quae conjecturis potiora videntur; denique ut meam dicam sententiam. Post haec omnia ingratus mihi labor supererit, ut rationem reddam, cur magni viri, mihique jam juveni amici, a quo multa didici P. E. Jablonskii dissertationes de terra Gosen, non solum non sequar, sed ne dignas quidem habeam, quas, cum rarioribus sint adnumerandae libris, excerpam.

Primo ergo magnopere a multis errari video, qui fertilissimam et uberrimam Aegypti partem putant Gosenitidem fuisse, quod מיטב הארץ, id est, ut putant, *optimam partem Aegypti* Israelitis adventitiis largiatur Pharao. Genes. XLVII, 6. 11. Non solum perquam iniquus Aegyptiis, impiusque in patriam fuisset Pharao, fertilissimos agros advenis Josephi cognatis concedens, sed et ea dedisset Nomadibus, quae ipsis non bene conveniunt. Uberes agri, a Nilo quotannis rigati, non optima sunt ovium pascua, pingues nimis et luxuriantes, unde morbi gregum: his quae in sabuloso solo proveniunt optime aluntur oves, quorum pastoribus si optima largiri voluit, deserta pascualia offerenda erant, aut montes a latere Nili, eaque omnia quae Niso non mergebantur. Fons erroris, quod מיטב *optima* vertebant, cum potius sit, ut infra videbimus, *pascua*.

Alius etiam magnus a nonnullis committitur error, quod Gosenitidem ab occidente Nili quaerunt, manifeste historiae exitus Israelitarum contradicentes, quos Aegyptum relicturos Nilum trajecisse nuspiam legimus. Necesse igitur est, ut sita ab Oriente Nili fuerit, unde ad sinum Arabicum, quem solum trajecerunt, patens iter.

Denique ita rem disputare video non paucos, ut unicum modo exiguum tractum Gosenitidi adsignent, regioni, ex qua sexcenta Israelitarum millia egressa sunt. Hinc fit, ut eos pugnare inter se arbitren-

tur,

tur, qui aliam urbem ejusve viciniam nominant, alterumque ab altero jugulari. Sic cum veterum alii Pelusio vicinam eam dixerunt, alii Heliopoli, denique et Heroopoli, non pugnantia loquuntur, nec, ut fecit Jablonskius, alter alteri opponendi, sed facillima concordia, si sumas a Pelusio Heroopolim usque et Heliopolim, ac forte etiam ultra hanc ad Austrum, regionem, ex qua tantus egressus est populus, patuisse.

Ad veteres devenio, eos in quibus aliquid residet auctoritatis. Illos omittere fas duco, qui nil praeter nomen regionis habent, quo in censu et Artapanus, qui forte optime nobis situm indicare Gosenitidis potuisset: in urbe Caisan, (ἐν πόλει Καισὰν) Josephi patrem fratresque domicilium fixisse tradit, nihil praeterea.

LXX, magnae hic auctoritatis, quod geographiam Aegypti optime cognitam haberent, duo de Gosenitidis situ prodiderunt. Γεσὲν Ἀραβίας eam vocant Genes. XLV, 10. Arabiae autem nomine, in geographia Aegypti ea pars intelligitur, quae ab Oriente Nili est: nempe Aegyptus proprie sic dicta, angustus ille ad Nilum tractus, ab utraque Nili parte, qui flumine rigatur, quae illi ab Occidente sunt, Libya, quae ab Oriente Arabia Aegypti. Ergo; quantum mihi videntur recte, Israelitis sedes ab orientali latere Nili assignant, et vero non agros Nilo rigatos, sed deserta pascualia. Alterum est quod Genes. XLVI, 28. ubi bis גשן occurrit, גשנה -- אל ארץ גשן, verterunt, καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμασσῆ. Hic quidem manifestum, terram Ramasse et Gosen illis eandem visam esse, et vero Heroopolim usque exporrectam, ita ut haec, caput provinciae, ipsa quoque Gosen, i. e. metropolis Gosenitidis dici potuerit. Quorum in altero et Josephus eos sequitur, Ant. II, 7, 5. καθ' Ἡρώων πόλιν αὐτῷ συνέβαλεν.

Jam ad eos venio, qui Heliopolin Goſenitidi aut accenſent, aut ab ea Goſenitidem ordiuntur. In his quidem Jablonskius ipſos primo loco numerat LXX, nec ſane reliquis duabus eorum ſententiis haec tertia contradiceret, ſed conſpiraret amiciſſime: Heroopoli inde Heliopolim usque, exporrectam eſſe Goſenitidem, dicerent, et recte dicerent. Verum his teſtibus uti pro Heliopoli non potero. Pro Hebraicis, *aedificarunt* את פתם ואת רעמסס, habent, *τὴν* Πιθὼμ, *καὶ* Ραμεσσῆ, *καὶ Ων ἥ ἐστιν* Ἡλιόπολις. Quis non videt, tria illos urbium nomina legiſſe, את פתם ואת רעמסס ואת און, nec Raamſes, ut putabat Jablonskius, ſed On, Heliopolim eſſe interpretatos?

At clare Heliopolin ad Goſenitidem, retulit Joſephus, Ant. II, 7, 6. *συνεχώρησεν αὐτῷ ζῆν μετὰ τῶν τέκνων ἐν* Ἡλιουπόλει, *ἐν ἐκείνῃ γὰρ καὶ οἱ ποιμένες αὐτοῦ τὰς νομὰς εἶχον*, *rex conceſſit* Jacobo *habitare Heliopoli*, *ibi enim et greges ejus* (regis? an Jacobi? poſterius praefero) *paſcua habebant.* Non magnus in quaeſtione geographiae Aegyptiae auctor, ſed tamen vero ſimillima ac proxima dicens. Non auſim equidem adfirmare, Heliopolim partem fuiſſe Goſenitidis, at vicinam fuiſſe reor, Goſenitidemque ab hac urbe incepiſſe. Ex Raamſes enim, quae aut Goſenitis, aut pars potius ejus eſt, egreſſi Israelitae Exod. XII, 37. tertiam ſtationem ad ſinum habuerunt Arabicum: ergo Raamſes non multo plus quam Heliopolis ab illo ſinu abfuit, ut cuique delineationem Aegypti d'Anvillianam inſpicienti liquebit. Adde, Goſanitidem ut regiae proximam deſcribi Geneſ. XLV, 10. quae ſi eo tempore Memphis fuit, ut pleriſque veriſimile videtur, proxime ab Heliopoli Goſenitidem incepiſſe neceſſe eſt: ſed hoc argumento non ut certo utor, ſunt enim qui Tanin ſedem Pharaonis Moſaici fuiſſe volunt, non Memphim; mihi veriſimile, utramque hoc honore dignatam fuiſſe.

Alium

Alium pro Heliopoli teſtem citant, Apionem, qui Moſen, in Goſenitide ſine dubio natum, Heliopolitanum faciat. Sed eſt perquam dubius et incertus: en verba ejus ut Joſephus libr. II. contra Apionem §. 2. retulit, Μωυσῆς, ὡς ἤκουσα παρὰ τῶν πρεσβυτέρων τῶν Αἰγυπτίων, ἦν Ἡλιουπολίτης, ὃς πατρίοις ἔθεσι κατηγγυημένος αἰθρίους προσευχὰς ἀνῆγεν εἰς οἵους εἶχεν ἡ πόλις περιβόλους. Manifeſtum, Moſen ab eo Heliopolitanum dici, ſed quid hoc ad Goſenitidem? vult enim, hominem Aegyptium fuiſſe, ritu etiam Heliopolitano in precando utentem. Hunc ergo teſtem mittamus: alii, a Jablonskio indicati, Benjamin Tudelenſis, et Judaei plerique, nihil auctoritatis adferunt; ergo et illos omittamus.

Saadias, gravis hac in re teſtis, quod ipſe in Aegypto vixit, גשן interpretari سدير ſolet, idemque facit, ut Romae eam conſulens me docuit Adlerus, verſio Samaritanorum Arabica. Novae aliquid lucis ſperaverim, ſi quis mihi ex Aegypto reſpondeat, ſitne nomen geographicum سدير adhuc uſitatum, aut in libris ſuperſtes? et, quam regionem deſignet?

Chaldaei recentiores, Pſeudojonathan et Hieroſolymitanus, Geneſ. XLVII, 11. *terram Peluſii* reddiderunt, (ארעא דפילוסין). Et in his nihil plane reſidere auctoritatis cenſeo, nec tamen ſilentio praeterire potui, quod et eorum ſententiam veram eſſe arbitror, atque ab hac meam dicere exordiar.

Manifeſtum, aliquam Goſenitidis partem viciniſſimam fuiſſe Philiſtaeae: nec enim ſolum proximum ex Goſenitide in Palaeſtinam iter fuiſſe dicitur per Philiſtaeam, Exod. XIII, 17. ſed et 1 Paral. VII, 21. refertur poſteros Ephraimi, eo adhuc vivente, cum abigere conarentur greges Gathenſium, (אנשי גת) ab his occiſos eſſe. Hac ergo parte ad ipſam pertinuerit Philiſtaeam terra Goſen: ad occidentem quousque

usque in litore Aegyptio exporrecta fuerit, pro certo non dixerim: suspicor tamen, non solum Pelusium usque, sed et ipsum Taniticum ostium, (ubi nunc Damiata) ut et desertum Gofar complexa sit, arenosum et sterile, paucos tamen fontes habens, ae loca in quibus oves pasci possunt (*), sed et illa, quae Heliodorus in Aethiopicis pulcre descripsit circa exitus Nili orientales bucolia, de quibus et vide ad Abulfedam, sub numero 65 de urbe *Tennis* agentem, adnotata (**). Rationes ita sentiendi sunt, quod non ovium modo, sed et armentorum greges Jacobo filiisque erant, quibus pascendis bucolia apta, neutiquam deserta, deinde, quod magna hujus regionis pars, ipsaque adeo teste Abulfeda Tennis, agriculturae non apta, ut recte concedi advenis posset, denique quod Num. XI, 5. aliqui ex Israelitis recordantur piscium, quos in Aegypto gratis comederint: Nilus quidem per totam Aegyptum dives piscibus, sed illis in partibus, ubi vicina Nilo aratro parebant, urbibusque et oppidis consita erat, vix potuerint Israelitae, ab ipso flumine tantum remoti quantum agri culti intercedebat, gratis piscibus vesci. At lacus Tennis, alio nomine Menzale dictus,

(*) Vide Abulfedae Aegyptum p. 14. 15. (versionis latinae 11. 12.) notasque ei adscriptas.

(**) Adde et eorundem descriptionem, qualia vidit Sicardus, in memoires de la Societé de Jesus T. II. p. 98. *depuis Bolquac en tirant vers le Nord jusqu' à le mer, c' est une plaine d' une ou deux journées de long et de large, couverte toute l' année de bufles à milliers, de boeufs et de moutons. Des Bouviers et des Bergers les gardent. Les eaux du Nil l' inondent la moitié de l' année, et la fertilisent: elle ne produit pourtant, que des herbes, de paturage et quelques broussailles.* Haec quidem ille de continuatis etiam cis Damiatam bucoliis, circa *Cap. Berelos*, sed eadem ab utroque latere eorum natura, nec equidem adversari ausim, si quis vel ad hoc usque promontorium bucolia Israelitis concessa extendat.

dictus, in cujus et insulis ac peninsulis litoribusque bucolia, immensa piscium copia abundat. Vide quae αὐτόπτης retulit *Granger* in itinerario Aegypti p. 207. *ce lac, le plus grand qui soit en Egypte, commence tout aupres de Damiette, et finit un peu au dessus de Peluse. Il court Est et Ouest, et n'est separé de la mer, que par une plage sablonneuse de demie lieue en large. La peche y est très-abondante, elle est affermée 40000 piastres. La salure du poisson et le poutargue se font sur une infinité de petites Isles qu'il y a dans ce lac, la plus grande partie de ce poisson salée est enlevée par les Syriens et par les Arabes de la Lybie* &c. &c. (Unum hic parti meae sententiae oppositum iri video: si ultra Pelusium quoque usque ad ostium Taniticum extendatur Gosenitis, necesse habuisse Israelitas exituros, aliqua, quamvis minora Nili brachia trajicere, idque mihi ipsi contradicere. Respondeo, partem exiguam populi, reliquo se agmini adjuncturam, id facere potuisse, nec enim singularum familiarum iter a Mose describitur: id unum ex Exod. XII. XIII. XIV. certum, populum i. e. maximam partem populi Mose duce exeuntem non opus habuisse Nilum trajicere.

Hoc ergo primum esto Gosenitidis latus septentrionale, a Philistaea usque ad ostium Taniticum, in quo si cui ipsum antiquum nomen in Casio monte et *Casiotide* haesisse videatur, per me licebit, hoc pacto, ut mihi allitterationem acceptam non referat.

Jam a mari mediterraneo, confiniis Palaestinae et Aegypti, i. e. Raphia, lineam ducendam existimo Heroopolim, huc enim usque Gosenitidem pertinuisse, licet alio nullo argumento sciam, facile tamen optimis Aegypti cognitoribus LXX, credo. Quod si quis et velit, Heroopolim non solum propugnaculum limitaneum, sed et antiquissimis temporibus metropolim Gosenitidis fuisse, me quidem non habebit contradicentem, nec tamen auctorem. Ab occidente autem limes Go-

senitidi fuisse videtur, non Nilus ipsi, sed agri Nilo mersi: hi arabantur, quod ultra illos ad Orientem erat, Gosen, pascuum desertum.

Ex ipsa exitus Israelitarum historia liquet, Raamses, unde duce Mose profectionis initium faciebant, tribus stationibus a sinu Arabico abfuisse, i. e. XII circiter milliaribus Germanicis, aut si ita lubeat, XIII, XIV, XV, non ultra. Jam sume bonam Aegypti delineationem, si possis d'Anvillianam, circuloque ab extremo sinu Arabico metire XII milliaria germanica; videbis ubique te cis Nilum manere, nullibi illum superare. Ipsa Heliopolis, (nunc Matarea) in proximo erit, quam tamen eam ipsam ob caussam, quod Josephi jam tempore urbs fuit, estque in cultis Aegypti sita, nolim Gosenitidi adsignare, sed, ut jam supra professus sum, vicinam facere. Caeterum in hujus vicinia si *vicum Judaeorum, castra Judaeorum, Tel-eljehudie* (*), inveneris, scito, nihil illud nomen ad nostram quaestionem facere: quo enim tempore posteri Jacobi in Gosenitide degebant, Israelitae vocabantur, non Judaei. Serioris illud temporis nomen.

Denique vix dubium est, quin et magna pars Arabiae Aegyptiae ab Austro Heroopolis et Heliopolis Gosenitidi accensa fuerit, sed quousque patuerit, nullis adsequi indiciis possum. Id unum, ad sinum Arabicum cum pervenisset Moses, non a boreali ejus latere in Asiam transit, sed a sinistra eam manu relinquit, inque litore Africano haeret, idque jussu dei, Exod. XIV, 1 – 5. forte ut et hos colligeret, qui per australem Gosenitidem cum gregibus dispersi erant, possentque se agmini adjungere.

Aliquas haec hucusque descripta Gosenitis complectitur, ut ita dicam, in deserto insulas, quae possunt aratro parere, aquis Nili illuc per canales deductis: quae utrum aratae jam illo tempore, an Israelitis Nomadibus concessae fuerint, dicere non habeo.

Ratio-

(*) d'Anville mémoires sur l'Egypte.

Rationes ſententiae pleraſque jam reddidi; nec repeto. Hoc unum addo, loco Geneſ. XLV, 10. ubi proxime abſuturus a Joſepho Jacobus dicitur cum ea perfecte convenire, utcunque de regia Pharaonum illius temporis ſtatuas: ſive enim Memphis ſit ſive Tanis, in vicinia ejus quam deſcripſi ſita eſt Goſenitidis. Plura adhuc ſi cupias, lege infra de רעמסס dicenda.

Supereſt ut de doctiſſimis Jablonskii diſſertationibus dicam, quas mihi non probari, ne quidem excerptu dignas videri, profeſſus ſum. Heracleopolitanam inſulam et praefecturam vult Goſenitidem eſſe, (quam quidem inſulam minus lucide deſcripſit: facit autem illam Nilus, et canalis ex illo derivatus, *canalis Joſephi* ad hunc usque diem dictus, Nili aquas ad regionem Fijjum deferens) ſed hanc inſulam multo latius patere, atque adeo regionem Fijjum complecti, inque hac maxime conſediſſe vult Iſraelitas, hanc tanquam caput Goſenitidis, in qua adeo ſepulcrum monſtretur Joſephi, (quaſi vero illud monſtrare in Aegypto non ſit manifeſti mendacii. Joſephum enim non in Aegypto ſepultum, ſed ejus oſſa in ciſta poſita ſe ipſo duce in Palaeſtinam absportata eſſe, Moſes clare prodidit, Geneſ. L, 24–26. Exod. XIII, 19.) Haec quidem ſententia manifeſte falſa, primo, quod Goſenitidem ultra Nilum ſummovet, quem tamen egredientes ex Aegypto Iſraelitas ſuperaſſe nuſpiam legimus, deinde quod ex hac Jablonskiana Goſenitide omnino tertiis non potuit caſtris ad ſinum Arabicum populus pervenire: a Fajjuma certe Cahiram tres ſtationes, Cahira ad ſinum Arabicum vel ipſe Jablonskius non minus tribus ſtationibus ſumſerit. Accedit quod ex Fijjuma et inſula Heracleopolitana iter in Palaeſtinam proximum non eſt per Philiſtaeam, (Exod. XIII, 17.) nec ea locum habere potuiſſent, quae 1 Paral. VII, 21. narrantur. Diſplicet praeterea in tota tractatione

1) quod statim ab initio sumit, eam partem Aegypti Gosen fuisse, quae fortilissimos habeat agros, quod secus ac contrarium esse p. 372. monui.

2) quod in quaestione mere geographica unius testis gravissimi, Alexandrini interpretis, vix ullam rationem habet, *Gesen Arabiae*, vocantis. Non audiendum dicit, Diss. II. §. 4. quod textum Hebraicum addita voce interpolaverit: atqui non interpolarat, sed interpretatus dilucidius erat. Addit, *Arabiam* Alexandrino interpreti totam Aegyptum esse, etiam ab occidente Nili: quod cui persvaserit?

3) quod iniquus secus sentientibus ut contraria opponit, quae non sunt contraria. Sic, ut exemplo utar, in prima statim diss. §. 4. 5. his, qui Pelusium ad Gosenitidem referunt, hos ipsos, quorum nullam alibi esse vult auctoritatem, opponit LXX, Heroopolim interpretatos; quasi vero non utrumque verum esse, atque Pelusio Heroopolim usque et Heliopolim pertinere Gosenitis potuerit.

4) quod in quaestione geographica ubique etymologiis utitur, quas, cur deprecer, paucis exceptis nominibus, situm manifeste signantibus, *pontis*, *fontis* &c. in prima spicilegii parte p. 17. 18. rationem reddidi. Id vero maxime mirari subit, cum linguae Copticae perquam exiguam ex naufragio servatam cognitam habeamus particulam, sitque etymologia totius philologiae pars difficilior, obscurior, reliquisque incertior, in Coptica eum lingua ausum, quod ne in reliquis quidem, quarum plus novimus, geographo concesserimus. Quam sint exiguae philologiae Copticae copiae, vel inspectio quemque lexici docebit Lacroziani. Quantillum illud? et tamen vel maxima ejus pars verbis non antiquis Aegyptiis, sed ex Graeca lingua sumtis constat? Verum haec sors, hic morbus fere

philo-

philologorum, ut quo minus linguae notum sit, eo plus et audacius etymologiae indulgeant.

Maximi facio Jablonskium, meum in multis doctorem, nec in libris solum, sed et ubi per literas consulebam: ad has ubi breviter respondebat, oraculum fere erat. Nolim de tanto viro ex his de terra Gosen dissertationibus judicari.

גְשׁוּר et גשורי *nomen proprium trium populorum.*

Hic, quod raro in nominibus propriis facio, et necesse est, cum ut dudum vidit Relandus (Palaest. p. 77. 78.) nomen tribus diversis populis commune sit, de etymologia dicere, et facile satis atque expeditum, جِسْر Arabibus, גִּשְׁרָא, ܓܶܫܪܳܐ Aramaeis, *pons* est, a ponte multas et disjunctissimas urbes nomen habere, quis est, cui non ex geographia succurrat? *Brüggen*, *Zweibrücken*, *Bridgewater*, &c. A pontis ergo vicinia tres populi dicti,

1) גשור ab Oriente Jordanis, in Gileaditidis vicinia: Deuter. III, 14. Jos. XII, 5. XIII, 13. 1 Paral. II, 23. forte ad aliquem Jabboci aut alius fluvii pontem. Hujus Gesuritidis incolae Cananaei fuisse videntur, quod historicus Josuae memorat, eos ab Israele non expulsos esse, XIII, 13.

2) Ab Austro Palaestinae, et vero tribus Judae Jos. XIII, 2. 1 Sam. XXVII, 8. (coll. v. 10.) Vicini hi Gesuraei Philistaeis, sed magis mediterranea colentes, quae cum ibi terrarum arida sint et sabulosa, difficile videri possit, pontem invenire, a quo nomen acceperint. Nullus certe fluvius succurrit praeter *fluvium Aegypti*, i. e. brachium Nili, solo Augusto et Septembri fluens, ac prope Gazam mari mediterraneo illabens, de quo vide notam 43. ad Abulfedae Aegyptum, et infra lexicon sub נחל מצרים. Huic ipsi

ergo fluvio, Aegyptum a Palaestina dirimente, vicinos fuisse Gesureos reor, ex quorum terra Davides praedas egit. Relege locum Josuae, videbis, eorum mentionem cum שיחור i. e. Nilo conjungi. Cananitae fuerint, an gens alia barbara, ignotum.

3) Ab utraque distinguere fas est Gesuram, cujus regis filiam in matrimonio Davides habuit, et in quam Absalomus, regis Gesurae nepos, confugit, 2 Sam. III, 3. XIII, 37. XV, 8. 1 Paral. III, 2. non solum quod 2 Sam. XV, 8. גשור בארם dicitur, sed et quod Cananitici regis filiam in matrimonio habere Davidi per leges Mosaicas haud licuisset, nec in minuti ac perquam vicini reguli, ad cujus fines usque Gileaditis pertinebat, ditionem fugere, ibique tutus esse potuisset. Hanc ergo Gesuram Aramaeam recte dixeris, suspicarique possis, ad Orontis aliquem pontem, ultra etiam Hamatham, sitam fuisse.

Caeterum Syrus in libro Josuae ubique (XII, 5. XIII, 2. 13.) ܥܝܢܕܘܪ vertit, non, credo, de Endora cogitans a consulta fatidica celebri, sed quod urbs aliqua trans Jordanem hoc nomine interpretis tempore fuit, quam aut putabat aut sciebat, Gesuram Transjordanensem esse. Hanc quidem a fonte aliquo Dor nomen habuisse, dictu vix opus.

גתים 2 Sam. IV, 3. Neh. XI, 33.

Hac de urbe, in quam a Saulo pulsi fugerunt Gibeonitae, si quid Relando non dicti scire cupias, evolve notas ad versionem germanicam 2 Sam. IV, 3. et bibliothecam Orient. T. XIII. p. 221. Portum fuisse suspicor Gathensium.

גתית Ps. VIII, 1. LXXXI, 1. LXXXIV, 1.

Instrumentum musicum, de quo aliquid mihi ex etymo nominis, argumentoque psalmorum, conjicere posse videor. Dictum a גת, proprione urbis nomine? an torculari? Tentemus posterius. Solebant,

solent-

ſolentque adhuc, ab his qui uvas calcant laeta cantari cantica, atque ad ea greſſus adtemperari: quid ſi גתית ſit, inſtrumentum ad quod haec cantica canebantur, vindemiae et calcationis tempori proprium? Jam duo ex pſalmis ad גתית canendis LXXXI, et LXXXIV. videntur mihi feſto tabernaculorum inſigniter apti, quod Octobri medio vindemiam peractam ſequebatur: erantne ergo ad idem inſtrumentum canendi, ad quod calcabantur torcularia? Conjecturam promere cenſeri velim, non certam ſententiam, eaque conferri, quae his de pſalmis eorumque argumento in notis germanicis ſcripſi.

גֶּתֶר Geneſ. X, 23.

Nomen populi, ortu Aramaei, de quo in parte ſpicilegii ſecunda, p. 158. 159. 160. egi, faſſus, nihil me certi habere, veriſimiliorem reliquis videri ſententiam Bocharti, *Centritem* fluvium conferentis, Carduchos ab Armeniis dirimentem. Vide de illo Xenophontis expeditiones Cyri l. IV. c. 3. et d'Anvillii Euphratem et Tigrim p. 85. monentis, ſed ſine teſte, eum nunc Chaboram (Aſſyriae) vocari. Curſum ejus ab eodem delineatum in tabula praemiſſa videbis, ubi paulo poſt gradum latitudinis 37. Tigridi miſcetur. Hujus quidem fluvii accolae ſi גתר Moſis ſunt, aliis nomen vocalibus adpellandum, גֶּתֶר pro גְּכֵּתֶּר.

דאב *defatigatus, fame enectus, ſolicitus fuit*, cum derivatis.

Verbum ipſum, quod ex ſola lexicographi conjectura, *doluit*, interpretari ſolent, ter occurrit, Jerem. XXXI, 12. 25. Pſ. LXXXVIII, 10. forte et quartum Levit. XXVI, 16. ſi מדיבות cum non paucis cenſeas omiſſo א pro מְדְאִיבוֹת poſitum.

Sunt, qui Syriacum ܕܳܒ *fluxit, liquefactus eſt*, conferunt, pſalmo 88 egregie aptum, *manavit*, nempe lacrimis, *oculus meus.* Syrus

Syrus quidem ibi harmonice ܕܐܒ, Chaldaeus דְּלָבַת, et Deut. XXVIII, 65. Syrus ܕܐܒܐ ܢܦܫܐ LXX *τηκομένην ψυχήν.* Obstare tamen videtur, primo media radicalis א, deinde, quod ܕܐܒ Syrorum, est זוב Hebraeorum, ex perpetua fere lege linguae Hebraeis Zain servantibus.

Nec sane opus est, una eademque in voce explicanda bis a legibus solitis grammaticae aberrare, cum ipsissimum verbum دَأَبَ cum Eliph mobili habeant Arabes, *laboravit*, *defatigatus*, *lassus fuit.* Hinc jam egregie vertes,

Jerem. XXXI, 12. modo sana est lectio, *non addent laborare*, i. e. *soliciti esse amplius*, labore pro aerumna et solicitudine, ut saepe alias, posito. Praeivit Chaldaeus לְיִצְפָא *soliciti esse.*

Jerem. XXXI, 25. *satiavi* נפשׁ דָּאֵבָה *fessam* et enectam fame, favente parallelismo praecedentis membri, נפשׁ עֲיֵפָה. Sic sane de fame intellexit cum hic Syrus, ܟܦܢܬܐ famelicam vertens, tum versu 12. LXX *οὐ πεινάσουσιν ἔτι*, Vulg. *non esurient*, Syrus, ܠܐ ܢܟܦܢܘܢ Vide infra de עיף notanda.

Ps. LXXXVIII, 10. עיני דאבה מני עני *defatigatus est oculus meus malis*, (malorum adspectu). Non male hic LXX *ἠσθένησαν*, indeque Arabs ضعفتا.

Levitici etiam XXVI, 16. si huc referre velis, morbi מדיבות נפשׁ erunt, *defatigantes animam*, i. e. intolerabiles, omnem exhaurientes patientiam: vel, ut Saadias vertit يذبل نفوسكم *debilitantes vos.*

Jam et intelliges derivata, דאבון נפשׁ Deut. XXVIII, 65. *defatigatum* i. e. evictum malis *animum*; et דְּאָבָה Job. XLI, 15. *solicitudinem* a labore dictam: Syrus ibi ܕܚܠܬܐ *timor.*

דבב *repere*, *irrepere* Cant. VII, 10.

Quas habent, *loquendi*, *murmurandi*, *movendi* ſignificationes, cum lexicographi, tum interpretes, mere ſunt conjecturales et commentitiae, nullo linguarum orientalium uſu ſtabilitae: nec meliora, quae, in hoc verbo copioſior, commentatus eſt Caſtellus. Primus verum vidit Schultenſius, Arabicum دبّ conferens, quod eſt, *repere*, *irrepere*. Sic aptiſſimum loco, ut nunc legitur, *vinum* dulce et ſvave דּוֹבֵב שִׂפְתֵי יְשֵׁנִים *irrepens in labia dormientium.* Elegans ſed obſcena et impudica imago *baſii*, quod medici dicunt, *Florentini*, amaſio vel amaſia linguam in alterius os inſinuante, et movente, ex quibus illecebris non naturalibus, atque ipſa fornicatione multo periculoſioribus, ſaepe effuſio ſeminis. Vide biblioth. Orient. T. VII. p. 169–171. Verte locum Cant. VII, 10. ut nunc legitur: *palatum tuum eſt ut vinum bonum*, quod *facile inſinuat ſe dilecto meo*, *irrepitque* (furtim labens ſe inſinuat) in *labia dormientium.* Explicare ulterius pudet. Suſpicor autem mutatis punctis legendum, שְׂפָתַי *labia mea*; jam ad ipſum linguae inſertorem impudicam relato participio, *irrepens in labia mea dormientia.* Quin veterum aliqui, LXX et Syr. שְׂפָתַי וְשִׁנַּי legerunt, expreſſiore adhuc turpi imagine, *intrat labia mea et dentes meos.* Mallem, qui haec canit librum, in ſacros nunquam fuiſſe receptum. (Vide dogmat. p. 115.).

Turpis et impudici oſculi ignorantiam vitio nemo verterit ſacrarum ſcripturarum interpreti, medicorum libris non adſveto, in quibus de eo agi ſolet, quod ſaepe lue venerea contaminat, et vero efficaciſſime ac promtiſſime. Ex ſola ergo conjectura ſignificatum ἅπαξ λεγομένῳ verbo commenti ſunt, jam *movendi*, (vinum labia movere dicunt, i. e. diſerta facere) jam *loquendi*, ſic Raſchi, fortius reddens, מרחיש *ebullire faciens*, et gallice interpretans, *promer*, antiquato ex

promere verbo. *Ruminare* habet Vulgata ab Hieronymo, quo ſenſu? proprio? an turpiuſculo? ignoro. – – Plus forte ſcientiae aliqui ex veteribus attulerunt interpretibus. Syrus ܡܙܝܥ ܣܦܘܬܝ ܘܫܢܝ *movens labia mea dentesque meos:* videtur de agitatione impudica linguae in os inſertae cogitaſſe. LXX mire, ἱκανούμενος χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσι, *ſufficiens labiis dentibusque meis.* Quid hoc? ſed forte legendum, κινούμενος, ut ſit eadem quae Syri ſententia. Arabs, مُتَجَنِّرِيًا بِشَفَتَيَّ وَأَسْنَانِي *intrans in labia mea dentesque meos.*

דִּבָּה *rumor, fama, plerumque in malam partem.*

Septies niſi fallor occurrit, ſemper quidem in malam partem, Num. XIV, 36. Jerem. XX, 10. Ezech. XXXVI, 3. Pſ. XXXI, 14. Prov. X, 18. XXV, 10. cum tamen primo loco רעה addatur, Geneſ. XXXVII, 2. *retulit patri* דבתם רעה *rumores de illis malos*, ex origine mediae videtur ſignificationis fuiſſe. Non habent ſub his ipſis literis reliquae linguae orientales, ſed mutato D in T, Syri ſub ܛܒܐ *fama*, niſi quod hi plerumque in bonam partem ponunt, et Chaldaei ſub טִבָּא *infamia.*

De etymo non plane conſtat, ſuſpicor tamen *rumorem* a *ſerpendo* dictum. Habent quidem Syri et verbum ܛܒ *nuntium accepit*, audiit 1 Sam. XX, 13. ܐܢ ܐܛܒ ܡܢ ܐܒܝ ܒܝܫܬܐ ܕܐܬܓܙܪ *ſi audiero a patre malum ſuper te decretum eſſe*, ſed reliquis linguis orientalibus nihil ejusmodi habentibus, denominativum a ܛܒܐ eſſe arbitror. Aliter Schultenſius, ad Proverb. 25. et qui eum in etymo perquam veriſimili ſequuti ſunt recentiorum multi, conferens Arabicum ab ipſo jam Golio indicatum دَبَّ عَقَارِبُهُ *repunt ſcorpiones* i. e. obtrectationes ejus, aliamque phraſin ſimilem, ſed obſtare videtur,

1) quod

1) quod vocabulum mediae significationis est, ut ex Syriasmo manifestum 2) quod *scorpiones* in hac phrasi sunt delatoris, non accusati, deque Josepho dicendum fuisset, *exire fecit scorpium suum contra illos*, non, ut Genes. 37. legitur, *attulit scorpium illorum malum ad patrem*. Caeterum non nego, phrasin Arabicam cum nostra cognatam et ex illa ortam esse: generatim dicunt Hebraei, *serpit rumor*, maxime, malus, Arabes jam magis figurate, *serpunt scorpii*.

דָּבַר *pone fuit, egit, insectatus est.*

Verbi prima vis est apud Arabes, *pone fuit*, unde دُبُرٌ *postica*, latissime per derivata patens, ut Golium consulenti liquebit: ab hac et דְּבִיר adytum dictum, de quo deinceps, et ipsum verbum semel est, *insequi*, *insectari*, hostili sensu, 2 Paral. XXII, 10. וַתְּדַבֵּר את כל זרע הממלכה *insectata est*, nempe ad internecionem, *omne semen regium*: quamquam alii ad דֶּבֶר *pestem*, ut denominativum referunt, quod sic quidem ferri possit, si non tam a peste, quam a دَبْرٌ *morte* derives: prius tamen praeplacet.

Hinc dictum *ducere* gregem, *pascere*, quod pastor illum insequitur, unde מִדְבָּר *desertum*, proprie, regio sterilis agriculturae inepta, per quam Nomades oves pascunt; de pascuis enim, qualia nostra sunt, uberibus, cogitare noli, sed de arenosis Arabiae. Nempe oves et paucis contentae, virentia desertorum depascentes, nec pingue solum illis aeque ut arenosum conducit, ipsaque aquae inopia non obest, satis enim, si alternis diebus, aut etiam tertio quoque bibant. Ipsum verbum sic poni puto Jes. V, 17. oves pascentur כְּדָבְרָם *secundum ducere illas*, i. e. *quocunque ducentur*.

Apud Syros et Arabes multo etiam latius ponitur, pro, *regere, gubernare, administrare rem prudenter*, ſed hujus ſignificationis apud Hebraeos exempla non inveni.

Loquendi ſignificationem unde habeat, ſitne ex etymo *perſequi oratione?* an, *ducere vocem*, definiendum inveſtigandumve aliis relinquo.

דְּבוֹרָה *apis*.

Apes a perſequendo dictas putem, vix enim ullum animal aliud acrius eſt in perſequendo, injuriasque illatas ulciſcendo. Caeterum apud Syros nomen cognatum ܕܒܘܪܐ paulo patet latius, vespas quoque et crabrones complexum, atque pro Hebraico צרעה Exod. XXIII, 28. Deuter. VII, 20. Joſ. XXIV, 12. poſitum: hinc illud quod Jeſ. VII, 18. in Hexaplis legimus, Ἑβραῖος καὶ Σύρος, *σφηκί*. Ipſe adeo noſter Syrus ſuum hic late patens ܕܒܘܪܬܐ habet, nec negem crabrones eximie illi aptos eſſe: ſed et ſolae apes, bellicoſiſſimum ac fortiſſimum animalculum, ſuffecerint.

דֶּבֶר *peſtis*.

Et haec ab inſequendo dicta, perſequitur enim fugientes, ſcandit aeratas vitioſa naves, nec turmas equitum relinquit. Caeterum a medicis, maxime Brendelio, interrogatus, veramne et proprie ſic dictam peſtem hoc nomine intelligam, eam, cujus patria Aegyptus? omnino me de ea, eaque ſola, Hebraicum דבר accipere reſpondeo, nec ſolum ob multa Iſraelitarum millia, quae uno die, aut paucis, mortua lego, ſed vel hanc maxime ob cauſſam, quod Aegypti eſt, Aegyptusque ita Palaeſtinae vicina, ut peſtem audiens, vix poſſim de alia cogitare. Neceſſe quidem eſt ob ipſam regionum vicinitatem, ſaepe peſtem ſtrages per Palaeſtinam edidiſſe. Vide et de רָזוֹן dicenda.

Semel

Semel occurrit pluraliter Hos. XIII, 14. דבריך *pestes tuae*, ubi forte latius sumtum et alios pestilentes morbos, mortis exercitum, complectitur. Qui ἡ δίκη σου verterunt, LXX, רִיבְךָ legisse videntur, solent enim et alias ריב δίκην interpretari. Vide Trommium.

דָּבָר *oraculum.*

Secundum vocales semel aut bis occurrit, Jerem. V, 13. Hos. I, 1. sed mihi, cum ex his solis pendeat, suspectum, vocalibus enim masorethicis si careremus, quis non Jerem. V, 13. efferret, וְהַדָּבָר אין בהם et Hos. I, 1. תְּחִלַּת דִּבֶּר יהוה? Punctorum auctor unde quaeso nosse poterat, prophetas hic per Dagesch adpellasse?

דְּבִיר *postica pars templi, adytum, paries posticus ante adytum.*

דביר *adyti* nomen esse, seu, ut alias vocari solet, *sancti sanctorum*, in vulgus notum, de solo dubitabatur etymo, quod me judice verissime expedivit *Conradus Ikenius*, in dissertatione *de* דביר *seu occidentali templi parte, ubi sanctum sanctorum erat*, philologica-theologicarum, anno 1749 Lugduni Batavorum editarum, decima tertia.

דבר, دبر est, ut jam diximus, *pone fuit, a tergo fuit*, indeque apud Arabes دُبْر *postica*, oppositum anticae قُبْل et قِبْلَة dictae. Est autem قِبْلَة, religionibus Arabum celeberrimum et gravissimum nomen, ea pars terrarum orbis, ad quam precantes faciem convertunt, de qua multum apud illos disputatum est, ipseque Muhammedes, qui aliquando in gratiam Judaeorum Hierosolymam converti faciem jusserat, aliquando etiam demta omni superstitione loci versus coelum, opinionibus gentis se adcommodans tandem iterum Meccam fecit Kiblam, ad quam precari oporteat. Hujus jam Kiblae oppositum דביר, postica aliarum gentium, ad quam vultum convertunt

tunt Hebraei: nempe ad Orientem vultum multi convertebant, ſolem adoraturi, et pro Deo habentes, quod, qui unicum inviſibilem deum adorabant, aut adorari jubebat Moſes, cavere non melius poterant, quam tergo ſoli orienti obverſo, ac facie in occidentem converſa. Sic quidem Israelitae, ſic et Moſes inſtituerat: ſanctum illis ſanctorum, in quo habitare deus credebatur, atque ad illum preces verti, in occidentali parte tabernaculi ſacri, ac ſic deinde in templo: idololatris contra apud Ezechielem c. VIII, 16. tergum templo, vultum ſoli orienti oſtendentibus. Accedit et hoc, quod omnino occidens Hebraeis poſticus, in geographia etiam, ut nos ad ſeptentrionem, ſic illis ad ortum ſolis faciem convertentibus. Vide patris mei, Chriſtiani Benedicti Michaelis, diſſertationem *de antica et poſtica, dextra et ſiniſtra apud Hebraeos.*

Haec quidem non iisdem verbis, nec per omnia iisdem ſententiis, ſed in rei ſumma idem, Ikenius. Unum addere neceſſe eſt, 1 Reg. VI, 20. דביר non adytum eſſe, ſed ipſum poſticum ſeu occidentalem templi parietem, eſt enim ibi *ſanctum ſanctorum viginti cubitorum longitudine et latitudine* לפני הדביר ANTE DEBIR: quin et verſu 19 eodem modo דביר acceperunt LXX, vertentes, κατὰ πρόσωπον τοῦ Δαβεὶρ, ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου ἡτοίμασε δοῦναι ἐκεῖ τὴν κιβωτὸν διαθήκης, forte ולפני הדביר legentes, quamquam nullus ita codex.

דִּבְרָה *adytum.* Pſ. CX, 1.

De aliorum explicationibus egi, meamque ſententiam breviter expoſui in collegio critico in tres pſalmos de Chriſto, p. 576–585. Hanc unam jam paulo repetam lucidius, דִּבְרָה, ſacerdoti Melchiſedeco attributum, nomen ejusdem formae cum Arabico قِبْلَة, idem mihi ſignificare videtur, quod praecedens דְּבִיר, *adytum, ſanctiſſimum*

Dei

Dei sacrarium, ad quod et vultum manusque in precando elevamus. Adytum Melchesedeci vix aliud esse potest, quam ad quod ipsa prope natura duce manus tollimus, (naturale dixeris) coelum: illo certe, atque adeo Mosis Josuaeque tempore nulla fuisse per Palaestinam templa videri, in notis ad Exod. XXXIV, 13. monui, compararique velim Deut. VII, 5. XII, 3. Sed hoc utcunque sit, nullum Melchisedeci templum manu factum memoratur. Erit ergo *sacerdos super adytum Melchisedeci*, qui nullo in templo manu hominum condito rem sacram facit, nullis adstrictus religionibus Leviticis, aut, si quid majus velis atque angustius, qui in ipso vero dei adyto, coelo, sacerdotio fungitur eique praefectus est. Lege et expende Hebr. IX, 11. 24.

דְּבַשׁ *mel* 1) *apium* 2) *silvestre*, 3) *uvarum*.

דבש, *mel*, triplex Hebraeis, 1) proprie sic dictum, apium, de quo dicere non opus. 2) *silvestre* 1 Sam. XIV, 26. 27. succus dulcis, ex quibusdam arboribus, palmis, ficubus, aliis certo tempore stillans, humique decidens, graecis μέλι ἄγριον, de quo vide collecta a Wetstenio ad Matth. III, 4. et Wesselingium ad Diodori Siculi I. XIX. §. 94. lin. 23. 3) *artefactum ex uvis*, de quo jam dicendum.

In fructibus Palaestinae eximiis, quos Josepho, summo regni Aegyptii administro, muneri mittit ipse minime pauper Jacobus, est et מעט דבש Genes. XLIII, 11. quo nomine mel apiarium omnino intelligi nequit, non vile modo donum, nec ab opulento Jacobo tanto viro offerendum, sed et eo ineptius, quod id foret, noctuam Athenas, melle enim Aegyptus abundat et vero praestantissimo, vernum et primum per duos menses habens. Vide *Mailleti descriptionem Aegypti* (*description de l'Egypte, lettre neuvieme*) p. 24. 25. Nec de palmarum melle naturae utriusque regionis mediocriter peritus cogitaverit, palmis enim Palaestina nec nunc abundat, nec unquam valde abunda-

vit,

vit, contra Aegyptus earum dives, ditiorque vicina Biledulgerid, nomen etiam a palmarum copia habens. Recte ergo primus, ni fallor, Shawius p. 339. itinerarii (293. verſionis germanicae) monuit, intelligendum videri *ſyrupum ex uvis paſſis factum*, Arabibusque eodem nomine دبس vocatum, cujus in hunc usque diem ſola adeo Hebron Aegypto quotannis mittere ſoleat, quantum trecenti cameli ferre posſunt. Nempe Aegyptus vitium vinique inops, ut in jure Moſaico §. 190. diſputatum. De eodem melle artefacto Ruſſel in *natural hiſtory of Aleppo*; p. 20. *the juice of the Grapes is ſometimes thikened in a Subſtance, that hath the Appearance of a coarſe Honey, and is called Dibbs. It is brought to markets in Skins, has a ſweet Taſte, and is much uſed by the people of all rank.*

De eodem melle artificioſo intelligendum quoque puto Ezech. XXVII, 17. ubi in mercibus, quas Judaea et Israelitica terra exportabat, דבש memoratur: quin et ubi Palaeſtina deſcribitur, ut lacte et melle fluens, (Exod. III, 8. &c. &c.) non mel apium intellexerim, (nec enim in laude regionis hae divitiae, in Germania quidem arenoſis Luneburgicis, in Britannia Scotiae boreali, *Highlands*, conceſſae) ſed idem mel uvarum, forte et latiore ſignificatu ſuccum dulcem uvarum. Sic latinus poeta,

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Deuteron. XXXII, 13. דבש מסלע et Pſ. LXXXI, 17. מצור דבש eodem retulerim.

דַּבֶּשֶׁת *gibbus camelorum.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jeſ. XXX, 6. ſed de cujus ſignificatione dubitari vix poteſt, loco inſpecto, praeiveruntque recentioribus *gibbum*, Chald. Vulgata, Syrus, (LXX enim omiſerunt.) Etymon ſatis veriſimile Raſchio debemus, a דָּבַשׁ, gibbum enim camelorum oneribus impo-

impositis saepe exulcerari, quod ubi factum, mel ei illini. Auctoritatem adfert Thalmudicorum, quibus quidem de animali illis notissimo satis certa fides. Loca non describo, quod jam excerpsit Buxtorfius in lex. Thalm. p. 500 sub הרבישׁ et 1112 sub כתת. — — Quamquam et ab ipso attritu et exulceratione gibbus dici potuerit: est enim قَبْشٌ *decorticatio, erosio.*

דגון *Dagon.*

De Dagone, Philistaeorum Deo, consules, Seldenum Syntagm. II. c. 3. de Diis Syris: quo lecto hoc quidem liquebit, nomen habere a דָּג *pisce*, imaginem fuisse pisciformem, capite, manibus, pedibusque humanis, unde fiat ut et *Dagon solus*, i. e. piscis solus, amputatis, capite, pedibus, manibusque relictus dicatur 1 Sam. V. 4. duplicem autem fuisse, Deum, et Deam, hanc et Derceto et Atargatis dictam, quam ipsam Ascalone cultam, et pisciformem fuisse, Diodorus Siculus l. II. c. 4. auctor sit, addita fabula, quam in ipsius Diodori libro relegi malim, quam eum compilare.

Haec ut vere disputata a Seldeno sunt, unus tamen ab eo commissus error animis lectorum eximendus. Nomen deae *Derceto* et *Atargatis*, a Dagon ortum putabat, mera quidem conjectura, atque אדיר דג *piscis magnificus*, scribendum. Ne boni quidem grammatici haec conjectura, piscis enim magnificus, inverso verborum ordine דג אדיר futurus erat: sed et omnino falsa, est enim Derceto literis Syriacis scripta, ܪܟܬܐ, *foramen*, quo de nomine, ipsoque numine, cum copiosius egerim in bibliotheca Orientali T. VI. p. 89-99. illuc lectores ablego, nolim enim eorum impensis repetere.

דָּגַר *fugere*, forte et, *glocire*, דָּגָר *perdix* Jes. XXXIV, 15. Jerem. XVII, 11.

Quod sub דָּגַר habent lexicographi et interpretes recentiores, *collegit*, *congregavit*, prope totum conjecturale est: nemo certe ex antiquis praeter solum praeivit Chaldaeum, in Jeremia (in Jesaia enim aliter habet) vertentem, מכנש ביעין, *colligit ova*, nec ullum significationis in linguis, Syriaca et Arabica, vestigium. Chaldaico eam verbo lexica tribuunt, ex Hebraicis translatam, sed ut taceam hujus linguae, ubi a Syriaca destituitur, in probandis significationibus exiguam esse auctoritatem, quod Judaei verba sacrae scripturae ex sua interpretatione suo intulerunt Chaldaismo, exempla, quae Buxtorfius attulit, nihil probant, Jobi enim XXXIX, 14. pro חִמֵּם positum, potius est, *fovere*; Exod. XVI, 14. et lectio incerta, nec liquet, quid דגיר sit, Threnorum denique I, 20. II, 11. pro מעי חמרמרו positum, congregandi significatum omnino respuit. Ergo res suas sibi lexicographi habeant et interpretes recentiores.

Arabibus quidem iisdem literis scriptum دجر est, *fugit*, a *timore*, quod loco quidem Jesaiae egregie convenit, utcunque etiam de praecedente nomine קִפּוֹז statuas, *confugiet in umbram ejus*, i. e. *sub ejus umbra hospitabitur*. Hoc quidem in versione germanica expressi, atque utcunque mihi non verisimile modo sed prope certum sit, unius tamen veri studiosus ingenue profiteor, nullum veterum praeivisse. LXX quidem, καὶ ἔσωσεν ἡ γῆ, indeque Arabs, وخلّصت الارض, quod in meam quodammodo interpretari possim sententiam, *salvavit*, q. d. *effugere fecit*, *tutos praestitit*: itemque Syrus, ܥܠܬ ܒܛܠܠܗ *penetravit in umbram ejus*, sub illa se abscondens, quod ipsum quoque meum facere possim. Sed sunt testes minus manifesti aut certi. At plane aliter

1) Vul-

1) Vulgata, *circumdedit et fovit in umbra ejus*, eademque et in Jeremia, *perdix fovit.* Supra jam monui, Chaldaeis, sed quorum, quod Judaei sunt, auctoritatem minus suspiciebam, pro, *fovere*, verbum דגר poni. Relinquamus in incertis, id unum statuentes, multo esse verisimilius consveta congregandi significatione, lexicographosque, si de ovis loqui utrumque prophetam putabant, multo melius *fovendi* quam *congregandi* significationem verbo tribuere potuisse. Sed unus alterum exscribebant, et ubi primus erraverat, reliqui etiam socordes eum sequebantur. Quod si autem in Jesaia de ericio sermo, ne huic quidem fovendi significationi locus erit. Vide infra קִפּוֹד et קִפּוֹז.

2) Chaldaeus in Jesaia vocem perdicum intellexit, קוֹרֵיהוֹן יְנַצְפּוּן בְּטוּלָּא *perdices eorum pipiunt*, vel, *glociunt in umbra* (nempe ante דָגְרָה verbum nomen perdicis subintelligens). Sic et ibi Raschi, *convocare*, vertit, et ad Jeremiam clarius quoque per Gallicum *closser* interpretatur. Sic denominativum foret a nomine דָּגָר de quo statim agemus.

In Jeremiae loco, קרא דגר ולא ילד, si cum recentiorum plerisque, קרא nomen habeas perdicis, דגר verbum, noli jam vertere, *perdix colligit ova quae non peperit*, i. e. aliena furatur ova; sed, *perdix glociens vocat quos non peperit.* Ipsa de perdicibus ova aliena suffurantibus, translata forte a gallinis domesticis, narratio Bocharto jam suspecta (*), et vero mihi vel hanc ob caussam fabulosa videtur, quod observare nemo potuerit: mihi quidem, quos interrogavi, non solum naturae historici, sed et venatores, responderunt, nihil se de hoc furto compertum habere.

At

(*) P. II. hieroz. l. I. c. 12.

At ſecundum puncta דָּגַר nomen eſt, et קָרָא verbum, *perdix vocat, quos non peperit*, ſicque LXX ἐφώνησε πέρδιξ (ſed addentes καὶ συνήγαγεν) ἃ οὐκ ἔτεκε, et clarius Syrus, ܩܪܐ ܩܘܩܝܐ ܘܟܢܫ ܕܠܐ ܝܠܕ; idque mihi perquam veriſimile, cum et ſupra vocem perdicum דגר dictam fuiſſe viderimus. Sic quidem haec erit niſi fallor, ſignificationum ſeries: 1) דגר نجر *fugit*, inde 2) דָּגָר *perdix*, ob ſummam curſus celeritatem, abque hoc nomine 3) denominativum, *pipire* vel *glocitare*, vox perdicum, illis plane propria, ac vix ſatis deſcribenda, niſi ipſe audieris.

דדה *duxit*.

Ἅπαξ λεγόμενον mea quidem ſententia verbum Pſ. XLII, 6. ſed ex aliorum ſententia et Jeſ. XXXVIII, 15. atque adeo tertium ſecundum LXX. Prov. V, 19. occurrens: quod quidem veriſſime a plerisque lexicographis redditum eſſe arbitror, ſed cum ſententiam criticis etiam tam parum adprobaverint, ut vel Houbigantius lectionem mutaturus pſalmi 42 adſcribat, *nihil afferunt interpretes quod cuivis* (vel potius, cuiquam) *erudito placere poſſit*, Schiediusque ad Jeſ. 38. novam verbo aut lucem aut nebulam offuderit, plures diverſiſſimas radices in unam cogens, denuo et tanquam re integra de illo dicendum exiſtimo.

Ante omnia autem de Pſ. XLII, 6. monendum, ſi puncta אֶדַּדֵּם cum duplici Dageſch ſequaris, verbum a radice דדד concipiendum videri: ab illis autem ſi diſcedas, poſſe, ut lubuerit, ſive ad hanc radicem ſive ad דדה et דדם referri. Videamus ergo, quid ſub his literis reliquus habeat Oriens.

1) דדם aut plane non habet, aut certe nulla, quae hic in cenſum venire poſſit ſignificatione, (دودم *ſuccus rubens ex arbore emanans*, ad אדם vel דם referendo etymo) hoc ergo verbum ex quaerendorum numero demendum.

2)

2) دَدٌ Arabibus est, *lusus.* Posset inde verti, *ludebam cum illis*, i. e. *saltabam.* Neminem tamen id tentasse video, nec mihi quidem placet, suffixum enim, pro, *cum illis*, positum, duriusculum.

3) דִּדָּה in Piel Thalmudicis aliisque Rabbinis est, *lente ducere*, ut אשה מְדַדָּה את בנה *femina ducens filium suum*, et מְדַדִּין את עגלין *ducunt vitulos*, tenendo nempe colla illorum, nonnihilque trahendo, aut impellendo, ita ut nulla sit bajulati suspicio vituli, quod facere sabbato non licet. Vide Buxtorfii lexicon Chald. Thalm. col. 504.

Hanc significationem Rabbinorum principes, Raschi et Abenezra, verbo nostro aptarunt, sequacesque habuerunt ex christianis non paucos, *ducebam eos ad templum*, dux nempe sacri chori ac primus, unde in lexica immigravit. Nec vero solis debetur Rabbinis explicatio, quod quidem vel auctoritatem linguae Thalmudicae suspectam facere posset, sed firmatur antiquioris etiam Aquilae consensu, qui vertit, *προβιβάζων αὐτούς.* Nec nisi ex hac vi verbi rationem reddideris versionis Symmachi, *διαβασταχθήσομαι ἕως τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ*, *gestabor* (in lectica) *ad aedem* Dei, nisi quod אדדה per He loco Mem legisse possit videri. Sed et ipse, utroque multo antiquior, interpres Proverbiorum Alexandrinus, huc referendus, qui c. V, 19. דדיה ירוך בכל עת vertit, *ἡ ἰδία ἡγείσθω σου καὶ συνέστω σοι ἐν παντὶ καιρῷ:* quin et altera versio graeca, duae enim in hoc versu conjunctae sunt, eundem spectasse significatum videtur, *ὁμιλείτω σοι*, forte et Syrus, *vias ejus disce*, Chaldaeusque, *disce ejus sapientiam.* Nempe efferebant דַּדֶּיהָ יְרוּךָ *consvetudo*, vel, *ductus ejus*, *erudiat te.*

Haec cum ita sint, non video, cur consveta lectio repudianda sit, ut sensu cassa, atque alia studiose quaerenda: neque hoc ita dico, ut varietatem, si qua se offert, lectionis adspernari, sed ut aequi inter

utramque judices debeamus esse. Non certe displicet, quod aliqui codices habent, אדרם.

Alia est ratio loci Jesaiae XXXVIII, 15. ubi secundum vocales legitur, אֶדַּדֶּה. Possis quidem et hic ut Hithpael interpretari, *ducam me*, ac de solemni pompa ad templum eunte intelligere; sed obstat, primo quod nullum legimus templi nomen (אדדה אל בית יהוה) deinde quod sequitur, על מר נפשי: placeret sane, *in solemni pompa ibo ob vitam mihi redditam*, — — at, *ibo in solemni pompa ob amaritudinem animae meae*, displicet. Ergo hic in bibliotheca Orientali T. XIV. p. 126. aut אֶדְּדֶה efferendum, (a נדד) aut אֶדְּאֶה legendum censui. In difficillimo tamen loco quid veteribus visum sit interrogaturos lectores arbitror: ergo

1) Chaldaeus de cultu divino intellexit, אפלח ואשלים קדמוהי, *serviam et rependam coram ipso*: דדה de ductione, incertum, utrum victimarum? an festivae ad templum pompae? intelligens.

2) Theodotio, pro nomine habens, cum praecedentibus construxit, αὐτὸς ἐποίησε καθοδήγησιν, *ipse fecit omnes dies meos quos vivam ductionem in via*, i. e. sive, *reditum a mortuis*, sive, *melioris viae, morumque emendatorum.*

Hi ergo duo, licet ab illis dissentiam, significationem tamen *ducendi* confirmant, ut notam ipsis et usitatam.

3) Vulgata ex mera conjectura, *recogitabo tibi omnes annos meos.*

4) Syrus, שְׁנָתִי legens, (sine Vau, ut IX codices Kennicottiani) ad נדד retulit, ut ego quidem, sed aliter vertit, *fugere fecit omnem somnum meum.*

דְּדָן *Daden.*

Insula sinus Persici, quae commercia olim Indiae orientalis exercuit. Vide Spicilegium geogr. Hebr. exterae T. I. p. 201 – 208.

דהוי Ezr. IV, 9.

Ignotus nobis populus, cujus coloniam in Palaeſtinam duxerant Aſſyrii. Recentiores *Daas*, vel *Dahas* intelligere ſolent, ultra Imaum ac mare habitantes Caspium, de quibus vide Cellarium T. II. p. 829. Magnus ſane nominum concentus, ſed regio nimis diſſita, nec veriſimile eam Aſſyriis ſubfuiſſe. Ergo ignoremus potius, quam erremus. Idem nomen et 1 Macc. X, 69. ſibi legere Joſephus videbatur, ubi vide notas.

מרהבה *inaurata.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jeſ. XIV, 4. de Babylone poſitum, מַדְהֵבָה, quod, ſi vera eſt lectio, non poſſum non mutatis vocalibus מְדַהֲבָה vel מְדֻהֲבָה (part. paſſ. Pael vel Aphel Chald.) *auream*, *auro ornatam*, vertere, plane ut Babylon myſtica, ſed mulieris forma, Syriace Apoc. XVII, 4. ܡܕܗܒܐ ܒܕܗܒܐ eodem nomine iisdemque literis vocatur. (κεχρυσωμένη χρυσίῳ) Nomen Chaldaicum, ex puro enim Hebraismo ſcribi מְזֻהָבָה debuiſſet, forte, quod ipſi eo Babylonii in laudanda urbe ſua aut uſi ſunt, aut uſi finguntur. Haec quidem Chaldaica nominis forma ſequentibus obſtat explicationibus, *aurea* potuerit cognomen fuiſſe Babylonis Chaldaicum a Jeſaia ſervatum; at ſi aliter interpreteris, mirari neceſſe erit, in puriſſimo ſcriptore Jeſaia vocem plane Chaldaicam legi.

Vitringa *virgam* (ſceptrum) *auream*, intellexit, quod quidem cum ob formam nominis diſplicet, cum quod uſus Syriacae linguae multo facilior, nec ellipſi nominis מַטֶּה, quod ipſum quidem alias maſculinum eſt, opus habet. Nec exactorem, de quo ſermo inſtitui coeperat, aureus decet baculus, ſed ex nodoſo ligno.

Vulgata *tributum* vertit, auro, ut putabat interpres, pendendam, (q. d. *auri exactionem*) quod Coccejus in lexicon recepit, et Venerabilis

bilis Lowthus in, *auri exactricem* mutavit. Jesaiae quidem tempore, et ante exilium, non memini, aurum de tributo me legere, sed argentum. Schultensius ذهب abire, conferebat, praedasque abigentem intelligebat: quamquam vel sic מוהבה scribendum fuisset, malimque notissimam Arabibus Aramaeisque inaurandi significationem sequi.

Verior tamen mihi lectio per Resch מרהבה videtur, quam sub ר explicabo.

רָהַם *derepente supervenit.*

Semel legitur in participio Niphal נדהם Jerem. XIV, 9. varia interpretibus conjicientibus. Plerique recentiorum, *obstupefactus*, *defatigatus*; male cum רמם conferentes: Syrus ܡܚܝܠܐ *vires non habens*, quod unde? LXX ὑπνῶν, sed ex alia lectione נִרְדָּם: melius reliquis Schultensius et Venema, *malis et calamitatibus succumbens*, collato دهم quod cum derivatis de magnis poni infortuniis solet.

His quidem subscriberem, nisi aliam idem verbum Arabicum, probabiliorem adeo et ad seriem orationis aptissimam, offerret explicationem. دهم est, *ex improviso supervenit*, (unde et graviora infortunia dicta) jam איש נדהם erit, *vir ex improviso superveniens*, non ea curans, quae videt, sed praeteriens. Id cum jam sua sponte satis et expeditum sit et verisimile, prope certum videbitur, versum praecedentem legenti, et ad gradationem sermonis animum advertenti. *Tu*, inquit, *spes et salvator Israelis adverso tempore, cur jam es*, 1) *ut peregrinus in terra*, (כגר בארץ) qui quidem potest multos per annos apud nos fuisse, sed non rem publicam, quae nihil ad illum, curare: 2) *ut hospes unius noctis*, *isque adeo in suo pernoctans tentorio*, (בארח נטה ללון, ut viator, qui tetendit tentorium ad pernoctandum) 3) *ut superveniens ex improviso*, ac mala modo videns, quae nihil ad se pertinere arbitratur.

Cae-

Caeterum forte aliqui illorum, qui נדהם *attonitus* verterunt, hoc ipsum spectabant verbum Arabicum, putabantque, ab improviso casu attonitum stuporem dictum fuisse; potuerint etiam دهيم *fatuus* conferre. Vide patrem meum in notis ad biblia Halensia.

דהר Jud. V, 22. Nahum. III, 2.

Verbum, de cujus significatu utcunque conjecerunt lexicographi et interpretes, diversissimarum sententiarum, nulla hucusque reddita ratione philologica, qua ductus alteram alteri praeferre possis. Quod quidem recte monuit S. R. Schnurrer in dissertatione in canticum Deborae, inque voce incerta eam se sequi malle professus est significationem, quam plures ex veteribus praeierint, *cursus concitati.* Egit de verbo obiter Bochartus hieroz. P. I. l. II. c. 6. p. 97. sed quo lecto nihil te certi habere intelliges, ac nedum quod praeferre possis. Quod difficile verbum tractaturus jam in initio veniam peto, si dubios de uno, ubi occurrit loco, lectores dimisero: id tamen allaborabo, ut aliquid verisimilius nanciscamur.

Judaei quidem, quorum et sententias et verba attulit Bochartus, alii, *saltum* intellexerunt, *cursum celerem* alii, Kimchius, *calcationem*, pro qua *calcandi* significatione et Arabem Bochartus citat, in Nahumo ارکض vertentem, immemor, hunc non Hebraicum דהר vertisse, sed graecum διώκων, unde sequitur ut ارکض hic sit, *celeriter currens,* proprie, equus ad currendum ab equite concitatus.

Ad *celeritatem cursus* ex veteribus praeter hos, quos jam dixi, LXX et Arabem Nahumi, referendi sunt, LXX Jud. V, 22. σπουδῇ ἔσπευσαν ἰσχυροὶ αὐτῶν, multoque fortius Vulgata, *fugientibus impetu et per praeceps ruentibus fortissimis hostium.* His quidem noli ex Arabico دهم *supervenit*, suppetias ferre: nec enim est, cursu adsequi,

qui, fed de fola ponitur profpera adverfaque fortunae, ab *orbe*, quem dicunt, *fortunae*.

Alii *fonum* aliquem intellexerunt ab equis editum. Sic in libro Judicum Syrus, ܡܢ ܢܗܡܬܐ ܕܣܘܣܝܐ ܕܓܢܒܪܘܗܝ *fremitu equorum heroum ejus*, inque Nahumo Vulgata, *ut equi frementis*, Syrusque, ܢܦܚ *anhelans*. Aliquid hujus, fed plane mutatum, in lexica receptum videbis: Coccejus, *fonipes, equus calcitrans*, Simonis, *fonuit, ftrepuit, proprie pedibus, ungulis fonans, quadrupedans. Sonipedem poëtae fere fubftantive pro equo dixerunt, quia, dicente Virgilio, Aeneid. VIII, 596., ungula ejus campum fonitu quadrupedante quatit.* Hunc ergo quadrupedantem fonitum, linguis Orientalibus plane ignotum, ne quidem antiquis crediderunt interpretibus, qui alio de fonitu, fremitu equorum loquuntur, fed fola conjectura commenti, infigni impudentia non dubitantes, fed ut certam fignificationem pofuerunt. Nec viros adcufo eruditiffimos, fed feculi vitium, quo a teneris imbuti erant.

Chaldaeus utrobique verbo פנך ufus eft, quod quidem ipfum dubium: Buxtorfius enim, *falire*, Caftellus, *currere velociffime*, biblia polyglotta, *fremere*, vertunt. Omittamus ergo, ne quaeftionem fatis intricatam magis impediamus.

Jam potius difpiciendum, quid opis ferant, quas omnium primas confuli oportuiffet, linguae fororiae. Arabicae quidem et Syriacae vix dubito quin דהר proprie fuerit, *in orbem ire, gyrare*, licet lexica hunc fignificatum non habeant: ad eum redeunt nomina derivata. Syris ܕܗܪܐ *mola*: Arabibus nomina in duas fere fignificationes divifa, *temporis*, et, *fortunae*, quae ipfa ab orbe et converfione dici orientalibus folent, ut: دَهْر *tempus, feculum mille annorum*, (q. d. perfectus

ctus temporis orbis) دَهْرِيّ *annosus*, دَهَرَ *incidit fortuna*, seu magis proprie, *in orbem iit fortuna*, دَهْر دَهَارِير *fortuna adversa ejusque casus graviores*, مُدَهْوَر *adversam fortunam habens*, indeque quadriliterum, دَهْوَرَ *tergum vertit*, seu proprie, *in orbem iit fortuna*. Sic et nos lingua vernacula rotam fortunae dicimus.

Solum si haberemus locum Jud. V, 22. in mentem forte *rotae belli in orbem euntis*, venire posset, qua phrasi Arabes quidem utuntur, ut p. 45. chrestomathiae: at cum ex Nahumi סוס דוהר manifestum sit, de equis usurpari, inque Judicum etiam libro equorum mentio praecesserit, lubens hanc belli rotam abdico, eoque lubentior, quod non inopia verisimilium explicationum sed copia laboratum iri praevideo.

A rotando quidem recte *summa cursus velocitas* dici possit, viceritque ita etymi quoque beneficio ea plurium ex veteribus sententia, quam horum auctoritate praetulisse reliquis Schnurrerum supra jam diximus. Egregie illa apta loco Nahumi cujus סוס דוהר jam equus erit celerrimus. Apta etiam cantico Deborae, nisi quod hic addi possit, a circumeundo in gyrum et fugam nomen sortiri potuisse, fere ut Golius دهور in *orbem iit fortuna*, paraphrastice verterat, *tergum vertit fortuna*. Egregie jam fugae effusae descriptio, *lapsabant* (הלמו) *calcanei equorum effuso cursu*, *citata fuga fortium ejus*. In dubiis relinquo, fortesne ejus sint equi ipsi, an sessores. (Proximus ab hac interpretatione abfui in versione germanica, *die muthigen Pferde wandten sich um*, sed de sola conversione ad fugam accipiebam, et מדהרות pro participio Piel aut Hithpael habebam, ad verbum, *gyrabant gyrationes fortes ejus*).

Haec cum certo philologico sint proxima, ausimne alia proposita explicatione dubios dimittere lectores? Quid si haec verba מדהרות דהרות אביריו non jam de equis ipsis agant, sed de curribus bellicis, sintque דהרות rotae eorum, hoc sensu: *circumagebantur celerrime rotae curruum heroum ejus?* Me tamen judice prius praeferendum.

Minutum addo: ut alia verba mediam rad. Vau in He mutant, e. g. רוץ, رهط, ita forte דור *in orbem ire* et דהר natalibus unum idemque verbum esse, ita tamen usu discretum, ut דהר Hebraeis in equis proprium sit factum. Ipsum etiam Arabicum دور cum de *fuga* ponitur, tum de *orbe fortunae:* vide Golium sub دَايِرَةٌ *fuga e praelio, et conversio fortunae.*

דַהַר *tempus.*

Arabibus دَهْرٌ *tempus* esse, ab orbe sic dictum, vixdum monui, (p. 402.): hoc significatu דהר Ezech. VII, 7. accepisse videtur Symmachus, הד הרים, ut monuit Hieronymus, *recrastinationem* vertens: *tempus prope est, dies festinationis et non recrastinationis.* Nempe ut una vox vel Hieronymi tempore legebatur, quam alios in duas dispescere refert, הדהרים: hanc ergo unam vocem nulla omnino *montium* (הרים) facta mentione, cum *recrastinationem* vertit Symmachus, his animatam vocalibus הַדְּהָרִים ad דַהַר (دَهْر) *tempus* retulisse videtur. Non nego et mihi verisimilem videri explicationem, filo orationis egregie aptam: *venit tempus, in proximo est dies . . . . non remotorum temporum* (ולא הדהרים). *Jam, ex proximo, effundam iram meam super te.*

תדהר

תְּדְהָר Jeſ. XLI, 19. LX, 13.

Quae arbor ſit, maximus ſacrarum literarum vel unicus potius botanicus, raro aliquid ignorare ſolitus, Celſius ignorare ſe faſſus eſt, P. II. Hierobot. p. 271—273. nec jam me puduerit ignorantiae.

Novi quid in obſcuro vocabulo tentarit S. R. Doederlinus in ſuo Eſaia: *mihi*, inquit, *Syri auctoritas fere perſuaſit, ut legerem* תהדר, *crederemque, non novam arborem, ſed ſingularem, atque prae reliquis in pretio habitam abietum* (ברוש) *ſpeciem hoc nomine inſigniri, ſicut ſupra Aſſyrius* מבחר ברושים *laudaverat. Nam* הדר *de luxuriante atque laetius efflorefcente herba Arabes dicunt. Syrus vertit,* ܫܪ̈ܘܝܐ ܕܗܪ̈ܝܐ *abietes luxuriantes, nec Chaldaeus abludere videtur, qui reddit* ברון מורבין *abietem viridibus foliis luxuriantem.* Abies luxurians, quae ſit, aut quam ſpeciem ſignificet, vix ſatis adſequor, feminamne? quam dicit Plinius maſcula prolixiorem, *folio pinnato denſam.* (T. II. p. 9. lin. 25.) Quamquam hanc diviſionem non admittunt recentiores, eſtque omnis abies folio pinnato denſa. Syriacum ܕܗܪ̈ܝܐ verteres potius, *abietem pulcram*, ſeu, *nobilem*, ipſique Germani ut nomen ſpeciei abietum habemus, *Edeltanne.* Nec tamen Syro majorem, quam aliis interpretibus, fidem habuerim: conjecit, ſimiliter reliquis, in obſcuro vocabulo. Lectionis variae ex eo erutae, nullum omnino in verſionibus reliquis, codicibusve Kennicottianis veſtigium.

Admonitus tamen de lectionis varietate Kennicotti biblia conſului. En quid repererim:

תתהר in capite XLI. cod. 173. Poſſit eſſe nomen deſerti, ſynonymum praecedentis ערבה, ab Arabico تَيْهُور *planities*, ſpeciatim, *arenoſa.* Sed unum codicem quis ſequi audeat, ſi lectionem non malam quidem, nec tamen in aſſenſum cogentem, habeat?

תוהר in cap. XLI. cod. 145. (Argentoratensis 1.) inque sexagesimo cod. 109. Hoc quidem ex Arabico زهرة, *flos*, explicarem; *abies floris et* . . . . (תאשיר) *simul:* i. e. *abies simul florens et* תאשור (forte conos) *efferens.* Lectio minime contemnenda.

יתדהר in capite sexagesimo, 170. 253. (insignior) 260. Sic quidem erit futurum Hithpael, *abies, quae rotundatur*, i. e. tereti forma excrescit.

Ignorantiam fateri, non mihi pudori esse supra dixi: sed dubium subnascitur, quo forte duce ad aliquam veri viciniam emergemus. Certumne est, תדהר, et quod illud utroque loco excipit, תאשור, (quod ipsum fortasse non nisi his duobus locis legitur, בתאשרים enim Ezech. XXVII, 6. num huc referendum sit, multi jam dubitarunt) nomina arborum esse? Si arborum, arborum certe Libani, ut ex Jes. LX, 13. constat: at veri dissimillimum mihi videtur duo adeo nomina arborum in Libano crescentium, non nisi bis in sacris literis occurrere, et vero eadem utrobique serie orationis, post *abietes.* Quidni ergo potius sint qualitates et laudes abietis? Peculiaris quidem illi, 1) perfectior et elegantior teretis stemmatis rotunditas, quam oculis quisque suis credet, qui abietem vidit, cumque aliis arboribus comparavit. Plinius de abiete, quam putat, femina, *arbore rotundiore:* hist. nat. l. III. §. 19. 2) recta, qua adsurgit, statura, 3) proceritas. Quid si תדהר sit a praecedente דהר *teres rotunditas,* et תאשור alia abietum laus, rectum stemma, aut proceritas, verbaque vertenda, *abies rotunditatis et rectitudinis simul*, i. e. abies, qualis in montibus nasci solet, teres et rectae proceritatis simul: cognatis enim arboribus vallium indigenis, pinui aliisque, solent hae virtutes deesse. Sed de hoc statui nequit, antequam et de תאשור dictum: liceat ergo sententiam ad ultimam Hebraeorum literam finemque operis differre.

דהש *mollis.*

Hoc quidem nomen in codice masorethico nuspiam obvium ex sola pono conjectura critica. Verba לשד השמן Num. XI, 8. in mendo cubare manifesto arbitror, rationesque ita sentiendi in bibliothecae Orientalis Tomo XXIII. reddidi, inter alia monens, *mellis* nomen in fine habere Symmachum, Arabem Erpenii et Thargum Hierosotolymanum. Ex his duas composui lectiones, quarum prior לש דבש *placenta mellis*, verisimilior, sed nihil ad nos: altera, in literis omittendis verecundior, לָשׁ דָּהֵשׁ מִן דְּבַשׁ vertenda, *placenta mollis ex melle.* Nempe دهس et دهش *mollitiem* Arabibus significat, unde et terram mollem, et terrorem, qui Hebraeis mollities cordis esse solet, dixerunt.

דוד *amor*, *amicus* &c.

Verbum ipsum דוד in sacris literis non legitur, sed ex nominibus derivatis, דוד *dilectus*, *amicus*, דודים *amores*, manifestum, ejus vim in *amore* fuisse. Non habent sub hac radice Arabes amandi significatu, ودّ enim ad ידד referendum: Syris ܕܘܕ cum derivatis suis, est, *turbare*, *perturbare*, unde dictus videtur amor, primo quidem non lenis ille, et amicorum, sed is qui perturbatio est animi, licet et deinde ad omnem amorem verbum transferatur. Mirum, quod sub his literis Arabes, nomen, *vermem*, habent, et verbum, *vermibus laborare.* Hocne denominativum? an a *perturbando* ductum, quod vermibus laborantes gravissime turbantur, aliquando et delirant? vermibusque deinde a verbo nomen ductum? N. L. Ab hoc verbo et nomina propria דָּוִד, et *Dido*, *amabilis.*

דוד quod Hebraeis, ut Syris ܕܕܐ, *patris fratrem* significat, liberius etiam pro patruele poni, statuunt fere lexicographi, et probant ex Jerem. XXXII, ubi Hanameel, qui v. 7. 12. דוד Jeremiae, idem et

v. 8. 9. בן דודו: Est et mihi perquam verisimile, sed tamen aliqua laborat lectionis varietate, nam et in versu 8. LXX legerunt, חנמאל בן שלום דוד, qua lectione sumta, atque stemmate sic structo

Sallum
Hilkias — Chanameel
Jeremias

poteris haec verba ubique, v. 7. 8. 9. vertere, *Hanameel filius Sallumi, patruus meus*, nec uspiam Chanameel patrui filius, sed semper patruus dicetur. Facit et hoc consvetam lectionem suspectam, svadetque ubique sive דוד, sive בן דוד reponere, quod incredibilis videtur negligentiae, eundem eadem serie orationis jam דוד jam בן דוד vocare. Multo latius sine dubio est germanicum nostrum, *Vetter*, sed quis mediocris scriptor id sibi indulserit, ut eadem in serie orationis, *mein Vetter*, et, *meines Vetters Sohn*, promiscue pro se invicem substituat. — — Alterum quo utuntur exemplum latioris significationis, Esther. II, 7. plane ineptum: patrui sui filiam educare, quid habet incredibile?

Disputatum fuit de hujus nominis latiore significatione maxime ob locum Exod. VI, 20. ubi si דדה, *amita*, proprio significatu sumas, Moses ex connubio cum sorore patris, quod ipse legislator factus ad vetita retulit, ortus fuerit. Mihi quidem id veri neutiquam dissimile, hoc uno demto, quod multi volunt, rationibusque temporis repugnat, matrem Mosis Jochebedam immediatam Levi filiam fuisse, quem ex mea sententia vix decima generatione attigit. (Vide biblioth. Orient. T. XII. n. 192.)

דוד 1) *olla* 2) *canistrum.*

Sexies hoc significatu occurrere creditur, 1 Sam. II, 14. 2 Reg. X, 7. Jerem. XXIV, 1. (דודאים scriptum, errore, suspicor, librariorum,

riorum, ſed tam antiquo, ut nullus Kennicotto collatus א omittat) 2. Pſ. LXXXI, 7. Job. XLI, 12. 2 Paral. XXXV, 13. quae quidem relegens, quantumvis cupiat, dubitare vix poterit, quin 1 Sam. 2. 2 Paral. 35. *olla*, et 2 Reg. 10. Jerem. 24. *caniſtrum* ſit. Impudens ergo, hos ſignificatus, in quos unanimes conſentiunt lexicographi, linguae etiam Chaldaicae, eosdem habentis auctoritatem adferentes, in dubium vocare. Et ſunt tamen quae ſuſpecta videri aut certe moleſta poſſint: primo, quod hae ſignificationes a ſuperiore, *turbandi* et amandi videntur disjunctiſſimae, deinde quod lingua, ſi lexica conſulas, Arabica et Syriaca, non ſolum eas non habet, ſed ne etymon quidem ſuppeditat ad quod referri poſſit, Chaldaicae autem linguae, qualem ex ſolis magiſtrorum ſcriptis habemus, his in rebus minus momentum ſit.

Ergo ante omnia monendum, Samaritanam linguam idem nomen habere, דרודה *ollae*, quin et Syriacam, ſed alia ſub litera initiali ܕܘܕ̈ܐ *olla*, quo conſenſu *ollae* certe ſignificatio ſatis firmatur, ab olla autem et corbis ob rotunditatis ſimilitudinem dici potuerit. Deinde non diffiteor, de ſcriptione vocabuli ſuſpicionem mihi ſubnatam: quid enim ſi per Reſch דור ſcribenda ſit, facili in tribus linguis, et vero in Syriaca facillima, literarum D et R confuſione. Sic *rotundum* ſignificaverit; a rotunditate optime et ollae dici et corbes potuerint! Evolvi ergo Kennicotti biblia: plerisque in locis nihil inveni variae lectionis, at Pſ. LXXXI, 7. quatuor aut quinque, Job. XLI, 12. tres aut quatuor codices דור habebant.

Quamquam hic ipſe, quem vixdum indicavi Jobi locus, alius mihi et prope contrariae conjecturae occaſionem dedit. Hebraica בְּדוּד נָפוּחַ Syrus vertit, ܐܝܟ ܕܘܓܙܐ ܕܩܕܪܐ ܕܡܫܚܠܐ, exque eo, quem linguae peritiſſimum de obſcura voce ܕܘܓܙܐ conſulebam, Arabs;

مَثَلْ رَغْوَةِ الْبِرْجَلِ الَّذِي يَسْتَجِرُ *ut spuma ollae quae fervet.* Verane Syriaco vocabulo puncta subjecta? Certe ܕܘܕܐ nuspiam alibi spuma est, et Gabrieli Sionitae, cui puncta debemus, ne hilum quidem fidei. Habuitne ergo hic Syrus, ut est in Hebraicis, ܕܘܕܝܐ? idne *spumam* significabat? Haecne ergo series significationum etymologica? 1) ܕܘܕ *turbare* 2) *spumare bulliendo*, a turbando 3) hinc nomen, et *spumae*, et *ollae*?

Horum neutrum si lectoribus placeat, דוד, *ollá*, exoticis adnumerent vocabulis, in orientales linguas receptis, quorum de etymo frustra laborabimus.

Caeterum דוד ab aliis ollis distinguitur, 1 Sam. II, 14. 2 Paral. XXXV, 13. utrobique secundum post aliud ollarum nomen locum obtinens. Estne proprie, quod nos dicimus, *der Schaumkessel*, si latino vocabulo audacia detur, *olla spumaria.* Nempe caro coquenda, 1) primo in olla abluitur patentiore, haecne 1 Sam. 2. כיור? 2) deinde in bulliente aqua coquitur, quam quidem alii despumant, alii totam effundunt. Hanc *Schaumkessel* dicimus: eane Hebraeis דוד? 3) Postea alia in olla, ea maxime, quam *casserole* dicimus, perfectius coquitur.

דּוּדָאִים *mandragorae* Genes. XXX, 14. 15. 16. Cant. VII, 14.

Copiose de hoc nomine egit, suum adeo ab illo exorsus hierobotanicon, quo neminem in literis Orientalibus magis suspicio admirorque, Celsius, T. I. p. 1 – 24. sed sententiam, a communi et unanimi veterum diversam, argumentisque nixam laborantibus, mihi quidem nunquam persvasit.

Sumo

Sumo quidem ex Celsio, quod p. 4. disputavit, LXX, Josephum, Vulgatam, Hieronymum, Syrum, Arabem Polygl. (addo et Erpenianum) Onkelosum, Pseudojonathanem, id vero est, veteres quos habemus omnes, *mandrogoram* vertisse. (Recentiores, quos eidem sententiae subscribentes adfert, ut mera praetermitto sine momento nomina.) Hi quidem soli suffecerint, maxime cum sint Pentateuchi et cantici non unus interpres, sed diversi, nec si errarint, omnes idem erraturos verisimile est. Unum certitudinis numerum deesse video, fateorque, usum linguae Arabicae et Syriacae, quae aliis mandragoram nominibus, ejusque fructum satis recenti *poma Satanae* vocant, quod ad furorem amatorium stimulare creduntur; etymon tamen suppetit ab eo, quod vixdum exposui דוד, *perturbare*, *amare*. Forte unde א in fine accesserit, quaeras: certi nihil habeo, pro more tamen quadriliterorum ex duobus triliteris compositorum ex דא, دَاءَ pro *aegrotavit*, دَاءٌ *morbus*, sumtum suspicer, ut fructum significet, qui *morbo amoris* vescentes inficere creditur.

Sunt autem ejus loco alia, quae veterum sententiam confirmant argumenta: sed antequam ea proferam, vir magnus audiendus, exque eo discendum est, quid tantae unanimium veterum auctoritati, eorum etiam, qui antequam plane interiisset lingua Hebraica vixerunt, opposuerit. Huc fere redit:

1) *Mandragorae gravem esse odorem, Dudaim Cant. 7. a jucundo odore laudari. Falsos esse, qui interpretationis studio odorem mandragorae suavem finxerint.*

Lege modo locum Cantici, statimque vel nihil aliud praesidii ex philologia adferens videbis ne vocem quidem de *suavi* odore mitti, sed de odore quem spargat mandragora, qui quidem, quod hircinus est quodammodo, viresque mandragorae in Aphrodisiacis lau-

 dan-

dantur, amoribus auras perflare videtur, et ad eos ſtimulare. Sed jam ipſa adcuratius inſpice verba, *Dudaim* נתנו ריח *dederunt odorem:* hoc quidem dandi verbum Arabibus de foedo odore poni ſolet, quod vel ex Golio diſci poteſt, (p. 2303. نتن *foetuit*, *male oluit* نتنة *nomen arboris foetidae* &c.) unde et mare mortuum a foedo odore البحيرة المنتنة in Abulfed. Syria p. 9. 12.

2) *Falſa haberi a naturae peritis quae de vi aphrodiſiaca mandragorae paſſim ferantur, quos in uſus eam Rachela credatur expetiiſſe.* p. 8. 9.

Falſa quidem illa ſint, per me licet, (quamquam argumentis a priore, atque adeo chemicis, hic nolim rem agi) eſt tamen communis per totum Orientem opinio, mandragorae magnas in philtris vires eſſe, eamque ad Venerem ſtimulare, unde vel, ut ſupra dixi ejus mala, *poma Satanae*, dicuntur, nec negat, ſed et teſtibus confirmat Celſius. Jam nihil ad rem, verane haec ſit an falſa, modo communis fuerit opinio, mandragoram ad concubitum fortiorem amoresque efficacem eſſe, Rachela quidem ſterilis valde potuit mandragoram, mulieribus negatam, (nolunt enim viri philtra ſibi parari, quae periculoſa, et exitu ſaepe funeſta) expetere, noctis quae ei debebatur jure redimere, ac Lea viciſſim marito rem prodere, ut ab omnibus Rachelae potiunculis caute abſtineret. Vide notas ad verſionem germanicam Geneſ. XXX, 14. 15.

Reliqua quae addit, *mandragoram foecundas facere feminas falſo dici*, &c. non attingo: nihil illa ad rem, quique id dixerunt, non ex communi populorum opinione ſumſerunt, ſed loco interpretando commenti ſunt. Haec omnia abdico, uno contentus, quod certum eſt, ultroque largitur Celſius, *ex communi opinione Aſiae mandrago-*

dragorae magnam in ſtimulando vim eſſe, ideoque philtris miſceri: haec ſufficit, quoque fortior et vehementior concubitus, eo major ſterili Rachelae ſpes ſobolis.

3) *Abſit*, inquit p. 11. poſt enarratas fabulas de virtutibus aphrodiſiacis aliisque mandragorae, *ut horum vel minimam partem tribuamus Rachelae, ſanctae et innocenti feminae, quae in patriarchali familia, longe aliam fidem aliosque mores edocta fuerat.*

Mirum haec tanto excidere viro potuiſſe! Quid hoc quaeſo, *patriarchalis familia?* Ergone ex ea orta regeniti, aut certe a ſuperſtitionibus malisque artibus ſejuncti? Ipſe Laban qualis? Et vero Rachela, deos patrios non colens ſolum, ſed et patria ex domo furata, illisque, ne reperire pater poſſet, inſidens, podice protegens deos, ac, ne accederet pater, menſtruatam mentita!

Jam ut ea promam, quae praeter veterum unanime teſtimonium pro mandragora faciunt, haec fere ſunt:

1) male olent, ut ſupra dixi, Dudaim, Cant. 7.

2) aptiſſima mandragora eidem loco, quod (Majo quidem menſe) amicus amicam in agros invitat, ubi omnia amores ſpirent, mandragora etiam potenti, ut ſuperſtitioſi credebant, hircinoque odore auras perflans.

3) Ipſum id quod Rachela tantopere fructum adpetit, nempe, qui in philtris potens habebatur, et

4) Lea rem marito prodit, jam potiunculas vitaturo.

5) Denique ipſum tempus, quo Geneſ. 30. inventus fructus: ſed de hoc adhuc dicendum reſtat.

Meſſis triticeae tempore דודאים adferuntur, Geneſ. XXXI, 14. et vero, quantum ex ſerie orationis colligere poſſum, non flores, qui nihil habent jucunditatis, nec efficaces creduntur, ſed mala, ut LXX diſtin-

distinctius vertunt, *μῆλα μανδραγόρου*: mala autem mense Majo, in quod tempus messis triticea incidere solet, habet, jamque defloruit, Hasselquistus in *itinerario terrae sanctae*, p. 183. 184. versionis germanicae, sub *quinto Maji* 1751. (ex vetere, credo, calendario, quo illo anno Sveci adhuc utebantur, i. e. nostro 16 *Maji*) in Galilaea eo die versatus, haec habet: *quod notatu dignissimum se mihi spectaculum offerebat, mandragora erat, sed voluptate eam florentem videndi negata. Fructus prope maturi cauli adhaerebant, marcido jam et humi cubanti. – – – Messis triticeae tempore Dudaim Rachelae adferebantur, quae quidem per Galilaeam in Majum mensem incidit, quo mandragora jam defloruit. In Galilaea ubique crescit, in Judaea nec vidi, nec de ea audivi.* Stephanus Schultz, ad Judaeos missionarius, in vicinia urbis Nain die 18 Maji mala mandragorae perfecte jam matura, et flava, invenit, multa de illorum vi stimulante audiens: vide illum in itinerario, cui titulum fecit, *Leitungen des Höchsten* Tom. V. p. 197.

דודנים vel דדנים Genes. X, 4.

Haec si vera scriptio, ut mihi quidem videtur, Dodonam intellexerim, gentilitiumque, Epiri incolas. Vide spicilegium T. I. p. 114–121. Variam lectionem רודנים quaere sub Resch.

דוח Jerem. LI, 34.

Abluendi significationem verbi quater obvii, nemo Ezech. XL, 38. 2 Paral. IV, 6. Jes. IV, 4. in dubium vocaverit: solus Jeremiae locus c. LI, 34. *deglutivit me ut draco, implevit cupediis meis ventrem suum*, הֱדִיחָנִי, non satis ex ea expeditus. Hic quidem optime mihi vertisse videtur Vulgata, *ejecit me*, et LXX. (nisi quod illi pluraliter et cum sequentibus construentes,) *ἐξῶσάν με*. Nempe Arabibus داخ *vilis fuit*, ab eluendo ut puto ducta significatione, ut proprie purgamenta

menta significet, indeque in conj. sexta *abjecit*. Nec vero putem, ab excremento, ut vult Venema, desumtam imaginem, nimis sic turpem ipsisque injuriosam Israelitis, sed a vomitu. Avidus vorator evomit, quae stomacho ingesserat: sic et Babylonii injuste parta reddunt. Caeterum eadem prodiret sententia et imago, si mutatis punctis הדיחני ad rad. נדח *expulit* referas.

דוכיפת *upupa? an gallus montanus?*

Egit de hac volucri prohibita Levit. XI, 19. Deuteron. XIV, 18. perquam et copiose et docte Bochartus, hieroz. P. II. libr. II. c. 31. forte et veram dixit sententiam, sed ita cupide, et partium studiose, ut prudentioribus ex lexicographis eam non persvaserit, nec post illum *upupam* inter et *gallum montanum* ambigere desierint. Qui alias totus ad morbum usque etymologicus est, hic derepente etymologias, quippe quae upupae videbantur contrariae, abdicans, omnia ex auctoritate decernit antiquorum, quos alias non magni facere, levissimisque repudiare de caussis solet, decernitque *ex multis interpretationibus praeferendam esse antiquissimam.* Quod autem ex lexicographis prudentiores fecisse dixi, idem et mihi faciendum esse video, ambigendum: allaborabo tamen, primo ita exponere utriusque sententiae argumenta, ut facilius aliis fiat arbitrari, deinde et aliqua Bocharto reliquisque intacta addere. Eos autem interpretes veteres omnes omitto, qui נגר טורא *perforatorem montis*, aut נקארתא habent, i. e. Chaldaeos et Samaritanum, quod de hoc ipso nomine nihil adhucdum certi habemus, habituri forte, si quis nos doceret, quomodo Arabes Samaritani דוכיפת reddiderint.

Sed aliquid ante omnia de scriptione nominis dicendum. דוּכִיפַת vulgatae habent editiones, דוּכִיפָת per Kamets in Deuteronomio codex Cassellanus, forte et alii, aliqui sed pauci Kennicottiani defective דכיפת

דכיפת, Samaritani plerique דגיפת, quamquam alii et plene דוגיפת. Jam

1) *gallum montanum* habet Syrus, ܬܪܢܓܘܠܐ ܕܛܘܪܐ, quem mire Ephraemus vult imaginem eorum esse, qui nimis ad seram noctem philosophiae literisque graecis student. Nempe crepusculo ingruente gallus montanus motu aliquo perquam sonoro alarum gallinam vocat allicitque, (Germanice dicimus, *der Auerhahn pfalzt*) quod ad homines nimis eruditos transtulit. – – Eundem gallum montanum et plerique intelligunt Judaeorum, favetque sane etymologia. Compositum erit nomen ex דִּיךְ (ديك) *gallina*, et כֵּיפָא *petra*: quod Caph sine Dagesch forti scriptum est, nullius momenti, haec enim signa recentia: at molestum esse possit, quod malles per He דוכיפה, quae lectio hucusque non reperta. Samaritanae lectioni idem etymon recte aptaveris, Arabibus enim gallinae nomen per G scribitur دجاجة a sono illarum naturali, *duc*, *duc*, دج.

Monui jam, quid in etymologia displiceat, ipsi praetermissum Bocharto: fateor insuper, difficile conjectu esse, quam ob caussam optimi saporis volucrem, atque ut nobis videri potest, purissimam, impuris accensuerit legislator.

2) Pro *upupa* sunt, LXX, Vulgata, Arabs uterque, graves sane, quis neget, auctores, demtisque dubiis, numero etiam plures. Etymo destitui nomen ita redditum videbatur, nec hic opem ferre Bochartus potuit: sed ferre ausim. Mihi quidem compositum videtur ex דו, Arabice ذو, *praeditus*, *habens*, et Chaldaico כֵּיפָת *ambra*, ut, *praedita ambra* per ironiam dicatur ob stercoreum odorem. Ex qua quidem etymologia melius et ratio reddi potest ת in fine vocis, quod

quod ex consveta fieri nequit. Samaritanam scriptionem plenam רוגפת referre possis ad, רג *praeditus*, et נפת Chald. *pix*, *faeces*: sed Hebraica scriptio praeplaceret.

Quod vero maxime opponi upupae posse videtur, ipse est nefandus ac stercoreus avis adspectu pulcherrimae odor, quem a stercore humano contrahit, ex quo et nidum aedificat, inque eo beate vivit. Hacne, inquias, quisquam vescatur? opusne, leges hoc cibo interdicere, magis quam ipso humano stercore? Hoc quidem me dubium diu ab upupa revocavit, sed jam nullius amplius momenti videtur, comedi enim potest resecto statim capite. Vide *histoire naturelle des Animaux par Mrs. Arnault et Salerne* T. III. (edit. 1756.) p. 690. "*En automne vers le temps des vendages elle devient extrêmement grasse à la campagne, et d'un si bon gout, qu'il y a des chasseurs qui l'estiment au dessus d'une Caille, pourvû qu'on ait l'attention, de lui couper la tête, lorsqu'elle vient d'être tuée, et qu'elle est encore toute chaude; car autrement sa chair, à ce qu'ils pretendent, sentiroit trop le musc. Aldrovande observe aussi, qu'en Italie il a souvent vû des Huppes, qui étoient exposées en vente au marché, et que bien des gens en achetoient, comme faisant cas de cet Oiseau.*"

דום *stare*, *persistere*.

Hoc sensu sine dubio accipitur Jos. X, 12. 13. ipso interprete Habacuco, qui c. III, 11. verbum עמד substituit. Sic Arabibus دام pro دوم *perennavit*, *perseveravit*, *stetit*, *quievit*, una cum derivatis, nec exemplis significationis haec supplementa onero, abunde enim ex Castelli Arabica parte heptaglotti peti possunt. Series quoque orationis ita manifesta, ut praeter Aquilam veterum nemo a vero aberrarit: LXX στήτω, Syrus ܩܘܡ Chald. אוריך, Symmachus παῦσον, Vulg.

 versu

versu 13. *stetit itaque sol*, sed in 12 paulo fortius, *contra Gibeam ne movearis:* Arabs verbo وقف utrobique usus. Solus, ut dixi, Aquila, σιώπα, *sile*, absurdiuscule: nec nego a quiescendo et silentium dici potuisse, sed hic locum non habebat. *Sile sol*, equidem dicere ausim, habeboque obsequiosum sine miraculo; at si *stare* eum jusserim vix obtemperaturum sperem. Monuit alia occasione doctissimus *Everardus Scheidius*, in *dissertatione ad Canticum Hiskiae* p. 15. 16. idem verbum *de sole poni, quando stat in medio coeli culmine* (دوّمت الشمس في كبد السماء) quod ipsum et hujus loci esse arbitror, versu enim 13. *in medio coeli* (בחצי השמים) stetisse solem legimus; non quidem, quasi vere ibi plures per horas steterit, quod si factum, tanto aestu ipsi enecti fuissent victores, sed quod poeta citatus fingat stetisse. (Vide notas ad Josuae librum germanicas.) Etymologica, quae habet vir doctissimus, דמה, דמם, רום idem verbum, ejusque primam vim in *complanando* esse, nondum persvasit: saepe confundi haec verba ob consonantiam potuisse, idemque significasse, quin et saepe vivente lingua confusa esse, ultro largior, sed cum in poetis lego, adfusa frigida aquam bullientem sedari, hic quidem usus nondum argumento est, دوم esse, *complanare*, potuit enim sedatio bullientis aquae et a *quiescendo*, quiescere a *stando* dici. Evolve loca a Castello citata, ad quem supra ablegavi, atque tuo utere judicio.

דְּמִי יָמַיִם *meridies vitae.*

Et in hoc ἅπαξ λεγομένῳ Jes. XXXVIII, 10. eundem Scheidium plane sequor: a sole in summo vertice coeli stante meridies dicitur, vitae autem meridies consveta et nobis phrasi, virilis aetas, circa eundem annum, quo Hiskias peste moriturus videbatur, *tricesimum nonum.* Sed jam et puncta mutanda, ac pro בִּדְמִי scribendum בִּדְמֵי, ut jam Hieronymum

in

in commentario, latinis literis DAME ſcripſiſſe, in bibliotheca orientali p. 124. adpendicis tomi XIV. monui. Pluralis דמי pro more Hebraeorum poſitus, temporis aetatumque nomina ſaepe pluraliter efferentium, ut נעורים, בתולים, זקונים, novoque argumento eſt veritatis interpretationis. Praeiverunt Scheidio, ut ipſe monuit, ex antiquis, Vulgata, *in dimidio dierum meorum*, et Syrus, ܒܦܠܓܘܬ ܝܘܡܝ, ignorato forte etymo Hieronymus, ex ſola aut conjectura, aut Rabbini ſui ſententia. Eodem etiam redit, quod LXX habent, ἐν ὕψει τῶν ἡμερῶν μου, quos רָמֵי legiſſe perquam ſuſpicatur veroſimiliter Hieronymus: quamquam, et דְּמֵי, cum ſol meridie in ſummo coeli eſt, ita verti potuerit. Sed forte illi non ita docti linguaeque periti. Varietatem lectionis Kennicottus nullam habet.

דומיה *ſilentium, quies, perſeverans.*

Nomen aut a דמה ortum, ſignificationem a דום mutuante, aut a maſculino דּוּמִי formae רַגְלִי. *Silentii et quietis* ſignificatio certa, omnibusque locis, excepto Pſ. LXV, 2. apta, nimis enim artificioſae ſunt, quas ibi verbis, *tibi ſilentium laus eſt*, aptant ſententias. Mihi quidem cum دوم inter alia ſit, *perennare, perſeverare*, a ſtando, ut Latinum, *conſtans*, לך דומיה תהלה vertendum videtur, *tibi perennis laus eſt*, i. e. ſemper te noctesque diesque laudant. Hoc in verſione germanica ſequutus ſum.

דּוּמָה Jeſ. XXI, 11. *Duma.*

Nomen tribus Iſmaeliticae in Arabia collato Geneſ. XXV, 14. ſed de qua ignoratione geographiae Arabicae valde olim laborarunt Jeſaiae interpretes, ut vel lectionem mutarent, aliqui, quod deinde Seiritidem legerent, in אדום, alii, Judaei Hieronymi tempore, in רָמָה. Sic quidem ille ad Obadiam p. 1457. editionis Benedictinorum: *Judaei fru-*

frustra somniant, *contra urbem Romam hanc fieri prophetiam*, *et illud quod in Esaia scriptum est ONUS DUMA*, *paululum literarum apice commutato legi posse Res*, *et sonare Romam.* Sed haec omnia expediet geographiae Arabicae notitia, quin et obscuras hucusque voces vaticinii illustrabit.

In manus sume d'Anvillianam Asiae delineationem, sub gradu longitud. 58 latitud. 29½ invenies Dumam urbem in provincia *Alguf* vel, ut scripsit, *Alginf*, (i. e. valle inter montes, quos ipsos et videbis, interposita). Plenius nomen ut Abulfeda in descriptione Arabiae num. 23. habet, دُومة الجندل (*Dumathalgandel*, i. e. Duma saxea) cui gradum long. 65. lat. 31. adsignavit, et de qua haec pauca refert: *locus est Syriae et Arabiae limitaneus*, *a quo Damascum septem*, *et Medinam tredecim stationes.* Thima, quam Jesaias versu 14 ejusdem capitis habet, nec aegre reperies in tabula d'Anvilliana, quatuor abesse stationibus narrat Nubiensis, p. 110. versionis latinae. His multo sunt copiosiora, quae *Gagnier* ad Abulfedae Arabiam p. 52. 53. ex *Jakuti lexico* excerpsit, cujus cum versione latina uti non possim, ipsa adscribo verba Arabica, meamque versionem adjicio: قيل هي
من اعمال المدينة حصن علي سبعة مرحل
وقيل قرية من قري دمشق قيل هي في الغايط
من الارض خمسة فراسخ ومن قبل مغربها عين
تنبع وتسقي ماية من النخل والزروع وحصنها
مارد وسميت دومة الجندل لانها مبنية بها
وهي قرب جبلي طي ودومة من القريات من
وادي القري وعلي دومة سور تتحصن بها وفي
داخل السور حصن منيع يقال له مارد وهو
حصن

حصن الكيدر بن عبد الملك صالحه النبي صلّي الله عليه وسلّم وامنه وكان نصرانيا واجلاه عمر فيمن اجلي من اهل الكتاب الي الحيرة فنزل موضعا قرب عين النمر وبني به منازل وسماه دومة باسم حصينته بوادي القري *Hi dicunt, ditionis esse Medinae, septima inde statione, alii, oppidum ex oppidis Damasci. Sita dicitur in valle tres parasangas* (circiter 2 milliaria germ.) *lata, ab occidente esse scaturiginem, quae riget centum fere palmarum silvulam et sativa. Castellum ejus est Marid. Duma Gandil, i. e. saxi vocatur, quod saxo aedificata est. In vicinia duo montes Tai et oppidum* (vel vicus) *Vadilcora. Muro munita est, intraque murum castellum habet inexpugnabile,* (vel difficile expugnatu) *vocatum Marid,* (inexpugnale) *quod olim fuit Caidari, filii Abdulmalci, amici prophetae benedicti* (Muhammedis), *cui securitatem concesserat: erat autem Caidar christianus. At cum aliis scripturae addictis* (Christianis, Judaeisve) *solum eum vertere, Hirtamque abire coëgit Omar, ubi sedem fixit ad locum dictum, fons palmae, exstruxitque aedificia, quibus ex nomine castelli sui antiqui in Vadilcora Duma nomen indidit.* Vide et de eodem oppido *Niebuhrii descriptionem Arabiae* p. 344. cujus haec excerpo: *pertinet ad provinciam Neged* (نجد) *estque situm in montano tractu* الجوف السرحان (valle Sirchan, nempe in valle, ut audivimus, montani tractus,) *inter montem Schemer et Syriam.* Et haec statim intelliges, inspecta tabula d'Anvilliana, in qua et montem Schemer videbis, ad cujus nomen in hoc ipso Jesaiae versu alluditur, nisi forte, שומר ipsum montis nomen est. Sed de hoc vide sub שומר dicenda.

דין *judicare.*

Notissimum cum derivatis verbum, sed de quo, antequam ad dubitabilius דון pergam pauca monenda.

Primo propriam ejus vim esse in *reddendo quod debitum erat*, seu, ut ipse habet, *in rependendo*, ex Arabismo jam docuit Albertus Schultensius, in notis ad Hamasam, p. 320. ubi Alphend, poëta, دِنَّاهُم كَمَا دَانُوا *par pari illis reddidimus*. Hoc ipsum tamen, *reddere par*, sitne a *pendendo* dictum, an a *mensurando* ac *remetiendo*, nondum mihi liquet, nec valde laboro. Est quidem, ut ad eum ipsum locum Hamazae (nostrae chrestomathiae p. 42.) monuit Tabrizius, proverbiale Arabibus, كَمَا تَدِين تُدَان quod forte melius verteris, *qua mensura tu admetiris, tibi admensurabitur.* Simili proverbio usus Jesus Matth. VII, 1. ἐν ᾧ κρίματι κρίνετε κριθήσεσθε, καὶ ᾧ ἂν μέτρῳ μετρεῖτε ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν, haec ipsa ambigua verba كَمَا تَدِين تُدَان bis eloquens, 1) *ut tu judicas judicaberis* 2) *qua mensura tu admetiris, eadem tibi admensurabitur.* Ex hac propria significatione explicandus videtur locus Genes. XLIX, 16. *Dan remetietur populo suo, ut ulla tribus Israelis*, i. e. paria cum illis faciet fortitudine ac victoriis, nec ab ulla tribu superabitur. Certe judicandi significatio loco vix apta: quid enim hoc, *judicabit populum suum ut una tribuum Israelis?* Judicem aliquando dabit? Id vero dicendum fuisset, ישפט, nec memoratu aut praedictu dignum, tribum daturam aliquando judicem. Simsonem, heroa, id magnum, at judicem, nimis mediocre. Denique redundat, *ut una tribuum Israelis*, nec enim omnes tribus suo ordine judices dederunt populo, sed haec, illa, ut sors obtulerat.

Alterum, quod non modo indicandum, sed et reprehendendum duco, est, quod lexicographi recentiores prope omnes *judicandi* verbum

bum ad radicem דון (med. rad. Vau) retulerunt, cum potius ſit דין mediae radicalis Jod. Nec equidem nego, verba mediae rad. Vau et Jod quieſcentis ſaepe ſuas et formas et ſignificationes permutare, quod et in hoc ipſo ſi non verbo, tamen in derivatis accidit: at debebat verbum, quale eſt ex regula, in lexicis poni. Arabia quidem *judicandi* ſignificatum ſub دين (דין) habet; Aramaei, verba quodammodo conſonantia, magis, quam reliqui Orientales, confundentes, ſub ܕܢ i. e. דון: Hebraica lingua hic, ut plerumque, Arabicae propior, verbum enim conſtanter, duobus modo locis exceptis Geneſ. VI, 3. 2 Sam. XIX, 10. de quibus deinde dicam, per Jod ſcribunt, ut concordantias Buxtorfii inſpicienti liquebit. Solum nomen מדון, מְדִין, *lis, contentio*, ambiguae ſcriptionis, pleriſque exemplis ad Vau vergentibus.

Ergo teneamus, דין, eſſe, *judicare*, de ſequente דון, ubi quidem verbum eſt, dubitemus, nec tamen ei protenus eam, quam ſine dubio apud Syros habet, ſignificationem *judicandi*, negantes.

דון Geneſ. VI, 3. 2 Sam. XIX, 10.

Non niſi bis occurrere verbum per Vau ſcriptum in Hebraicis vixdum dixi. Priore quidem loco, Geneſ. VI, 3. ſatis filo orationis apte verti ſolet, *arguere*, – – *non arguet ſpiritus meus homines*. Verba ipſa adſcribo, ut ſtatim in promtu ſint. לֹא יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם. Ipſe ita in bibliis germanicis verti. Fateor tamen eſſe, quod dubitari magnopere poſſit: primo quidem, quod futurum Kal nuſpiam alibi per Vau ſcribitur ſed ſemper, יָדִין; deinde quod דון *judicare* quidem eſt, nuſpiam autem praeter hunc locum, *arguendi*, i. e. *reprehendendi* et *admonendi*, ſignificatione ponitur: denique, quod nuſpiam cum ב objecti conſtruitur.

Et vero quod magis etiam nos, conſvetae explicationi fidos, ad dubitationem inclinare, aut ſi ita loqui auſim, labefactare poſſit, magno

gno ſane conſenſu veterum plerique, nec a ſtirpe cognati, non modo plane intellexerunt aliter, ſed fere in unum lexicis ignotum ſignificatum, conſenſerunt, qui unde ſit, explorandum vel illorum non ſequaci. Ad verum forte deducet Arabicum دون, quod primo, *inferius*, deinde et *vile*, *contemtum*, *et ſequius*, ſignificat, ita quidem, ut easdem ſignificationes et verbis دَنَأَ ac دَنَا pro دنو impertiatur, unde *mundum inferiorem*, coelo oppoſitum, *vitamque hanc in illo actam*, دُنْيَا adpellant.

Jam ergo veteres audiamus, quotquot judicandi ac litigandi ſignificatum refugiunt. LXX. οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις, Syrus, ܠܐ ܢܥܡܪ ܪܘܚܝ *non habitabit ſpiritus meus*, et, nulla cum his cognatione conjunctus, Saadias, لا تَتَحَلَّ *non diverſabitur*, vel, *habitabit ſpiritus meus*. Eodem et referunt Onkeloſum, qui vertit, *non ſtabilietur haec mala generatio coram me*, forte paraphraſtice, ex, *non habitabit ſpiritus meus vitalis in hominibus*. Mirus conſenſus; ac prope certum olim habebam, hos omnes legiſſe, ידור, habitabit, conjiciebant alii ילון (vide Houbigantium, ſed conjecturam non probantem): jam plane abdico, poſtquam vidi, in nullo codicum Kennicottianorum ſive ידור ſive ילון inventum. Aliqui apud Abenezram Judaei volebant, דון eſſe, *in corpore habitare*, *a* נדן *vagina*, 1 Paral. XXI, 27. *unde corpus*, *quod tanquam vagina ſit animae* נִדְנֶה *vocetur*, *Dan. VII*, 15. veri illi diſſimillime.

Forte hi omnes, דון interpretati ſunt, *deſcendere coelitus*, *verſari in terra*, *habitare in humano corpore*: LXX quidem, concubitu angelorum cum filiabus hominum natos gigantas rati, hac ſententia, *ſpiritus meus*, *animae caeleſtis originis*, *angeli*, *non in humano corpore habitabunt*, *ergo totum hoc genus*, *ex hominibus angelisque mixtum*, *internecione delebo*.

Expo-

Expono, quid illi fenfiffe videantur, ego vero, fi דון hic idem eft, quod Arabicum دون, aliter ope Arabismi uterer, fignificatumque, *vilis fuit*, *contemtus fuit*, Hebraico verbo tribuerem, *non contemnetur fpiritus meus inter homines in perpetuum*, hac totius commatis fententia: *non feram, ut fpiritus meus, per prophetas admonens homines, ab his in perpetuum contemnatur: puniam! mortales funt! omnes poft centum et viginti annos interibunt.* Haec jam interpretatio verifimilior confveta, quam in bibliis germanicis fequutus fum, videri incipit.

De altero etiam loco, 2 Sam. XIX, 10. quaeri poffe video, fitne vel ibi דון a דין fejungendum atque eadem Arabica fignificatione accipiendum, ita quidem, ut ad *humiliationem poenitentiam*que tranfeat: *omnis autem jam populus humiliatus erat.* Nec tamen aeque mihi verifimile, ut prius.

De varia lectione utriusque ירון et נרון, vide fub רון.

דָּן *Dan*, nomen proprium.

Non a judicando folum, fed et ab audiendo nomen accepiffe Danem, auctor eft Mofes Genef. XXX, 6. Nempe, ut in aliis nominibus propriis, Jofephi, Zebulonis, &c. ad duo verba alluditur, דון *judicare*, aliudque denominativum ab אוּדְנָא et إِذْنا *auris*, אדן audire. Non habent quidem lexica Chaldaica et Syriaca, videturque Aramaeae periiffe, fed fupereft in Arabica lingua, أَذَّن, quod illi quidem Arabum, quorum adpellatio ad Aramaeam inclinatior, *Addana* efferunt. Meminerimus, Rachelae, quae nomen indidit, linguam vernaculam fuiffe Aramaeam.

דוץ Job. XLI, 13.

Ἅπαξ λεγόμενον jam *exfultare* jam *laetari* vertunt lexicographi et commentatores, utrumque et linguis fororiis firmantibus, ut cum

et exſultare et laetari loco Jobi perquam aptum, difficilis ſit optio. Nempe,

1) ܕܨ sine dubio, *exſilire*, ut Luc. I, 41. 44. pro ἐσκίρτησε poſitum, unde et fluvius Edeſſam perluens, qui Graecis Σκίρτος Syris ܕܝܨܢ dicitur. Haec quidem mihi ipſa imaginis pulcritudine praeferenda in loco Jobi videtur ſignificatio: *ante ipſum exſultat ſolicitudo.*

2) Iisdem Syris et pro gaudio ponitur. Jeſ. LI, 3. Hebraicum שׂשׂון Syrus ܕܝܨܐ reddidit, inque ipſo Jobi loco Syriacum ܬܕܘܨ Arabs تفرح *laetatur.* Arabibus quoque دواص pro ديص *alacris hilarisque fuit.* Hunc ſignificatum, ex Chaldaismo ut puto ſumtum, praetulit Kimchius, unde factum, ut in Reuchlini lexicon reciperetur. Minus tamen placet, eſtque meis auribus moleſte acutum, *laetatur ſolicitudo.*

Non bene expreſſerunt, audaci figura neglecta, forte quod ſignificationem ἅπαξ λεγομένου ignorantes conjicerent potius quam verterent, LXX τρέχει, et Vulg. *praecedit.*

דור *in orbem circumiit, rotundus fuit, aetatem egit.*

Verbi in Hebraico codice non niſi ſemel, atque ut denominativi, Pſ. LXXXIV, 11. occurrentis, primam ac late patentem in reliquis linguis Orientalibus ſignificationem perſpectam habere, vel ob derivata Hebraica inde orta neceſſe eſt. Arabibus quidem دور ſine dubio eſt, *in orbem ire, circumagi,* unde et *rotunditatem* dicunt, et دَوْر *gyrum, orbem, circum,* دائرة *circulum.* Hinc multis omiſſis, quae nihil ad meum finem, linguam Hebraicam, ut, *vertigine,* aliisque,

1) دوّارة explicante Golio, *tentoriorum orbicularis vicus, quales ſcenitae habitare ſolent.* Nempe in orbem Nomades tentoria ponunt,

nunt, intraque illum cogunt greges ut ab incursationibus ferarum tutiores sint. Vide et Shawii praefat. p. 8. *a collection of Tents, pitched usually in a Circle, is called, a Douwar*, et Hoestii descriptionem Maroccae p. 128. nomen masculine دوار scribentis, atque ejusmodi vicos portatiles vel ducentis constare tentoriis narrantis. Eodem modo et Syriacum ܕܝܪܐ intelligendum, ubi pro Hebraicis חצרות et נוה, Graecoque ἔπαυλις ponitur, Genes. XXV, 16. Ps. X, 8. 2 Sam. VII, 8. Ps. LXV, 13. Act. I, 20.

2) Hoc cum antiquissimum genus habitationis fuisset, quo et Arabum progenitores et Hebraeorum usi, latius etiam nomina a דור derivata pro omni habitatione ponuntur, ut دار *domus*, ܕܘܪܐ *habitatio*, ܡܕܝܪܐ *aedificium* (chrest. p. 68. lin. 12.). Quin et دير atque ܕܝܪܐ peculiariter, *monasterium*, unde et alia nomina, *monachorum*, &c. fluxerunt.

3) Ab *orbe* etiam *tempus*, *aetas* dici potuit, quod quidem in verbo cognato دهر (p. 402. 404.) frequentius, unde دهر tempus, sed et ex nostra radice illuc referendum داران *ambae aetates*, i. e. *haec et futura vita*, item الدار الآخرة *vita futura* Sur. II, 88. quin et الدار (plane ut الدهر) simpliciter pro *aeternitate*, *futuroque seculo* ponitur, ut Sur. XIII, 22. عقبى الدار *praemium aeternitatis*, et v. 25. سوء الدار *poena aeternitatis*.

4) Nec omittendum ديرة *collis arenarum*, quod forte ex nominibus propriis geographicis דור habentibus, aliqua illuc referenda. Verbum דור in Hebraicis non nisi semel occurrit, Ps. LXXXIV, 11. ubi veteres unanimiter *habitare* vertunt, (harmonice etiam Chaldaeus מְדַר) ut denominativum a דור *habitatione*. Solus Lutherus, suo ille

 duce

duce feliciſſimo ingenio, atque ignorans, quam verteret erudite, *diu habitare (lange wohnen)* vertit; nempe quod in praecedente membro unum diem in atrio dei actum millenis aliis meliorem legeret. Auſim ſane in ἅπαξ λεγομένῳ, eum ſequi, ut ſit *perennare, aetatem agere:* ſic denominativum erit a ſequente דור *vitae tempus*, Arabicoque, quod num. 3. attigi دار.

דור *habitatio, familia, generatio, ſeculum.*

Variae ſignificationis nomen, ſed ex his quae de verbo diximus facile expediendum. Generatim quidem *orbem, circulum* ſignificat; ſicque licet diverſa conſtructione Jeſ. XXIX, 3. verterunt, Syrus, ܐܝܟ ܚܘܕܪܐ Vulg. *ſphaeram*, eodemque referenda Chaldaica verſio, *ponam circa te caſtra.* Nec quidem his adſentior, ſed, *pyram* interpretantibus: adnotandum tamen cenſui, ut conſtet lectoribus, generalem ex etymo ductam ſignificationem his, qui ante XVII ſecula vivebant, non ignotam fuiſſe. Sed jam ad eas pergo ſignificationes ſpeciales, quarum exempla habemus:

1) *habitatio*, ut Arabicum دار Syriacumque ܕܝܪܐ. Sic quidem, et vero ex prima ſignificatione, quae in tentoriis Nomadum propria fuit, ponitur Jeſ. XXXVIII, 12. דורי נסע ונגלה מני כאהל רעי *habitatio mea* (i. e. corpus, in quo animus habitat,) *evellitur* (tentorii inſtar cujus pali in terram defixi) *et retegitur a me, ut tentorium paſtorum.* Confer ad phraſin 2 Cor. V, 2. 3. 4. Peſſime hic, qui דור *aetatem, periodum annorum* interpretati ſunt, cui nec evellendi nec retegendi verbum convenit, nec quod ſequitur, *ut tugurium paſtoris.* Mera linguarum cognatarum ignorantia hujus inficetae interpretationis magiſtra.

2) Hinc *familia*, γενεά, dicta, ſeu, ut vertere ſolent, generatio, quod jam alii monuerunt, ut Pſ. XXIV, 6. זה דור דרשיו

haec

haec est familia quaerentium ipsum, cui in sequente membro respondet יעקב *Jacobus*, i. e. veri *Israelitae:* Ps. LXXIII, 15. דור בניך *familia filiorum tuorum* Ps. XIV, 5. דור צדיק *familia justorum*. Hac tamen significatione multis in locis accipi nomen ab interpretibus lexicographisque video, quibus quarta potius apta, ut et in Graeco γενεὰ, quod pro דור plerumque LXX posuerunt, errari solet.

3) *temporis longior orbis, seculum*, ut Arabicum قَرْن et دَهْر. Sic quidem satis late poni potest, non semper certo definito annorum numero, ut vel Latini secula non centum modo, sed et triginta annorum habuerunt: proprie tamen de *seculo centum annorum* sumi videtur Genes. XV, 16. collato versu 13. ubi expresse numerantur ארבע מאות שנה *quadringenti anni:* in quo ab interpretibus plerisque, ac lexicographis, qui hunc locum attigerunt, omnibus, dissentiens, ea sumo, quae in biblioth. Or. T. XII. n. 192. copiosius disputavi 1) non 215, sed plenos 430 annos Jacobum ejusque posteros in Aegypto habitasse Exod. XII, 40. 2) nec quatuor modo sed multo plures generationes a Jacobo ad Mosen fuisse.

דור דורים *seculum seculorum*, proprie erit, *seculum non annos sed majores temporis orbes complexum*, seculum aliquod Platonicum eove majus: improprie modo et figurate de aeternitate ponitur, cui fere omnes gentes a magno temporis orbe nomen duxerunt. Ipsum latinum, *aeternus*, et Germanicum, *ewig*, est ab, *aevum*. Utrum autem finito an infinito de aevo accipiatur, ex reipsa et serie orationis arbitrandum.

4) Hinc et est tempus, quo iidem homines vivunt, *aetas*, *generatio* sensu, quo historici tres fere generationes uni dare seculo solent, *Menschenalter*, nisi quod, quo tempore longaeviores ho-

 mines,

mines, etiam generationes plurium fuerunt annorum, ut ab Adamo ad diluvium, computatis adeo Noachi filiis, non nisi undecim, cum ex nostro modo *quinquaginta* futurae fuissent. Haec quidem usitatissima vocabuli significatio, unde et factum, ut graeci plerumque γενεὰν vertant. Insignior hic locus Genes. VI, 9. indicandus, interpretibus non intellectus: *Noachus*, תמים היה בדורותיו *sine labe fuit in generationibus suis*. Nempe et generationes ante diluvium et post diluvium, atque adeo utriusque orbis plures, vivendo aequavit, omnique illo tempore, etiam perditissimo ante diluvium, sine labe fuit.

5) *Pyra*, a rotunditate dicta, qua de significatione nihil monere opus duco, nisi, huc quoque me referre Jes. XXIX, 3. et forte, si pro דָּוִד ex conjectura legere placeat, דור, versum 1. (vide enim biblioth. Or. T. XIV. adpend. p. 86–89.) ac si quid de constructione dicendum, id servare verbo חנה.

דור *murus*, vel, *muro circumdatum*. Jes. XLV, 2.

Non certam sententiam de הדורים Jes. XLV, 2. dico, vide enim et infra radicem הדר, sed rationem reddo, cur Chaldaeus שׁוּרַיָּא *muros* reddiderit. Non ille quidem, ut censet S. R. Koppius, שׁורים legisse, (quae vox ne quidem Hebraica est, שׁורות enim pluraliter terminatione feminina dicitur) sed aliis modo vocalibus הַדּוּרִים extulisse mihi videtur, He pro praefixo habens. דורים vel muri esse possint, a circulo et circumdando dicti, vel loca muro circumdata. Sic et Chaldaicum בבקעת דורא Dan. III, 1. adnotante jam Hieronymo, *LXX transtulerunt* περιβόλου, *quod* (sic pergit) *nos vivarium, vel conclusum locum dicere possemus.* Julius Pollux l. I. §. 10. *diis sacrata loca sunt, nemora, luci, et sacra septa*, καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος, περίβολος.

דורא

דורא *Dura.* Dan. III, 1.

Hoc quod vixdum attigi nomen, proprium potius eſt, ut et reliquis viſum interpretibus. Urbem Dura non procul ab eo loco, ubi Julianus mortuus, memorat Ammianus Marcellinus l. XXV. c. 6. (pag. 346. editionis Erneſti Lipſ. 1773.) *cumque his Kalendis Juliis, ſtadiis XXX confectis, civitatem nomine Dura adventaremus.* In d'Anvillii tabula Tigridis et Euphratis invenies ad Tigrim ſub gradu latit. 34½, haud procul a Tecrit: ibidemque in tabula itineris Niebuhriana (quadrageſima quinta tomi ſecundi) *Dör.* Quae Thalmudici in tr. Sanhedrim habent de valle Dura, מנהר אשל עד רבה בקעת דורא, *a fluvio Eſchel Rabbam usque eſt planities Dura*, Buxtorfius jam attulit p. 520: illuſtrare ex geographia nequeo, enoto tamen, quod forte alii lucem adfundent.

דוש *calcare, triturare.*

Nota in vulgus etiam triturandi ſignificatio, atque quod haec a conculcando orta ſit, quod bobus et plauſtris ſuper ſtrata frumenti actis tritura fieret. Unum liceat citare hac de re ſcriptorem primarium, *Hermannum Chriſtianum Paulſen vom Ackerbau der Morgenländer* §. 40–42. Adde de equis triturae adhibitis, quae ſcripſi in juris Moſaici T. III. p. 336–338. Oppoſita eſſe, דוש, et חבט *baculo vel flagello grana excutere*, ex Jeſ. XXVIII, 27. diſces.

Caeterum latiore ac generali *calcandi, conculcandi* ſignificatione reliquae habent linguae Orientales, Arabes ſub دَاسَ pro دوس e. g. Pſ. LV, (LIV) 3. κατεπάτησάν με دَاسُونِي (ita tamen ut et ſpecialiorem triturandi non ignorent, unde دَايِس *area, in qua trituratur*, ut 2 Sam. XXII, 43. أَدُوسُهُمْ كَمَا تُدَاسُ آلزَّرْعُ *proculcabo eos ut calcatur frumentum*) Syri ܕܫ, e. g. Apoc. XI, 2. τὴν πόλιν

πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι, ܠܡܕܝܢܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܢܕܘܫܘܢ, cap. XIX, 15. *πατεῖ τὴν ληνὸν*, ܢܕܘܫ ܡܥܨܪܬܐ. — — Sic et, quod jam alii monuerunt, Hebraeis quoque aliquando latius fumitur, ut Job. XXXIX, 15. ambigua alicubi, et ex interpretatione reliquae orationis pendente verfione. Sic Jef. XXV, 10. fi in fequentibus plauftrorum, ut aliqui volunt, mentio fit, הִדּוּשׁ fine dubio erit, *ut triturantur*, fin fcrobis aquae plenae in qua limus calcatur, *ut calcantur*: veteribus etiam diffidentibus, LXX latius *καταπατηθήσεται* habentibus, exque illis vetere Latina, *conculcabitur*, contra, *trituratur*, Symmacho et Vulgato, Syro autem, Chaldaeo, Arabe, ipfo linguae beneficio ambiguis.

דִּישֹׁן *animal purum, ignotum.*

Non nifi femel דִּישֹׁן vel דִּישׁוֹן (varia enim in codicibus fcriptio) Deut. XIV, 5. inter animalia pura, et filum quidem orationis fi fequaris, fera occurrit: de quo nihil omnino certi aut fatis verifimilis habeo, ut confultius ducerem, in verfione germanica nomen Hebraicum retinere. Nempe in *ἅπαξ λεγομένῳ* ufus nos linguarum orientalium deftituit, folam offerens etymologiam, fed ita multiplicem, a דּוּשׁ *calcare*, *triturare*, דָּשֵׁן *pinguis fuit*, et דֶּשֶׁן *cinere*, ut jam prope multo incertiores quam veneramus, redeamus. Diffident et veteres, de quibus vide quaeftionem 85. Arabiam juffu ac fumtibus regis Daniae adituris propofitam.

Copiofe de animali egit Bochartus, P. I. l. III. c. 20. fed a quo ipfo incertus receffi. Sequitur LXX. *πύγαργον*, *pygargum* vertentes, exque tribus derivationibus ultimam fumit, a *cinere*, quod fera fit, fpecie cervi, maculas in natibus albas cinereasve habens. Neutiquam contradixerim, foli tamen LXX, eosque fequens Vulgata, in fera nobis ignota non magnae auctoritatis teftes, Aegyptus enim, in qua vixe-

runt

runt Graeci interpretes, ferarum ita inops, ut harum nomina Hebraica vix ex usu linguae comperta habere potuerint. Nec multum profecerimus, si vel constet, recte eos vertisse: ipse enim pygargus veterum nobis ignotus, quamque animalis delineationem Scheuchzerus dedit, vereor ne soli debeatur ingenio.

Pygargum veterum, ut jam monuit in notis ad Scheuchzerum *Samuel Gottlob Donatus*, vir eruditissimus, (Auszug aus Scheuchzers Physica sacra T. III. p. 396.) gazellae speciem Aegyptiam interpretatus est Buffon, quam et sibi probari sententiam ostendit, nec nego, mihi quoque verisimilem videri. Sic jam et alios, ac vero graves ejusdem animalis indices habebimus, Syrum, et Chaldaeos, ܪܺܝܡܐ, רִימָא, רימן vertentes, quod in Oriente gazellarum etiam nomen esse, non semper beluae indomitae, infra videbimus. Forte ergo jam propius ad verum accessimus, et quod illi laudi cedit, Donato duce.

Arabs uterque اروي vertit, quod quidem Golio est genus *caprae montanae, quae rarissime ex montibus exit venitque in conspectum* (p. 82.) Descripsit animal hoc nomine, sed cum L articuli (الاروي) *Lerwee* scripto, Shawius p. 170. itinerarii, (versionis germanicae 151) mirum, quod de nostro loco plane non cogitavit, cujus ei pagina sequente sub *lidmee* in mentem veniebat.

Aliquid forte momenti facere hic possit versio Samaritanorum Arabica. Ipsa Samaritana habet רעיץ, nomen ejusdem cum nostro etymi, רעץ enim Samaritano Deut. XXXI, 20. pinguis fuit. Videri ergo possit, idem animal esse, nomenque cum Chaldaico ריצא idem, (lingua enim Samaritana ע et י permutat): quodnam autem animal רעיץ et ריץ sint, ne suspicari quidem licet, sed forte ex versione Samaritano-Arabica colligetur. Quare amicum Oxoniensem, qui saepe mihi lucem suo lumine accendit, clarissimum Fordium, publice et-

iam rogare liceat, ut consultis codicibus nos edoceat, Arabesne etiam illi أروي, an aliud nomen habeant.

דחח *impulit, trusit in cervice.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jerem. XXIII, 12. יִדַּחוּ quod ob tonum in penultima et Patach adcuratiores ex lexicographis non ad דחה sed ad דחח referunt. Habent Arabes, دحّ *impulit, trusitque a cervice.*

דֹּחַן Ezech. IV, 9.

Vide de ἅπαξ λεγομένῳ, quod *milium* interpretantur, Celsium T. I. p. 453. Mallet *panicum* interpretari.

דחף *impulit.*

Sola ex linguis Orientalibus habet Chaldaica, eadem *impellendi* significatione. In solis cum verbum legatur libris post exsilium scriptis, Paralipomenorum, (2 Par. XXVI, 20.) et Estherae, videri posset ex Chaldaica adscititium, nisi nomen מדחפות in psalmo CXL, 12. occurreret, et vero nulla lectionis varietate. Arabes quidem eandem impellendi (دفع) significationem sub دحب habent, quod ipsum nostrum esse videtur literis ב et פ permutatis.

דחק *impulit, maxime a latere.* Judic. II, 18. Joel. II, 8.

Mirum, in voce tam manifesta errare potuisse, altero semper exscribente alterum, lexicographos: quam enim habent *premendi* et *arctandi* significationem, ex usu certe linguarum orientalium non petitam, ea in priore loco paraphrastice vera est, at posteriori, de denso locustarum agmine recto itinere pergente, inepta. Sumserunt, ut videtur ex Luthero, qui in Judicum libro ad sensum satis bene, *drängen*, verterat, certe Coccejus concinentem citat Belgicam versionem, *dringen:* at altero in loco idem, egregie iterum ad sensum, *keiner wird*

wird den andern irren, ex quo tamen nemo ſumſit, דחק eſſe, *erra re fecit*.

Manifeſta, ut jam dixi ſignificatio. Habent verbum, Chaldaei et Syri, *repellendi*, *expellendi*, *ejiciendi* ſignificatione: Arabibus quoque دحق *repulit*, *abegit*, in VII. *excidit*, indeque quadriliterum دَحْقَبَ *vehementi impulſu truſit in tergo*. Vides, generatim eandem impellendi et trudendi vim et huic verbo eſſe, quae aliis inde a pagina 434 a דח incipientibus, niſi quod forte ſpecialius determinatur. Loco Joelis illa eximie apta, ita quidem ut proprie ſit, *a latere impellere*: recta omnes linea eunt, nemo alterum impellit, euntemque impedit. Judic. II, 18. eſt quidem proprie, *trudere*, *tundere* aliquem, cumque לחץ *premere* compoſitum: gravis vexationis imago inde petita, cum aliquem arcte jam preſſum, impellimus lateribus et trudimus. Optime Arabs, مزعجين quod eſt, *commovere*, *quaſſare*, *loco exturbare*.

Jam et quid reliqui veterum habeant, videamus: LXX quidem Jud. II. ἐκθλίβοντες, ad ſententiam ſatis bene, Vulgata in Joele, *coarctabit*, male et loco inepte, ſed forte hinc in lexica receptum, eadem in Judicum libro, *de caede vaſtantium*, quam ſignificationem plane verbum non habet. LXX in Joele vertentes, καὶ ἕκαστος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ οὐκ ἀφέξεται non noſtrum verbum interpretati videntur, ſed per Reſch ſcriptum ירחקון, in duobus codicibus Kennicotto repertum.

Jam quem haec relegentem, non ſubibit mirari, quatuor jam verba a דח incipientia, in *impellendi* et *trudendi* ſignificationem conſentire, דחח, דחף, דחב (دحب) דחק, quibus ſua ſponte quintum notiſſimum דחה (Ar. دحا) addet? Sed magis etiam mirabitur, Arabicum lexicon evolvens, inque eo et ſextum دحم ac

ſeptimum octavumve verbum, نحم et نخم eadem ſignificatione inveniens. Nec tamen cui verbo eam neget, reperiet. Ergo nonne ſuſpicemur, ante has, quas novimus, linguas Orientales ſororias radicibus triliteras, aliquam fuiſſe antiquiorem, ſive matrem ſororum, ſive barbaram ex qua multum transtulerint fecerintque ſuum, non dicam omnino biliteram, ſed tamen et biliteras radices habentem, quibus deinde, alicubi forte cum aliqua ſignificationis variatione tertia ſit addita a gente triliteris adſveta, aut adſveſcente?

דְּיוֹ *atramentum* Jerem. XXXVI, 18.

Nullum mihi eſt dubium, quin recte a lexicographis *atramentum* vertatur, cum Chaldaicum דְּיוּתָא Syriacumque ܕܝܘܬܐ, quibus et hic vocabulis uterque uſus eſt interpres, ſine dubio atramentum ſignificet, (2 Cor. III, 3. 2 Joh. 12. 3 Joh. 13. ܒܕܝܘܬܐ et ܥܡ ܕܝܘܬܐ pro ἐν μέλανι et διὰ μέλανος) et Arabibus *atramentarium* ſit دواة. Nomen a nigro colore ductum veriſimillime putatur: veriſimillime inquam, nec enim ipſam nigri coloris notionem ſub hac radice prodiderunt, multoque minus certis exemplis confirmarunt Arabum Syrorumque lexicographi, at transparere per nomina inde derivata videtur, ut ܕܝܘܐ *malus daemon*, quem nigrum fingere ſibi horrens ſuperſtitio ſolet. Quod autem Bochartus habet in ſuo Canaane p. 758. lin. 44. de *DU* lingua Britannorum *nigrum* ſonante, morbis magni viri adnumerandum, ubique in omnibus linguis Phoenicias reperientis origines, nec dignum, quod a multo prudentiore Caſtello in lexico repeteretur. Caeterum ſuſpicor, puncta male poſita, reſcribendumque, דְּיוֹ, ut ſit forma feminina apocopata, plane Aramaea. Sed de hoc in grammatica.

Vix opus hac diſputatione fuiſſet, niſi Venema in commentario in Jeremiam atramenti ſignificationem abrogatum iiſſet, nodum in ſcir-

po

po quaerens. *Quid, inquit, sibi vult atramenti mentio? Quid huc facit materia scriptionis? ac quare tunc instrumentum quoque non additur?* Ergo בְּדַיּוֹ legi jubet, idque cum expeditissime verti posset, *scripsi tantummodo, nihilque amplius feci*, perquam coacte et insolenter, *ad vacuitatem, capacitatem, vel exigentiam libri:* nempe derivabat a די, quod notare somniabat, *cavitatem tinnientem.* Hae cui placere possunt micrologiae et conjecturae audaces etymologicae! Quod si ad די referre velis, efferrem potius, בְּדַיּוֹ, *scripsi librum, quantus quantus est.* Sed plane non video cur puncta atramentum offerentia sint repudianda: sententiae, inquit Baruchus, et verba, dictantis Jeremiae, nihil meum, praeter chartam et atramentum.

דִיבוֹן, et דִימוֹן, *Dibon, Dimon, urbs et rivulus.*

De Dibone, urbe ante Mosen Moabitarum, ex ejus tempore Israelitarum transjordanensium, Num. XXXII, 3. 34. Jos. XIII, 9. 17. sed quae Jesaiae tempore iterum, ut plures aliae, Moabitis cesserat, Jes. XV, 2. 9. Jerem. XLVIII, 18. 22. ideo dicendum arbitror, quod Relandus p. 735. Palaestinae non solum interrogantibus non satisfacit, sed et Hieronymi in nominis etymo sequutus errorem est.

Eusebio est, non *vicus*, ut excerpsit Relandus, sed, *vicus valde magnus ad Arnonem*, (κώμη παμμεγέθης παρὰ τὸν Ἀρνωνάν). Certum ex Hieronymo ad Jes. XV, 9. etiam Dimonam vocitatam fuisse, ut, ibi דימון scribitur: *ne quis*, inquit, *scriptoris vitium putet, et errorem emendare dum vult, faciat, una urbs et per M et per B scribitur: e quibus DIMON silentium interpretatur, DIBON fluens. Indito utroque nomine propter latices qui tacite fluant, usque hodie indifferenter et* Dimon *et* Dibon *hoc oppidulum dicitur.* Certe ei credo, Palaestinae per multos annos incolae, utroque modo DIMON et DIBON nomen adpellatum fuisse, verum id non ex duplici, quod com-

miniſcitur, etymo, ſed ex more Arabum B ſaepe ut M efferentium, e. g. *Mecca* pro Becca. Vide grammaticam Arabicam §. 19. p. 90. Quam antea דיבון vocaverat propheta, eam jam v. 9. דימון, paronomaſiae ſtudio, cumque alluſione ad דם paulo poſt ſequens.

Caeterum ex eodem verſu (Jeſ. XV, 9. *dabo Dimoni augmenta*,) conſequi videtur, ut et rivulum urbs cognominem habuerit, Arnoni juxta illam mixtum, qui ſanguine tumeſcere dicatur.

Syrus quod fere ubique ܪܝܒܘܢ per Reſch habet, editoris, Gabrielis Sionitae, imputandum videtur negligentiae, non ad varietatem lectionis textus Hebraici referendum: nec quidem negem alicubi et Hebraeos librarios in nomine deſcribendo aberraſſe, cum videam aliquos codices Graecos Jeſ. XV, 9. Ῥεμμῶν habere. Eſt tamen manifeſtum potius ſphalma, quam lectionis varietas, cum Hieronymi aetate *Dimon* et *Dibon*, utrumque per D, nomen urbis in lingua vernacula fuerit.

Onkelos מַלְבְּשְׁתָּא vertit Num. XXXII, 3. 34. quod nomen in Buxtorfii lexico omiſſum. Onkeloſi tempore uſitatius videtur fuiſſe, enotoque quod ejus forte ope ſitus urbis inveſtigari poterit.

דיפת *Difath* 1 Paral. I, 6.

Ex varia lectione libri chronicorum, pro ריפת quod in Geneſi per R omnes unanimiter habent codices Hebraici et Samaritani: quamquam et in chronicis per Reſch ſcribunt XXII aut XXIV codices Kennicottiani, editio pulcherrima Stephani anni 1543, verſionesque graeca et latina. Colonia eſt Cimmeriorum, Moſe antiquior, ſed quae? id ignorare malim, quam cum Bocharto fingere. Vide Spicilegium T. I. p. 64–67.

דוק cum derivatis, דָּיֵק *murus quo urbs ab obsidentibus includitur*, et forte דוק.

Verbum דוק in Hebraicis non occurrit, derivatis autem inde nominibus hae sunt ex linguis sororiis significationes excerpendae:

1) Arabibus in quarta أداق est, *circumdedit, cinxit*, unde et مَدَاق *circus, pugnae locus*. In prima conjugatione quod lexica habent, *demens fuit*, et nomen دَايِق *stultus*, forte ad vertiginem referenda.

2) Aramaeis magno consensu est, *speculari, ex alto prospicere*, indeque generatim, *adcuratius observare*. Vide Buxtorfii lexicon Chaldaicum, Schaafii Syriacum, et Samaritanum interpretem Genes. XVIII, 16. XXVI, 8. Exod. XIV, 24. Num. XXI, 20. XXIII, 28. Deut. XXVI, 15. pro Hebraico נשקף ponentem.

Fuerintne hae significationes olim inter דוק et דיק divisae? an speculari dictum sit a circumeundo? definire non ausim. Aliae, quas in lexicis reperies, ab aliis radicibus adscititiae, ut, *comminuendi*, a דקק, Arabica *fastidiendi*, a ذوق *gustasse*.

Jam ab hac radice habemus nomen דָּיֵק sexies obvium 2 Reg. XXV, 1. Jerem. LII, 4. Ezech. IV, 2. XVII, 17. XXI, 27. (al. 22.) XXVI, 8., semper in oppugnandis urbibus, quater cum סוללה, aggere, qui ab oppugnantibus ad urbem ducitur, conjunctum, et vero, quod maxime notari velim, in singulari. Ergo *turres* repudiandae, quae alioquin a speculando dici potuissent, et quarum multus olim in oppugnandis urbibus usus fuit. Habet illas quidem, vocabulo adeo harmonico ܕܘܩܐ Syrus, Ezech. XVII. XXI. XXVI. Ephraemus ad Ezech. IV. ܡܟܡܢܐ explicaturus, (*sunt*, inquit, *exstructiones altae, ut turres, in quibus stant oppugnatores, videntque eos qui in muro*

muro stant, quin et ea, quae in ipsa urbe sunt, plateas et domos) et lexicographorum aliqui, ipse adeo Castellus.

Mihi quidem ex orationis serie, etymoque, certum, *murum esse quo obsidentes urbem obsessosque circumvallabant: circonvallation, Circumvallations-Linie*, recentiores dixerunt, verum hi vallo usi, veteres muro, unde et Ezechiel semper *aedificandi* verbo (בנה) de דיק utitur, cui alterum opponit de aggere positum, fundendi. Nempe muro eminus includebantur obsessi, contra eruptiones, ab hoc ad urbem vallum humo adgesta (סוללה) ad ipsa urbis moenia oblique ducebatur.

Praeiverunt sic sentientibus, ex quibus maxime Lutherum laudo, LXX in libro Regum *περίτειχος* habentes, Chaldaei, ubique כַּרְקוֹם habentes, id vero est, ut jam monuit Buxtorfius, *χαράκωμα*, Syrusque, 2 Reg. 25. Jerem. 52. Ezech. 4. ܡܟܡܘܢܐ ponens, vocabulum ex Chaldaico aliqua literarum mutatione ortum. Eodem et redire putem, quod in Jeremia LXX habent, *περιῳκοδόμησεν αὐτὴν τετραπέδοις λίθοις κύκλῳ circumcirca lapidibus quadrupedalibus circumdedit:* itemque eorum in Ezechiele c. 4. et 26. *προμαχῶνας*, (quamquam possit et de turribus accipi) Vulgatamque Ezech. 4. *constructione vallorum.* Josephus, Hebraicum דיק 1 Macc. VI, 20. redditurus, Ant. XII, 9, 3. *vallum* habet, *χώματα ἐγείρας.*

Addo adhuc veterum, quas habemus, interpretationes: Aquilae enim, Symmachi et Theodotionis nobis perierunt: Vulgata prope ubique latissimo usa vocabulo *munitiones* vertit: Βελοστάσεις LXX. Ezech. 17. et 21. incertum, utrum *turres*, an ipsum *murum* intelligentes, in quo et tormenta disposita: Arabs in Ezechiele plerumque مَجَانِيق *machinas, tormenta*, inque Jeremia, *cinxit illam vallo, et aedificavit contra illam* مجانيق.

Caeterum

Caeterum idem nomen et 1 Macc. VI, 20. 51. in Hebraico libro lectum fuit, eadem ab interpretibus varietate, طيبرن turres, *βελοστασίας* redditum. Vide notas ad h. l.

1 Macc. XVI, 15. castellum aliquod, *Δωκ*, memoratur, quod דוק scribendum videtur, *turris?* an *locus muro circumdatus, munitus?* Sed incerta lectio: vide notas versioni germanicae adjectas.

דַּכָּא *pulvis* Ps. XC, 3.

دَكَّاءُ Arabibus, *pulvis*, a comminuendo dictus, e. g. Sur. XVIII, 98. de muro Alexandri Magni, quem contra Gogum et Magogum exstruxit, *cum autem venerit tempus a domino meo praedictum* (nempe quo Gog et Magog orbem terrarum inundabit) جعله دَكَّاءَ *faciet illum pulverem.* Vide Marraccium. Hinc lucem accipit Ps. XC, 3. *reverti facis mortales* עַד דַּכָּא *ad pulverem, dicisque*, revertimini, i. e. *iterum estote, quod fuistis, filii Adami.* Eximie dictum, maxime, si cogites, Adami nomen terrigenam significare. Vide similes phrases Ps. CIV, 29. CXLVI, 4.

דֳּכִי Ps. XCIII, 3.

Ἅπαξ λεγόμενον obscurius, de quo valde dissentiunt interpretes. Conjicere si velis, *sonum* inter *murmurque* labentium fluminum, et *fluctus* ambigere possis: etymon si quaeras, vicerint sine dubio *fluctus*, nempe *tundentes se invicem* ac tanquam *colluctantes*, ab Arab. دكا pro دكو *tundere, trudere*, unde in VI. تداكوا *truserunt compresseruntque se invicem.* Quinque codices Kenn. דוכים vel דוכיים habent, sed id eodem redit, nam et דוך est *tundere* Num. XI, 8. Arabibusque in VI. *colluctari*, unde et دوكة *pugna.* Etymo quantum fieri poterat, sed cum perspicuitatis jactura, servato LXX. *ἐπιτρίψεις αὐτῶν*

 unde

unde Arabs تَكْسِيرُهَا *fractionem suam*, cujus vocabuli non intellecti spiritualem interpretationem dedit Theodoretus, τρίβους, *semitas*, intelligi, nempe apostolorum. Equidem *allisos*, *collisos*, *spumantes fluctus* in animo habuisse graecum interpretem crediderim.

Ex conjecturane, sed infelice, Aquila, βάθη? an ex aliqua non minus infelice Rabbinorum traditione? Certe similia ad h. l. habet Raschi: כל לשון דכא לשון עומק ושפלות, i. e. *Dacca* (quasi vero דכא hic legeretur!) *ubique significationem profunditatis et humilitatis habet*. Conjecturale, quod Vulgata habet, et Hieronymus: *voces*. Suae linguae, ז in ד mutantis, confusione cum Hebraica Aramaei interpretes verterunt, Syrus quidem, *in puritate*, (ܒܕܟܝܘܬܐ) Chaldaeus, Chaldaicum דְּכוּתָא, *merces*, *meritum*, conferens, *acceperunt flumina* אֲגַר שִׁבְחֵיהוֹן *mercedem hymnorum suorum.*

Dixi sententiam, ut potui optime, sed mihi nondum satisfacio: lectionis varietatem sperabam, duas habente voce literas in quibus facilis error, ד et כ, sed nullam inveni.

דלל cum derivatis.

Arabibus دَلَّ est, limis i. e. obliquis oculis intueri, quod deinde ad fastidium, amorem, superbiam transferunt. Hebraici quoque verbi propriam vim in oculis esse, locus Jes. XXXVIII, 14. clamat, דַּלּוּ עֵינַי לַמָּרוֹם. Nempe hujus obliquati oculi est

1) *summum desiderium*, expetit rem desideratam. Sic quidem hoc ipso loco accipitur, *ad coelum elevati seu potius obliquati oculi mei opem tuam implorant.* Forte melius germanice exprimere imaginem possim: *meine Augen schielen um Hülfe bittend in die Höhe.* Spectant sursum, ac vix spectare audent oculi auxilium implorantes. In rei summa concinunt, LXX. ἐξέλιπον οἱ ὀφθαλμοί μου τοῦ βλέ-

πειν

πειν εἰς τὸ ὕψος, Chaldaeus, זָקְפִית עֵינַי, et Syrus ܐܪܝܡܬ ܥܝܢܝ *sustuli oculos meos.*

2) Ab hoc obliquato et timide petente oculo *pauper* דַּל dictus, nec semper is, quem nos pauperem diceremus, mendicus, sed et qui aliquid valde desiderat eoque opus habet. Insignis locus, nec de quovis paupere intelligendus, sed, ut equidem puto, de Davide, quem ultra Jordanem profugum Barzillaeus aliique boni cives cum exercitu sustentarunt, vota ipsius occupantes, Ps. XLI, 1. אשרי משכיל אל דל *beatus, qui attendit ad desiderantem*, ad petentem tanquam oculum. Nempe ipse oculus aliquid monstrat, indicat quo opus habeat pauper, quid cupiat, unde et دَلّ *monstravit, indicavit*. Vide et Job. XXXI, 16. ubi posterius membrum, *oculos viduae consumi desiderio sinebam*, prius illustrat, *cohibebam a* דל, *quod cupiebat.*

3) a דל, *paupere*, verbum denominativum, דלל *pauper fuit*, quod quidem ut notissimum pene praetermisissem. Ad alia etiam, e. g. torrentes fluviosque aquae inopes, transferri, dudum alii monuerunt. Jes. XIX, 6. Job. XXVIII, 4.

4) *Furtivus amantium oculus, oblique intuens.* Arabibus دَلّ *cum gravem vultum simulans furtim quis adspicit, ut facere amantes solent*, qualis intuitus دَلّ dicitur, indeque دَلَّال *cynaedus, infamis libidine.* Ita poni nomen דַּל manifestum 2 Sam. XIII, 4. *quo furtim mane oculos deflectis?* Amnoni, sororem amanti dictum.

דל Ps. CXLI, 3. *janua?* an, *cupiditas?*

דל שפתי exponunt fere *ostium labiorum*, ac si idem esset cum דלת, praeiveruntque, fateor, ex veteribus, LXX *θύραν περιοχῆς*, et Vulgata, *ostium circumstantiae.* Non nego filo orationis egregie

 aptam

aptam significationem, unde et eam in versione germanica secutus sum: sed quomodo דל et דלת cognata esse queant, idemque significare, non adsequor, ת enim in דלת radicale est, non, generis feminini. Ergo sapientiores existimo, qui דל in vertendo plane omiserunt, Syrum, ejusque adseclam Arabem Maroniticum, et Lutherum. Suspecta jam res visa Coccejo, qui quas ex Rabbinis et Chaldaeo conjecturas attulit, non repeto.

Ut mihi quidem nunc videtur, ori labiisque custodiam adponi optat David, non, ne inconsiderate loquantur, sed ne impias malorum gustent cupedias, collato versu 4 et 5. Licueritne ergo, aliam tentanti conjecturam, דל referre, nec ad דלת, nec ad דלה quod alios habere lexicographos video, sed ad praecedens דלל significatione 1 et 2, ac *cupiditatem* vertere *labiorum?* — — *adpono custodiam* (נִצְּרָה mutatis punctis) *cupidini labiorum meorum?* Nihil definio.

דלף *stillavit, contabuit.*

Stillandi significationem, quam verbum apud Syros Chaldaeosque habet, ipsosque adeo Arabes, (Cohel. X, 18.) nemo quidem Hebraico abnegaverit, Job. XVI, 20. Proverb. XIX, 13. XXVII, 15. Cohel. X, 18. legens; nec negavit Antonius Driessenius in *specimine observationum* p. 46. idem tamen verbis Ps. CXIX, 28. דלפה נפשי מני עני *stillat* i. e. lacrimas fundit *anima mea dolore*, aliam, ut mihi videtur perquam coactam et languentem invenit interpretationem, *incurvus lente incedo prae dolore, proprie, scissione pedis*, collato Arabico دلف *lente, et contracto gradu incessit.* Hanc quidem, quis non solo etiam gustu repudiet? multo expeditior ac pulcrior consveta. — — Quod si aliam desideres, verte potius, *absumta est, contabuit anima mea dolore:* nempe a stillando et lentam tabem dicere Orientales solent, Chaldaeisque דלף aliquando est absumi. Sed consveta explicatio praeplacet.

דלק

דלק *arsit*,

Ardendi et accendendi significatum, quem lingua Hebraica cum Chaldaica, Syriaca, Samaritana communem habet, nemo in dubium vocaverit: suspectum tamen videri possit, quod alium apud Arabes ذلق habet, *eduxit e vagina gladium* &c. De solo quidem gladio et cuspide si occurreret, posses ad Hebraicam et Aramaeam ardendi significationem revocare, *micuit*, *scintillavit*, *fulminavit* gladius, e vagina eductus, ut Latini *coruscare ensem*, vel *hastam*, dicunt. At cum omnino sit, latissimo verbi significatu, excidere, malim, ذلق Arabum ortum esse ex ذلق quod et *mobilitatis* et *acuminati* vim habet; verbi דלק *arsit*, usum Arabibus plane intercidisse.

Persequendi significatio quibusdam in locis ita ex ipsa serie orationis manifesta, ut non recentiores modo eam unanimiter verbo דלק decreverint, sed et praeiverint veteres, ut, Genes. XXXI, 36. LXX. Chald. Syr. Samarit. Arabs uterque, — 1 Sam. XVII, 53. Symmachus, Vulg. Chald. Syr. Ar. – – Thren. IV, 19. Vulg. Syr. et paulo liberius Arabs كمنوا *insidiantur*. Hic quidem volunt lexicographorum et interpretum plerique, acrem persecutionem a fervore et ardore dictam esse, ut verbis Vulgatae ex Genes. XXXI, 36. petitis eloquar, *exardescere post aliquem*: mihi tamen, cum nihil ejusmodi constructionis in reliquis linguis orientalibus observaverim, paulo verisimilius דלק in his vim Arabici ذلق et ذلق adsciscere, *mobilis*, *agilis fuit*, *valde festinavit*, unde et انذلق in VII. *praevertit alium*.

Ps. X, 2. בְּגַאֲוַת רָשָׁע יִדְלַק עָנִי locum non bene tuetur ardendi significatio, quam LXX. Aqu. Symm. Vulg. Syrus habent, *superbia injusti comburitur miser*: ergo potius illis accesserim recentiorum, qui persequendi notionem praeferunt, *injustus*, *superbe persequitur miseros*, quamquam mallem בגאותו legere, quam בגאות in statu constructo.

ſtructo. Quid tamen, cum نلق in paſſivis conjugationibus ſit, *ejici, expelli*, ſi aliis punctis יִדָּלֵק inſtructum exponas, *ſuperbiente injuſto expellitur miſer* vel *oppreſſus?* Hoc quidem in verſione germanica ſequutus ſum, *der Ungerechte iſt ſtoltz, und der Arme wird vertrieben.*

De Pſ. VII, 14. vix quidquam certi ſtatuere datur, cum ne conſtet quidem quo caſu, adcuſativo an dativo, לְדֹלְקִים accipiendum ſit. Prius malunt plerique recentiorum, *tela ſua facit ardentia*, id eſt, ſive ardente materia praecincta incendiumque ſpargentia, ſive, ardente veneno infecta: ſed poſſis aeque bene, *facit agilia*, *celerrime evolantia.* At veteres prope omnes in dativo: ſic quidem malim cum Chaldaeo, *ſagittas ſuas parat perſequentibus* innocentem, quam cum reliquis, *ardentibus.* N. L.

Liceat de varietate lectionis Graecae Thren. IV, 19. verbum addere. Aliqui codices, *ἐπὶ τῶν ὀρέων ἐξέπτησαν*, *in montibus evolarunt* (perſequentes me) plane expreſſo agilitatis et celeritatis etymo: alii *ἐξήφθησαν accenſi ſunt*, obſcuro ſenſu, ſed praeplacuit recentioribus, quod *agilitatis* notionem ignorarent.

דֶּלֶת *janua.*

Sola ex linguis Orientalibus Hebraica habet, non Arabica, Syriaca, Samaritana, ac ne quidem Chaldaica, (quae enim in Caſtelli lexico ſub Chal. leguntur, non Chaldaica ſunt, ſed Thalmudica, et vero purioris Hebraismi). Hinc cum jam Phoenices literae quartae Orientalium nomen duxerint, quod et ab illis ad Graecos levi mutatione tranſiit, (Δελτα pro Δελθα) conſequens eſt, ut hoc nomen cum ſola Phoenicum lingua commune habuerit Hebraica: quale quid et de Vau infra obſervabimus. Feminini nominis genus (Ezech. XLI,

24.

24. Proverb. XXVI, 14.) non eſt a ת in quod deſinit, hoc enim, ut flexio docet, radicale, ſed a plurali femininae terminationis, דְּלָתוֹת.

דָּם *ſanguis.*

Plane in Simonis eo ſententiam, eſſe pro אֲדָם ut et aliquando Chaldaei Syrique ſcribant, Poenique olim, teſte Hieronymo ad Pſ. 136. ſanguinem *Edom* dixerint, a rubore. Addo linguae Samaritanae, דם et אדם habentis, auctoritatem: grammaticumque monitum, Hebraeos in hoc vocabulo facere, quod Syri in nominibus frequentioris uſus, א prim. rad. jam occultantes, jam abjicientes. Vide grammaticam Syriacam §. XXIII. pag. 59. 60. XXIV. p. 62.

דָּמָה *ſimilis fuit, exſcidit vulneravit.*

Sub his literis cum duas concurrere videam diverſiſſimas ſignificationes, quae difficulter in unam cogi poſſunt, ſuſpicari incipio, a duabus ortas radicibus.

1) Vera et propria verbi דמה ſignificatio, *ſimilis fuit*, quae et apud Syros obtinet. Ab hac ubi cogitationes dici Hebraeis audies, ut Jeſ. X, 7. alibique; memor eſto, ideas noſtras tanquam imagines rerum eſſe, quas animo concipimus. Ipſi Germani ſimillima phraſi, ſed non aeque late patente, dicimus, *ſich einbilden*, a, *Bild*, imagine.

2) At ubi exſcindendi notionem habet, denominativum arbitror a praecedente דם, proprie, *ſanguinem effundere*, ſed deinceps latius ſumto verbo. Sic quidem a דם Arabes faciunt, دمي *ſanguinem emiſit*, in 2 دَمَّي *vulneravit.*

נדמיתי Jeſ. VI, 5. ad hanc radicem non referendum, ſed ad דמם ut plerique veterum verterunt נדמתי legentes. Vide biblioth. Or. T. X. p. 218. 219. XIV. p. 115. XVIII. p. 78.

דמין

דִּמְיוֹן *similitudo.*

Ἅπαξ λεγόμενον Ps. XVII, 10. cujus solam illustro constructionem, דִּמְיֹנוֹ כְּאַרְיֵה *similitudo ejus est, ut leonis*, pro, *similis est leoni.* Plane Arabica vel centies in Corano obvia, مَثَلُهُمْ كَمَثَلِ الَّذِي *similitudo eorum est ut similitudo ejus qui* &c.

דמם *siluit.*

Silentii notio lexicographis notissima, fluxisse videtur ab *obturando:* Arabibus دَمَّ, *terra foramen suum opplevit mus*, ut proprie sit, *os obturare*, aut si malis a *conglutinando* quod ipsum hoc verbum cum derivatis Arabiae significat. Primam vim verbi Arabici volunt esse, *complanare*, *aequare*: quod et mihi ob sequens דממה verisimile, certiora tamen adferri argumenta velim.

Tribuere et *exscindendi* vim verbo solent, nec audacter negaverim, cum et a silentio dici possit internecio, (vide infra צמת) et in lexicis Arabum, licet exemplo significationis non addito, sub دَمَّ inveniam, *vulneravit in capite*, *contrivit perdiditque alios:* nec tamen satis certa vel ex Hebraismo adferri exempla video, 1 Sam. II, 9. ex solis punctis pendet, quae si יִדְּמוּ facias, ad radicem דמה pertinebit: quin et ipsum בַּחֹשֶׁךְ יִדָּמּוּ optime vertere possis, *in tenebris obmutescent*, silentium, si lubeat, mortis intelligens, sed tamen propria et hic sonantiore, tenebrisque conjunctiore, silentii servata significatione. Sic quidem Syrus, Vulgata, Arabs. – – Jerem. VIII, 14. plane non video, cur non de tristi silentio accipi possit, ut Chald. Syr. Vulg. praeiverunt: quamquam hic quidem locus est, in quo, si silentium displiceat, ex prima obturandi et includendi significatione egregie accipi possit: *quid sedetis? ingrediamur in urbes et includamur, quoniam inclusit*

inclusit nos (moenibus urbium) *Jehova.* – – Jerem. XLVIII, 2. iterum mutatis punctis, (תִּדְּמִי) radicem דמה habebis.

Quibusdam in locis verbum דמם occurrere puto, ubi librariorum punctatorumve culpa disparuit: ut Jes. VI, 5. ubi cum 28 codicibus, quinque editionibus, interpretibusque antiquis LXX. Symmacho et Syro, lego נִדְמֵּתִי *sileo*, *hos inter superorum hymnos mutus sum;* (vide biblioth. Or. T. X. p. 218. 219. XVIII, 78.) itemque Jes. XV, 1. נִדְמָּה *sileamus*, *alto somno sopiti.* Vide bibl. Or. T. XIV. p. 155.

Caeterum hic ipse me locus Jes. VI, 5. admonet, de graeco κατάνυξις et κατανύσσεσθαι dicere, quod LXX cum hic, tum Levit. X, 3. Jes. XLVII, 5. Pf. IV, 5. XXIX, 15. XXXIV, 19. pro דמם ejusque derivatis reponunt, nullam nec *pungendi*, nec ejus quam ecclesia dicit *compunctionis*, nec de qua alii cogitarunt *iracundiae* notionem דמם habente. Nempe, ut jam alii viderunt, altum illis soporem, attonitum etiam et ex mentis deliquio ortum, κατάνυξις significabat, quam somnolentiam pro tristi aliquando silentio posuerunt, ut in verbis silentii soporisque aliis, נאלם et נרדם, quorum exempla ex Trommii concord. conquires. Nec vero, ut voluerunt alii, νεύειν dormitare, et νύσσειν pungere, confudisse mihi videntur, sed potius phrasin plane Orientalem suo intulisse Graecismo. Alto sopore oculos gravante et vel invitis claudente, Arabes fingunt, eum oculos tanquam acu consuere: vide phrasin chrestom. Ar. p. 66. *consuit ei oculos punctio somni.* Jam κατάνυξις, cum somnus palpebras consuit, oculosque claudit.

דְּמָמָה *lenis aurae sibilus*, 1 Reg. XIX, 12. Pf. CVII, 29. Job. IV, 16.

Nil hic novi dico, praeceptam dudum a Coccejo repetens sententiam: at cum videam recentiores eo lexicographos, et vero etiam

 bonos,

bonos, *ſilentii* notionem iterum verbo commodaſſe, ratio reddenda videtur, cur illa locum habere nequeat. Primo, quae phraſis, *vox ſilentii*, 1 Reg. XIX, 12? Deinde nec pſalmo 107. *ſilentium*, *Windſtille*, aptum, nihil enim nautis terribilius quam poſt procellam omnino ventos conticeſcere, quod graviorem procellam praeſagit, at דממה quid vati ſit, optime Virgilii verbis dixerim:

aequatae ſpirant aurae.

De Jobi loco vide verſionem germanicam.

LXX. ubique egregie, αὖρα, verterunt.

מַדְמֵנָה ، דֹּמֶן

דֹּמֶן Pſ. LXXXIII, 11. 2 Reg. IX, 37. quin ſtercus ſit, quo agri ſtercorantur, lectis locis, conſultoque lexico Arabico ſub دمن, *ſtercoris* et *ſtercorandi* ſignificationem habente, nemo dubitabit. Hinc cum ortum ſit מַדְמֵנָה Jeſ. XXV, 10. quid magis in promtu, quam, *ſimetum* vertere, ut praeeunte Kimchio fecerunt lexicographi. Videtur enim ſeries orationis non renuere, *ut calcatur ſtramen in ſimeto*. Et ſunt tamen, quae nos a verſione lexicographis quantum memini omnibus recepta avocare poſſunt,

1) ipſa imaginis inſignis ac prope intolerabilis turpitudo. Deum hoſtes conculcantem, quis quaeſo comparet homini viliſſimo, ſimetum calcanti, ut ſtercori bene miſceatur ſtramen? quamquam ne homines quidem id facere ſolent, ſed calcanda jumentis ſimeta relinquunt.

2) Quod veterum nemo de ſimeto cogitavit aut ſomniavit.

3) Si Kethib ſequaris במי, *ut ſtramen calcatur in aqua* . . . ., genitivus, *ſimeti*, plane ſequi non poteſt: nec enim in aqua calcant cum ſtramine ſimum, ſed aquam, quantum poſſunt, ſimeto arcent.

Ut

Ut illos omittam, qui pro nomine urbis proprio habuerunt, Jerem. XLVIII, 2. cujus aquas paleis subigendis, lateribusque faciendis reliquis aquis adcommodatiores habitas fuisse, putat Houbigantius, receptae quippe explicationis dedecus refugiens, deque solis dicam veteribus,

1) LXX, Vulgata, Arabs, Syrus, Hieronymus, *plaustra* verterunt, quibus in area (מתבן) frumentum teratur, quem et Asiae Africaeque morem in notis Hieronymus exponit.

Egregie vero, modo ulla arte ex מרמנה *plaustrum* elici posset, quod quidem cum duce philologia fieri nequeat, suspicati sunt, aliter LXX. legisse, ut מרכבה, sed quod recte damnat Clericus, monens, non de plaustro triturantium poni, sed de curru, quo vehimur: ipse quidem, מעגלה, sed et hoc nimis a מרמנה abest, quam ut alterum ex altero lapsu consistere librariorum potuerit. Mihi si conjiciendi imponeretur officium, מֹרַגָּה adferrem: ut autem plane fatear, non aliter legisse, sed ipsi de significatu obscuri nobis vocabuli, aut plus scivisse, aut conjecisse videntur; nulla certe in codicibus Hebraicis hucusque varietas lectionis reperta. Quid? si putarunt plaustra a רמן *festuca* dici, quod stramen comminuant, festucamque faciant.

2) *Lutum* vertunt, Symmachus, ὡς πηλὸν, Chaldaeus בטינא, a quo Raschi טיט sumsit. Et hoc ad seriem orationis perquam aptum. Lutum cum stramine calcatur ad tegulas efficiendas, (non nostras, quae igne, sed australium terrarum, quae sole torrentur:) adfunditur et inter calcandum aqua, unde Cethib במי מרמנה, egregie aptum. Sed uno destituimur etymo, nisi forte, ut lutum Hebraei alias pro coeno ponunt, (טיט) ita hic vicissim lutum a coeno ipsoque adeo stercore nomen accepisse dicas.

Res perquam dubia, donec aliquid novae lucis adfulgeat, posterius tamen praetulerim, ac forte alio etiam etymo ex linguis orientalibus succurri possit. دِمْن non solum stercus est, sed et aliae quisquiliae, maxime, *festucae a flumine delatae.* Quid ergo, si מדמנה *scrobem* intelligamus, in qua stramen comminutum (תֶּבֶן) cum aqua calcatur, limoque miscetur? Habebimus sane minus foede olentem imaginem. Hoc quidem in versione germanica sequutus sum, adsurrecturus promte, si quis adlato orientalium linguarum nominis דמן usu, alia, nec foedi odoris, doceat.

דמש *latibulum:* vide pag. 454.

דמשק Genes. XV, 2. Amos III, 12. *diligentissimus, velum lecti?*

De ipsa Damasco, nobilissima Syriae urbe, non hic dicendum, nisi forte somnia etymologica veterum attingi velint lectores; sed id, si factu opus, post alia fiat magis necessaria, ante omnia de duobus locis difficillimis dicendum.

Primus est Genes. XV, 2. הוא דמשק אליעזר, in quo mirum, magnos doctissimosque interpretes ingenti consensu de nomine urbis proprio cogitare, verbaque vertere potuisse, *hic Damascenus Eliezer.* Quod ut efficiant, alii בן alii איש ante דמשק subintelligunt, quas ellipses exemplis probantibus destitui, suo loco monuimus. Quidni ergo legamus uno minutulo Jod addito דמשקי? Sic quidem olim conjiciebam: verum ita nullus omnino codex, nec Judaicus nec Samaritanus, exque abrupta LXX. senum versione, οὗτος Δαμασκὸς Ἐλιέζερ, cui Vulg. et Samaritanus concinunt, certum, hos omnes sine Jod legisse. Sed plus dicere ausim: hanc si lectionem, aut איש דמשק vel בן דמשק codices non unus sed plures haberent, ob solum repudianda lectio manifestum sententiae errorem esset.

Non

Non viderunt interpretes, ipſeque ejusdem culpae particeps olim non vidi, Eliezerum omnino eſſe non poſſe Damaſcenam. *Natus domi Abrahami, verna*, vocatur, בן ביתי v. 3. jam cum ante paucos (decem circiter) annos ex Meſopotamia egreſſus eſſet Abrahamus, neceſſe eſt, vernam ejus in Meſopotamia natum eſſe, certe non Damaſci, quam ad urbem ſedem Abrahamus nunquam habuerat. Damaſcus ergo prorſus repudianda interpreti, nomenque adpellative accipiendum.

Arabibus تمشّق eſt, *rem deproperare*, forte compoſitum ex مشق *deproperavit*, (cui משק in hoc ipſo verſu infra conferam) et تمش *aeſtuare*, aut, ſi malis, تمص *properare*, ipſa compoſitione vim verbi in majus augente. Hinc jam דמשק erit, *diligentiſſimus* ex ſervis, reliquos diligentia omnes vincens: verbaque בן משק ביתי הוא דמשק אליעזר vertenda; *filius diligentis vernae mei, diligentiſſimus Eliezer*, ſervus patre quem amo progenitus, omniumque ſervorum maxime frugi, ſc. heres meus erit. Ex his et verſionem meam germanicam ſic corrigi velim: *ohne Kinder gehe ich aus der Welt, und der Sohn meines fleiſſigſten Knechts, dieſer überfleiſſige Eliezer* . . . . ſubticet, quod acerbum dictu, ſed ex ſerie orationis liquet, *heres omnium erit*.

Amos III, 12. quid ſit דמשק ערש nemo hucusque interpretum aliqua veri ſpecie expedivit. Habent quidem lexicographi ex Kimchio tralatitiam *anguli* ſignificationem, ſed haec mera eſt ejus aliorumque Judaeorum conjectura, ex praecedentis membri פְּאַת מִטָּה ducta, quaſi vero certum eſſet, plane idem utroque in membro dici! nullo uſu linguarum orientalium, ac ne etymologia quidem, firmata, veteribus, qui tam conjicere audacter nondum adſveverant, plane ignota. Hi quidem, quantumvis coacte, et plerumque uno alteroque verbo

neglecto, *Damascum*, urbem intelligunt: LXX. οἱ κατοικοῦντες ἐν Σαμαρείᾳ κατέναντι φυλῆς (מִטָּה), καὶ ἐν Δαμασκῷ Ἱερεῖς, (ערש quoque pro nomine proprio habentes): — — Vulgata, *in Damasci grabato*, quod quid sibi velit ignoramus; grabatum Samaritani operis et artificii si intellexit Hieronymus, a grammaticis legibus aberravit, inverso enim orationis ordine בערש דמשק dicendum fuisset: — — Chaldaeus, *in Damasco confidunt*, lectum positum pro fiducia putans: — — Syrus, *baculo repentino et populo Damasci* (ܒܫܒܛܐ ܕܡܚܐ ܘܒܥܡܐ ܕܕܪܡܣܘܩ) Nihil in his lucidi.

Sana si lectio, aliquid in lecto, velum forte quo obductum est, ab urbe in qua conficiebatur, ut multa apud nos artificia textrinae, nomen accepit. In ornatu quidem mulierum Jes. III, 22. دَمَشْقُ in Arabica versione occurrit, redditurque in latina, nescio quo jure, *velum:* cum Graecis quibus, ex quibus Jesaias Arabice redditus est, hic versus comparari nequit, omnia ejus, nescio quo casu, alia habentibus; Hebraicis si conferas, Arabico دمشق respondebunt מטפחות, quae quidem vela majora ac crassiora toti corpori circumposita intelligo. Possit ergo et velum lecti eodem ab urbe nomine vocitatum esse. Est tamen anceps conjectura atque incerta, in perpetua enim artificiorum migratione speratu audax, idem, quod Arabici interpretis tempore Damascenum vocabatur, tot ante Christum seculis, Amoso vivente, eadem ab urbe nomen habuisse.

Lectionem mihi suspectam videri, in bibliotheca Orientali T. XVIII. p. 77. professus sum; omnia enim expedita, si demto Kuph דְמֶשׁ legas, id vero erit *latibulum* coll. دمس *occultavit*, egregieque sibi invicem respondebunt, prioris membri, פאת מטה *angulus lecti*, et nostri, דמש ערש *latibulum spondae*. Hanc quidem conjecturam

ctûram unus firmavit codex Kennicotti, num. 93. ſeculo XIII. attributus: cui ſi plures acceſſerint, vera me conjeciſſe ſperare auſim.

דַּמֶּשֶׂק *Damaſcus.*

Arabes nomen urbis celeberrimae ſine Dageſch دِمَشْق (*Demäſchk*), ſcribunt, vide Abulfedae Syriam p. 50. ubi ſcriptionis omnium literarum et punctorum legem invenies, Syri inſerto Reſch, ܕܰܪܡܣܘܩ: hanc quidem Syriacam orthographiam libri chronicorum ſequi ſolent, ut 1 Paral. XVIII, 5. 6. דַּרְמֶשֶׂק: incerto, utrum Hebraei, maſorethaeve, in reliquis ſacrae ſcripturae libris R. eliſum per Dages compenſarint, דַּמֶּשֶׂק? an pro Dageſch forti Syri R poſuerint, ut ܟܘܪܣܝܐ pro כִּסֵּא?

In etymologia nominis ludi a fabularum conditoribus, fingentibus, in vicinia Damaſci Habelem occiſum eſſe, indeque nomen urbi ductum a דם *ſanguine* quem terra שקה *biberit*, (quamquam in Hebraicis per שׂ nomen ſcribitur,) ex geographis ſatis notum. Ipſe quidem de etymo diſputare nolim, quis enim ejus ſine luce hiſtoriae rationem reddere probabilem poſſit, multis ſe etymologiis ultro offerentibus, ac ne ſcriptione quidem certa? Sic, ut exemplo utar, ſi quis urbem dictam velit a دمشق *deproperavit*, quod feſtinanter condita, alius a conditore aliquo Meſchek, דר משך *habitatio Meſeci*, tertius cum Simonis, ab ארם *rubuit*, et סמק *rubuit*, quod terra Damaſci, ex qua creatum dicunt Adamum, rubeat: quis quaeſo hos inter arbiter eſſe velit, nec illos, una cum munere judicis valde contemnat?

De veterum tamen ſomniis aliquid dicendum. Duplex inter etymon ludebant, a דם ſanguis, ac שַׂק *ſaccus*, et, a דם *ſanguis* ac נשק, *oſculatus eſt*. Vide Philonem in libro, *quis rerum divinarum heres*, T. I. Mangeyanae editionis, p. 480. 481. ubi דמשק αἷμα σάκκου

ſangui-

sanguinem sacci interpretatur, sacci nomine corpus intelligens, atque haec ad Platonicas doctrinas transferens, sanguinem animam esse, aliam sensitivam aliam rationalem: sed et *osculi*, (φιλήματος) mentionem faciens. Hieronymus ad Ezech. XXVII, 18. (pag. 887. tomi III.) post interpretationem literalem haec subjungit: *sin autem Damascus interpretatur*, sanguinem bibens, *et Hebraeorum vera traditio est, campum in quo interfectus est Abel a parricida Cain, fuisse in Damasco, unde et locus hoc insignitus vocabulo sit, juste et Paulus post interfectionem Stephani primi in Christo martyris, perrexit Damascum.* — — Et paulo post: *illud autem, quod Damascus interpretatur sanguis* sanguis cilicii, *et* sanguis osculi, *praesenti non convenit loco. Frequenter enim Hebraea nomina pro diversitate accentuum* (sic vocat diversam literae ש adpellationem in שַׂק, כְּשַׂק et שָׁקָה) *et mutatione literarum vocaliumque, vel maxime quae apud illos habent proprietates suas, varie interpretantur.*

דונג *cera* Ps. XXII, 15. LXVIII, 8. XCVII, 5. Mich. I, 4.

Cerae significationem, quam omnes his locis habent antiqui, exque illis recentiores, neutiquam in dubium vocans, id unum adnoto, reliquis linguis orientalibus plane nomen ignotum esse, indeque fieri, ut ubique aliis in eo reddendo nominibus cerae utantur, Chaldaeus שעוא et שעותא, Syrus ܫܥܘܐ, Arabs شَمْعٌ. Ac ne etymon quidem suppetit, quod enim aliqui attulerunt, دنج Arabibus esse, *plicare*, audacissimae est conjecturae, nullo hucusque exemplo probatum. Sed quid non in etymis comminiscendis ausi philologi! hic quoque, quis putasset? eo desperationis potius processuros quam honeste fassuros ignorantiam? literis transpositis, et ע cum ג contra ingenium linguae permutato, غدن *flexibilis fuit*, ex Arabico lexico arripientes, et inde דונג facientes. (Vide Simonis lex.) Ergo sciamus,

mus, de etymo nihil nos ſcire, forte et ſuſpicemur vocabulum exoticum eſſe.

רעה *vocavit.*

Proverb. XXIV, 14. in plerisque editionibus רְעֶה legitur, quod imperativum רע cum He paragogico eſſe volunt: male ut puto; He enim paragogicum Kamets amat, et quae de eo in Segol quieſcente traduntur, incertis nituntur exemplis. Hoc ergo ſi velis, רְעָה legendum erit. At in bibliis Joh. Henr. Michaelis adnotatum, non paucos per Tſere habere, רְעֵה, ſic erit imperativus a רעה, quod Arabibus (دعا pro دعو) eſt, *vocavit*, *adpellavit*, *advocavit;* e. g. Judic. I, 17. ودعوا اسمها حرام *vocārunt nomen ejus Haram*, et verba כן רְעֵה חכמה לנפשך vertenda, *talem voca tibi ſapientiam*, i. e. voca illam mel tuum. Neque haec ita dico, ut hanc punctationem praeferam alteri, ſed ut רְעֵה per Tſere punctatum explicem. Mallem ſane aliam omnino etiam conſonantium lectionem, ſed de ea hic non eſt dicendi locus.

דֳּפִי in pauſa דֹּפִי *vulnus.*

De ἅπαξ λεγομένῳ Pſ. L, 20. quilibet ut lubuit conjecit, quod lexica evolvens invenies. Ex veteribus retinuit Chaldaeus, דְּפִיָא, ſperes ergo aliquid ex lingua Chaldaica opis, ſed praeter hunc unum locum nec in Chaldaicis reperitur nec in Syriacis. Σκάνδαλον LXX. exque illis Vulgata, *ſcandalum:* hoc in lexica receptum, *offendiculum*, ſed nullo linguarum orientalium uſu, quod enim Simonis adfert دفا *truſit*, nimis ab hac ſignificatione remotum, aliud, *trudere aliquem*, aliud, *improviſo in aliquid impingere*, *ad ſcandalum offendere et capi.* Paraphraſtica ſunt, ex ſerie orationis ſumta, Hieronymi, *opprobrium*, et Syri, ܗܘܝܬ ܡܡܟܣ *irridebas.*

Arabibus دفا pro دفو et دفي est, *trudere*, (ut in conjugatione VI.) idem fere quod duabus literis concinens دفع, speciatim vero, *impetum facere, sauciare.* Hinc דֳּפִי mihi esse videtur, sive, *improvisa a tergo impulsio, qua quis, humi prosternitur*, sive, *vulnus*, aut si malis *ipsum* quo vulneramur *telum*, metaphorice autem, ex filo orationis, pro obtrectationibus ponitur. Miror, hoc adeo etymon exprimere Antiochenum, licet Syriaca versio, nihil ejusmodi habeat, وفي ابن امك تشكك *et in filio matris tuae hastam*, vel *telum*, *infigis:* quamquam fateor, et aliter verbum Arabicum accipi posse, ut, *filium matris tuae suspectum habes*, (sic aliis verbis Gabriel Sionita) sed cujus nec in Syriaco quidquam est, nec in Hebraicis.

הדק Hiph. incertum utrum a דקק an רוק Genes. XIV, 14.

Pro וירק Genes. XIV, 14. Samaritani codices per D habent וידק, qua significatione? id incertum, consveta enim comminuendi ad seriem orationis non apta. Itane legerunt LXX. ἠρίθμησε, *numeravit*, sive quod a *subtilitate* aut *divisione in partes* dictam putarent arithmeticam? sive ad רוק *curiosius inspicere*, referentes, ut numerare idem sit quod lustrare? Arabem forte Erpenianum Graecis comitem addideris, عدّد *numeravit* vertentem, nec intercesserim: possit tamen عدّد esse, *paravit, expedivit.* – – Samaritanus suum וידק vertit, שׁרי.

דִּקְלָה *Dicla* Genes. X, 27.

Tribus Joctanitica, de qua in spicilegii T. II. p. 175. 176. 177. dictum. Habitationem ignoramus, licet suspicari possimus, vicinam Tigridi, הדקל, fuisse. Sed incertum. Unum certum, etymon a palma, دقل, ܕܩܠܐ ductum, ex quo Bochartus Diclae sedes attribuit, omnino repudiandum esse, non modo quod plurimae regiones Arabiae

biae

biae palmiferae ſunt, unde ſi vel דִּקְלָה palmiferam ſonaret; aeque incerti per Arabiam vagaturi eramus, Diclam quaerentes, tot ſe palmiferis regionibus offerentibus, ſed et quod nomen recens, atque a Graeco δάκτυλος ortum videtur.

דַּר *margarita*, peculiariter, *major*, *lychnites*, forte et *alabaſtrites*.

Poſt aliorum conjecturas, lapidem Parium et neſcio quid דר ἅπαξ λεγόμενον Eſth. I, 6. facientes, ita Bochartus rem peroravit, *margaritam* eſſe, T. II. hierozoici P. II. libr. V. c. 8. ut dubitare prudentiores deſierint. Sola ſuffecerit lingua Arabica, cui دُرّ uſitatiſſimum, innumeris locis obvium unionis nomen. Bochartum jam non excerpo, aliqua tamen ei addenda adnoto.

1) Arabum quidem alii دُرّ generatim ut margaritarum nomen ponunt, alii adcuratius loquentes de ſolis uſurpant majoribus margaritis, teſte *Teifaſchi in excerptis Sebaldi Fulconis Ravii* p. 46. qui et p. 78. ſolas ita vocari vult *duarum drachmarum margaritas*, et majores, quod mihi quidem perquam magnum videtur et inſolentia dubitabile pondus. Non jam mirum, in Hebraicis literis, plura habentibus margaritarum nomina, hoc דר nonniſi ſemel uno in libro occurrere, cujus ſcriptori ſtatutum erat, omnia fingere quam magnificentiſſima.

2) Quae de etymo nominis habet Bochartus, non ſatisfaciunt; nec a דור *rotunda forma* nomen margaritas accepiſſe, ſed illud ad דרר referendum eſſe, Arabicum دُرّ et دُرَّة pluraliter دُرَر manifeſto eſt indicio. Schultenſius in notis ad Haririi conſeſſum ſecundum p. 109. a دَرَّ *radiavit* dictas putat, *radiare* pro *lucere*, *fulgere*, accipiens. Equidem hunc ſignificatum neutiquam verbo Arabico abjudico, at alius eſt, *manandi*, *radiatim guttas ſpargen-*

 di,

di, a quo etiam dici margaritae potuerint. Sunt illae guttis perquam ſimiles, unde et نُطْفَة *gutta* Arabibus dicuntur, Hebraeis נטיפות: quae ſimilitudo fecit, ut et fingerent margaritas ex guttis marinis naſci, violenter animalculo adſperſis, quae vim generandi ſeminis virilis aemulam habeant. Vide Ravii Excerpt. Teifaſchi pag. 57–60. et bibliothecam noſtram Orient. T. XXIII. p. 34.

3) At Schultenſii etymon a radiando et lucendo ductum, perquam cenſeo aptum alteri דר ſignificationi, quam apud Thalmudicos obtinet, *lapidis lychnitis*, i. e. gemmae noctu etiam lucentis, de qua copioſe egit Bochartus, ſed recte monens, loco Eſth. I, 6. ubi ſolum gemma דר inſternitur non aptum eſſe. Sic quidem et Arabibus دُرّ lucerna. Id adhuc unum addere de lychnite Bocharto liceat: non unam eſſe gemmam, quae noctu ſplendeat, ſed plures, ut ex naturalis hiſtoriae peritis diſces, valde etiam inter ſe diverſas.

4) Pro דר in Graeco Eſtherae libro eſt, πίννινος λίθος, ut recte docuit Bochartus, aliorum de Pario lapide errores convellens, pag. 714. Hunc vero πίννινον λίθον (*conchae lapidem*) margaritam ipſam interpretatur Bochartus, diligentia minime probanda anquirens, ſitne margarita lapis? quod poſt eum, ut ſolent, pro certo et explorato ſumſerunt ex philologis docti. Dubitare tamen liceat: margaritas ſi voluiſſet graecus ſcriptor an interpres, quid erat, cur non plane *margaritas* diceret. Suſpicor, *lapidem* eſſe *varietate colorum et imitatione ſplendoris vitri interiora conchae referentem*, ipſum Plinii *alabaſtriten* quem in Caramania et India probatiſſimum eſſe refert, libr. XXXVI. §. 12. Nos quoque Germani ſimile nomen habemus, *Perlemutterſtein*, quod Adelung in lexico Germ. explicat, *eine Art Albaſter, welche der Perlemutter gleicht, und un-*

ter

ter andern bey Steyerthal in Thüringen gefunden wird, der Perlemutter-Albaſter. Graeco ſcriptori verecundiae fuiſſe videtur, ipſum pavimentum margaritis ſternere, et vero majoribus exquiſitique pretii, unde lapidem a concha margaritarum dictum ſubſtituit. Ambigens in verſione germanica eum ſequutus ſum, quod nollem libro Eſtherae, quem plane confictum arbitror ac fabuloſum, in illis gravis eſſe, quae poſſunt forte interpretatione ad veri ſimilitudinem attemperari. Caeterum alabaſtrites, ut recte jam docuit Bochartus, non eſt *lapis Parius* quem hic naturae linguarumque imperitiſſimi confinxerunt.

5) Honori libri Eſtherae conſulere ſi velis, דר non de unionibus, et vero majoribus, ſed de alabaſtrite, ad quem ab unionibus translatum, accipere neceſſe eſt. Nec quidem hic urgebo, ad quod Bochartus reſpondit, *de pavimento ſermonem eſſe, viderique ſine exemplo, res tanti pretii pedibus ſubſterni conculcandas:* attulit enim immenſae vir eruditionis exempla, ubi tale quid factum eſſe aut narratur aut fingitur. Pleraque autem, quae attulit, ut de ſolo gemmis auroque inſtrato, parum ad margaritas faciunt, in quibus non inſania modo ſumtus, ſed et ipſa nos percellit facti ſtultitia: illa ſolida, margaritae ita molles, ut pavimentum ex illis contundi in calcem neceſſe ſit, maxime convivale, in quod acida defluunt. Sunt quidem, fateor, alia etiam quae de ſuo Ahasvero narrat hiſtoricus, ita ſupra omne ſolitum ſtulta, ut haec mediocris ferri ſtultitia poſſe videatur, nec dignus ſcriptor, cujus honori interpretando conſulas.

Eſt tamen, quod hic pro illo dici, atque interpretationem, qua a ſtultitia ſemel abſolvitur, ſvadere poſſit, primo, quod graecus liber ſaniora habet, deinde noſtri דר cum שש, *marmore*, conjunctio.

ctio. שֵׁשׁ וָדַר legens, si modo דר utrumque significat, *margaritam* et *alabastritem*, vertere malis, *solum stratum erat marmore et alabastrite*, quam, *stratum erat marmore et margaritis*.

דֵּרָאוֹן Jes. LXVI, 24. Dan. XII, 2. *abominatio*.

Recte contulit Simonis درأ *repulit*, *avertit malum* unde et bubonem Arabes dicunt, ob foeditatem, indeque denominative, *bubone laboravit*. Habe exempla usus verbi, quibus lexica carent, ex Corano Sur. III, 162. أَدْرَأُوا عن انفسكم الموت *repellite a vobis ipsis mortem*, XIII, 22. et XXVIII, 54. يدرأون بالحسنة السيئة *qui benefactis malefacta repellunt*, (bonum pro malo reddentes inimicum vincunt) XXIV, 8. تَدْرَأ عنها العذاب *avertet a se poenam* (uxor adulterii adcusata). Jam a repellendo *abominationem* et foedum dixerunt Hebraei. Soli ex antiquis recte in Daniele Syrus ܚܣܕܐ *opprobrium*, Theodotion, αἰσχύνη, quem sequutus Lutherus, *zur ewigen* – – *Schande*, et suum excellens ingenium, filumque orationis in Jesaia, *sie werden allem Fleisch ein Gräuel seyn*. Hujus auspiciis, majoris etiam quam ipsi ejus admiratores suspicantur in ipsis literis nominis, vera interpretatio in alias versiones inque lexica immigravit, sed plerumque non additis argumentis.

Verbum דרא cum hac significatione Aramaeae linguae periisset, plerique Veterum nomen ad radicem ראה *vidit* retulerunt, ac si esset pro דֵּירָאוֹן *satis adspectus*, quomodo et duo codices illud scribunt, in Jesaia 111, perquam ille recens, inque Daniele 227, uterque ex conjecturis indoctis alibi quoque textum corrigere solitus. Nec solus ita Chaldaeus, quem Coccejus nominat, in Jesaia: *donec dicant justi, satis vidimus*: sed et ibidem LXX, ὅρασις, Syrus ܬܗܪܐ *admiratio*, *stupor*,

stupor, (a spectando, ut θαῦμα) Vulg. in Jesaia, *satietas* (solum די exprimens) in Daniele, *ut videant semper.*

Aliter LXX in Daniele, διασπορὰ (quod enim additur καὶ αἰσχύνη interpolatio ex Theodotione esse videtur) a Chaldaico דְּרָא Arab. ذرا *sparsit*, *dispersit.*

דרבן

Vide Simonis lexicon, ea enim jam occupavit, quae dicturus fuissem. Id unum, Cohel. XII, 11. non puto plane eadem significatione sumi, ac 1 Sam. XIII, 21. licet LXX βούκεντρον verterint, sed generaliore, cuspidis alte infixae, haerentisque in vulnere.

דָּרְיָוֶשׁ *Dariabes*, i. e. *Darius.*

Sic quidem Darii nomen in Daniele, et libris post exsilium Babylonicum, ubique scribitur, in quo id maxime suspectum, quod literae ויש graecam terminationem nominis Δαρεῖος exprimere videntur. Non defuerunt ergo, qui punctorum auctores erroris hic adcusarent, mallentque דָּרְיוּשׁ, quorum nomina reperies in *Simonis arcano formarum* p. 665. not. d. et *onomastico* p. 584: mihi sufficiat solos nominasse, Cornelium a Lapide, Morinum, et Rich. Simon.

Minuit suspicionem, primo quod nomen in ויש definit; non, ut apud Syros Graecam Latinamque terminationem IUS exprimentes, in יוס, deinde quod, cum Syri et omittere Vau possint, ut ܝܘܠܝܣ *Julius*, nunquam Darii nomen sine Vau דריוש scriptum repererim. Vide grammaticam Syriacam §. 21. p. 56. Et vero Graeci potius adcusandi videntur, Asiatica nomina suae linguae adcommodare soliti, qui forte Assyriis literis scriptum nomen דָּרְיָוֶשׁ Δαρεῖος male extulerunt. Sic certe in lingua Persica non desiisse, sed proxime Hebraicae scriptioni in AKES, auctor est Strabo circa finem libri XVI. (p. 1131. 1132. al. 785.) de graecis loquens barbarica nomina mutantibus ut Arimae-

Arimaeos in Aramaeos et Arimos. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν, πολλαί· καθάπερ τὸν Δαριήκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν, *nominum autem, maxime barbaricorum, multae ſunt apud illos mutationes. Sic Darieсen Darium* vocarunt: quem locum legens ſuſpicor adeo, Strabonem ſcripſiſſe ΔΑΡΙΗΒΗΝ idque a librariis facili lapſu in ΔΑΡΙΗΚΗΝ mutatum eſſe. Δαριήβης (Darieves) ſi nomen Darii Perſicum, ipſum jam דריוש habemus, ut ſcribi graece potuit (Sigma pro ש poſito) niſi quod malles forte his vocalibus adficere, דָּרְיָוֶשׁ.

Hoc certe Strabonis, graviſſimi in rebus Perſicis teſtis, loco expenſo, neminem fore arbitror, qui יוש in דריוש pro Graeca amplius terminatione habeat, maxime cum in libris occurrat, diu ante Graecos, ſub ipſo Perſarum imperio, ac vero regnante Dario Hiſtaspis filio, ſcriptis. Nec Dan. VI, 1. cito, quod hoc ipſum caput ſuſpectum eſſe poſſit, nec Dan. IX, 1. quod, qui male volunt revelatae religioni, totum Danielem eadem adflare ſuſpicione ſolent: ſed Ezrae, Nehemiae, et Haggai libros, quos Graecorum tempore confictos eſſe vix quisquam ſomniaverit, ipſiusque adeo Zachariae vaticinia, quae ſi Graecorum fabricata tempore eſſent, multo futura alia erant, quam nunc ſunt, non de factis, quorum hiſtoria magnam partem nobis periit, actura, ſed de illuſtribus inque hiſtoria notiſſimis, Perſici regni interitu &c. Mirum, hos qui punctis mutatis דְּרִיוֹשׁ legi jubebant, non animadvertiſſe, omnibus ſe his libris dicam ſcribere: qui enim liber nomini regis Perſici terminationem dat Graecam, Perſis ignotam, non poteſt ſub ipſis Perſarum regibus ſcriptus eſſe, quorum certe nomina ſubditis eorum ignota non erant, nec illo tempore in Oriente Graeci quid adſciverant.

De

De etymologia nominis Persica, (aliam enim ex alia lingua quaerere delirationis foret eruditae) nihil dico, ad Simonis Onomasticon p. 584. 585. cupidos ablegans, ubi potissimae doctissimorum virorum sententiae luculenter sunt expositae: cum quod haec quaestio ad lexicon Hebraicum non pertinet, tum vero, idque solum suffecerit, quod linguae Persicae imperitus sum. Id tamen ex utriusque partis etymologiis excerpere liceat, utramque consentire in originem nominis a دراب vel دريان ita ut terminationi Graecae Δαρεῖος nullus locus relinquatur, videaturque nomen non Δαριάκης, ut in editionibus Strabonis legitur, sed Δαριάβης fuisse, pro B autem Persico ab Hebraeis Vau substitutum.

Caeterum tres in codice sacro nominantur Darii

1) *Darius Medus*, Dan. VI, 1. IX, 1. quem *Cyaxarem* profanorum scriptorum esse communis fert sententia, mihique verisimillima. Vide Marshami Canonem p. 604. 605.

2) *Darius Histaspis filius* Ezr. IV, 5. V, 5. Haggai I, 1. Zach. I, 1. atque ubique, ubi Haggai et Zacharias Darium nominant.

3) *Darius Nothus* Nehem. XII, 22. Vide notas versioni germanicae ad hunc locum, et versum 11. adspersas. Aliis, Josephum sequutis, Darius est Codomannus, quod vero chronologiae non concinit.

דרך *adsequutus fuit*, *prehendit*. דרך קשת.

Calcandi, *triturandi*, in via *eundi*, significationes verbo sartas tectasque relinquo: de solis acturus, quae in lexicis sunt praetermissae, aut non satis recte explicatae.

Phrasis perquam Hebraeis frequens, (loca diligenter collecta invenies in lexico Stockiano) דרך קשת, quam vertere solent, *tendere arcum*, proprie, *calcare*, quod, ut ad Ps. XI, 11. monuit Raschi, *si*

arcus sit validior, necesse habeas pedem ei imponere, cum tendere velis. In hac ipse quidem multos per annos fui sententia, sed eam iterum iterumque auditoribus repetenti, dubia tandem suborta sunt, quae dissimulare non licuit. Primo jam suspectum, quod tensio arcus toties seu potius semper a calcando dicatur, cum tamen plurimum non pede sed manu in eo tendendo utamur. Sed hoc mittamus, potuerit enim haec phrasis, non proprie sumta, usu praevalere, ac pro omni tensione poni. At tria loca sunt, quibus ea plane non convenire videtur. Primus, qui me dubium fecit, est Jes. V, 28. ubi de exercitu Assyrio, *sagittae ejus sunt acutae* וכל קשתותיו דרכות. Hoc quidem vix esse potest, ut vertere solent, *et omnes arcus illorum tensi:* nullius exercitus arcus semper, etiam in proficiscendo (de ipsa acie ejusque unico momento vates non loquitur) tensi, remissura, si ita gestarentur, vi nervi elastica. Emendarunt quodammodo veteres, intentos hosti arcus intelligentes, sic Vulg. *extenti:* verum non de acie sermo, sed quale semper est describitur armatorum agmen. – – Hanc autem quis Jeremiae phrasin c. IX, 2. דרכו את לשונם קשתם aequis audiat auribus, si sic vertenda, *calcant linguam suam tanquam arcum.* — Psalmi denique LXIV, versus quartus, דרכו חִצָּם דָּבָר מָר omnino non *calcandi* solum, sed et demto etymo mollitam *tendendi* significationem respuit. Hieronymus sic emolliens, *tetenderunt sagittam suam,* quod forte latinae linguae ambiguitate, *tetenderunt* pro *intenderunt* sumto, aures fallere possit, neutiquam in alia: quis Germanus ferat, *sie spannen ihre Pfeile?* Ergo alii pro telis reposuerunt *arcum*, LXX. ἐνέτειναν τόξον, hinc Vulg. *intenderunt arcum*, Symmachus, ἐπλήρωσαν τὸν τόξον αὐτῶν λόγῳ πικρῷ: verum nulla est in Hebraicis codicibus varietas lectionis, nec חצם et קשתם voces sunt oscitantia librariorum permutabiles. Syrus, difficultatem ut videtur sentiens, verbum

bum דרכו plane omisit, et sagittas cum praecedentis membri שננו construxit. Chaldaeus desperans de consueta significatione, novam conjectura audacissima confinxit, משחו גרריהון סמא *inunxerunt tela sua veneno.*

Duplicem autem verbi דרך reliquae linguae Orientales offerunt significatum, ex quo haec loca omnia, ubi cum arcu aut sagittis construitur, expediri possunt:

1) *Adsecutus est*, Syris in Aphel ܐܕܪܟ Arabibusque in quarta أدرك significat, nec dubito quin eodem modo accipiendum sit Hebraicum הִדְרִיכֻהוּ Jud. XX, 43. praecesserat enim הרדיפוהו *persequebantur*, cui jam quid aptius quam, *adsequebantur.* Hoc quidem in versione Germanica sequutus sum, quippe quod reliquis Orientis linguis adsveto primum occurrebat, cujus loco alios habere video, *conculcarunt*, Syrum ܡܫܪܓܘܗܝ *trucidarunt*, et Vulg. *nec erat ulla requies morientium.*

Eandem autem adsequendi significationem et in prima conjugatione verbo درك lexica Arabica subjiciunt, nullo tamen satis certo exemplo, quod enim Castellus adfert, ex Erpeniano Arabe 1 Tim. VI, 12. ad *prehendendi* potius notionem referendum. Quod si tamen sumas, et in Kal דרך *adsequendi* vim habere, egregie inde possis locum Jes. V, 28. illustrare, sed ita ut mutatis punctis דֹּרְכוֹת efferas, *arcus ejus sunt adsequentes*, i. e. metam attingentes, (quamquam XVI codicibus דרוכות habentibus, haec non apta explicatio): reliquisque locis ita consulere, ut transitive exponas, *adsequi fecit*, i. e. ad metam direxit, arcum, sagittam; sed haec transitiva significatio usu linguarum non firmatur, estque in Kal paulo audacior.

 2) Sy-

2) Syris Arabibusque דרך est, *prehendere*, ac forte ipſum, adſequi, hinc ortum. Hinc optime dixeris, *prehendere arcum*, de arcitenente, maxime cum arcum in hoſtem dirigit; indeque et *tela capere atque in hoſtem dirigere.* Sic et משך קשת dicunt, quod vide infra. Hoc quidem praefero.

Quod Schultenſius ad Hamaza p. 399. habet, primam vim verbi دركى in *volvendo eſſe* et *glomerando*, mihi quidem non perſvaſit, ac ne argumentis quidem confirmavit. Hanc gratis ſumtam ſignificationem ad דרך כוכב Num. XXIV, 17. transtulit Joh. Henr. Verſchuir, diſſertationum philologico-exegeticarum, p. 11. quod tamen ne ſic quidem, ſi certa eſſet etymologia, mihi placeret: cometae exorientis non eſt, glomerare et accelerare curſum, ſed lente et magnifice coelum ſcandere; et vero de ſero orituro poſt multa ſecula cometa, nunc nondum viſo, expreſſe vaticinium agit.

Prima quae ſit verbi ſignificatio, unde et *prehendere* manu, et *calcare* pedibus, dictum, divinare non auſim: forte et duae radices in unam coierunt, atque altera ſignificationum cum דרג, درج *ſcandere*, cognata.

דֶּרֶךְ *veſtigium.*

Viae ſignificatio non omnibus locis apta: cui, ut exemplo utar, placere poteſt, Job. XXIII, 9. *novit viam* QUAE EST MECUM, aut ſi עִמָּדִי *ſtationem* interpreteris, aut puncta mutes in עָמְדִי, *viam ſtationis meae*? quidni potius, in qua ambulo? Jam a calcando non via ſolum, ſed aequo jure *veſtigium* dici poſſit, malim ergo, *novit veſtigium in quo ſto.* Syro certe ܕܘܪܟܐ ܕܪܓܠܐ Act. VII, 5. eſt, *βῆμα ποδός.* Tentavi aliquoties idem obſervatum transferre ad Pſ. I, 1. ubi pro *ſtare in via malorum* ob ipſam orationis gradationem majus quid et fortius malles, et Pſ. XXXVI, 5. ſed diſplicuit auribus, ut vel in verſio-

versionis germanicae prima editione ponens, in secunda inducerem. Venerat etiam in mentem ex Arabismo, دَرَكٌ et دَرَكَةٌ *gradus sive summus, sive imus, extremum, imum gehennae*, quod ad Hebraica transferens Ps. I, 1. vertere audebam, *quique jam in altiore consistunt gradu peccatorum*, unde promta adscensio ad eum, qui sequitur, consessum irrisorum: sed est tamen aliquid, quod me dubium tenet, ac ne certam quidem hac de significatione ab Arabum lexicographis sine exemplis posita, habeo sententiam, veritus, ne ex talibus sumserint, quale est Sur. IV, 144. *ecce hypocritas! sunt in gradu ignis infimo* في الدرك الاسفل من النار, ubi درك simpliciter, gradus, est, et, *infimus*, expresse adjicitur. Forte gradationis minus curiosus fuit David nobis lectoribus, perfectius quid, quam dedit, exspectantibus.

דַּרְכְּמוֹן Ezr. II, 69. Nehem. VII, 70. 71. 72. *Darici?*

Pondus, aut si malis nomisma, ad quod ubique aurum numeratur, nuspiam argentum, quod quidem in sententiis de vocabulo dictis expendendis, aut si opus fuerit, tentanda conjectura, non parum momenti facere possit. In magna certe hic versamur rerum obscuritate, ut demtis manifestis erroribus, quos inter aliqui turpes, bene nobiscum agatur, verisimilis conjecturae jure relicto. Ex veteribus quidem

1) nihil dicunt, qui nimis generaliter vertunt, ut in Ezra canonico Vulgata, *auri solidos*, in Nehemia LXX, ἔργου χρυσίου νομισματος, eodemque et Arabem retulerim مثقال *pondera*, habentem, nisi forte aliquis siclos intelligat. Nihil hi omnes dicunt, quod sequi possimus, solam fatentur ignorantiam: ergo missionem habeant.

2) Μνᾶς, minas, in Ezra vertunt LXX. forte, quod literis primis omissis מנים legerunt. Sed hi prorsus repudiandi: quis enim

61000 minas auri, 5000 argenti exſpectet? In libro etiam Nehemiae ubique plures auri דרכמנים, quam minae argenti. Ergo minae eſſe nequeunt.

3) Vulgata *drachmas* vertit, idque recentiorum plerique ſequuti ſunt. Clericus ad Matth. XVII, 24. (δίδραχμα) *haec vox, inquit, non tantum ad Romanos tranſiit, ſed tempore Seleucidarum ad Judaeos etiam. Sic Ezr. II, 69. habemus* דרכמנים, *cum exigua mutatione, quod LXX. drachmas vertunt, qua in re et noſtri interpretes eos ſequuti ſunt.* Mirari ſubit, virum doctiſſimum, tot, verbis tam paucis, complexum errores eſſe. a) Falſum eſt, LXX drachmas vertere: μνᾶς verterunt, quarum una centum drachmas capit. Sed 100 et 1 philologis mathematum expertibus idem. b) Poſt Seleucidarum tempora nemo miretur Judaeos vocabula Graeca uſurpare, at hic liber ſub Perſiae regibus ſcriptus, ſub quorum primo, Cyro, quis Babylone drachmis graecis numerari ſolitum fuiſſe, ſibi perſvaſerit? c) Drachmae nomen ſine Nun דרכמה aut דרכמו ſcribendum fuiſſet, non דרכמון. d) Plane non licebit, concordiam tentare libri apocryphi cum canonico Ezrae, hoc ſumto: drachma enim cum ſit pars minae centeſima, 61000 drachmae facturae erant 610 minas, quarum loco apocryphus 1000 habet. e) Nec ullus antiquiorum, ita habet, ſed primus ex vicinitate ſoni drachmas ſubſtituere auſus Hieronymus.

4) Syrus ܕܪܟܡܘܢܐ vertit, quod quidem nomen Barhebraei adhuc tempore, id eſt ſeculo XIII, in uſu vulgari fuit. Vide chreſtomath. Syr. p. 115. Quanti autem fuerint Syrorum ܕܪܟܡܘܢܐ ignoramus, quod ſi quis nos docuerit, in aliqua is forte veſtigia Hebraici nominis induxerit, quod videri poteſt Syriaco idem eſſe. Suſpicari etiam poſſis, ſine M legiſſe Syrum אדרכנים, de quo nomine,

mine, in quibusdam codicibus cum מ ſcripto, vide poſtea: nullus tamen codex noſtrum nomen ſine M ſcripſit. Quod ſi ergo ut nos legit Syrus, אדרכנים et אדרכמנים eadem illi viſa nomina ſunt, nam et Ezr. VIII, 27. ܕܝܢܒܪܐ vertit.

5) Supererat et Thalmudicorum tempore nomen, varie ſcriptum, ſed ipſi, quantum ſit, non dicunt, id unum dicunt, monetam eſſe Perſicam: Gloſſatores duobus סלעין, i. e. ſiclis, quales Judaei faciunt, aequant. Vide Buxtorfii lexicon Chaldaico-Thalmudicum, col. 577. Sic quidem דרכמון, ſi ſiclum computaveris ut Eiſenſchmidius, *octo* circiter *ducatorum* (quorum 67 in marca) fuerit, multo etiam, ſi Bernardum ſequaris, major: ſed horum mihi gloſſatorum auctoritas nulla.

Haec jam omnia animo complexo, *numisma Perſicum*, ut non ſoli dicunt Thalmudici, ſed prope res ipſa, cum ſub Perſarum regibus primum occurrat, *aureum*, atque ubique argento oppoſitum, Hebraico nomine דרכמון, Syriaco ܕܝܢܒܪܐ, cui quaeſo non *Darici* Perſarum in mentem veniat? Sic quidem Eiſenſchmidius de ponderibus et menſuris, p. 146. *Adarcon, ſeu Darkemon aureus eſt, forte idem quod Daricus.* Erat autem Daricus moneta Perſica ex auro puriſſimo, quam volunt a Dario Hiſtaspis filio nomen accepiſſe: de qua plura ſcire cupientes ablego ad *Benjaminem Gottl. Laurentium Boden*, *de Daricis, Wittenbergae 1779.* Exemplar in nummophylaciis, aut iconem ex illo expreſſam, non ſolum ipſe non vidi, ſed et rei numismaticae principes, a me conſulti, vidiſſe ſe aut noſſe negarunt, nec Bodius ullam ejus mentionem injicit: eſt ergo numisma, quod nobis temporum curſu plane periit. Eiſenſchmidius p. 142. aeſtimat $2\frac{1}{2}$ *ducatis cum tribus granulis*, qui faciunt monetae noſtrae Hannoveranae $6\frac{3}{4}$ Rthlr., qui valor unde ſumtus, ignoro. Tentemus tamen, ut hypothe-

pothesin: pro 61000 Darcmonim libri canonici, apocryphus, (ὁ ἱερεὺς) c. V, 44. *auri minas* habet *mille* (χρυσίου μνᾶς χιλίας), quod quidem ad lapsum librariorum, varietatemve lectionis referri nequit, non numeris modo sed et nomine ponderis numerati plane aliis, sed ad interpretationem, estque manifestum, 61000 *darcmonim* aequales 1000 *minis* visas esse interpretanti. Experiamur ergo, quid ex Eisenschmidiano prodeat computo?

	Duc.
Jam 61000 Darici ex Eisenschmidii computo, facient Ducatos, (quorum 67 ex marca auri Coloniensi cuduntur)	155694
Minae 1000 Atticae, (quas ille pag. 156. aestimat 1 Marc. 14 semunc. $73\frac{20}{100}$ moment.) faciunt 1890 marcas, 3 drachmas, 12 momenta, i. e. neglecto exiguo numero fracto – – –	126633

Numeri certe non iidem, dispares fere ut 5 et 6, nec tamen ita dispares, ut de utriusque loci concordia desperandum: ut enim taceam, ex Eisenschmidii computo Darici rationes subductas esse, de quo ipse me dubitare professus sum, quod argumenta non video, minam sumsi Atticam, quod ex multis aliqua tentanti eligenda esset, sed alia uti, et majore sub imperio Persarum potuerunt, exque ea apocryphus liber Daricos aestimare. Quin ipsis Hebraeis triplicem olim minam fuisse, parvam, mediocrem, magnam, infra sub מנה videbimus.

Nec tamen reticendum, quid opponi Darico possit: *nomen illum habere a Dario Histaspis filio, nec ergo posse sub Cyro memorari, cujus in tempus utrumque et Ezrae et Nehemiae caput incidat.* Dubiam certe hoc rem facere possit, licet nec desint quae reponi queant, ut 1) esse qui ad Darium, nec vero Histaspis filium, sed antiquiorem, ipsum adeo Darium Medum Dan. IX, 1. Cyri socerum, Daricos primum cusos referant. 2) omnino incertam esse derivationem, a Grae-

cis

cis confictam. Certe ܕܪܟܡܘܢ Syriacum legens, cui nihil antea de nominis derivatione a Dario aliquo auditum, ad ܕܪܟ retulerit, conjiciens sive a *prehendendo* dictum, (fere ut Graeci δραχμή ad δράσσω referunt) sive a *terendo*, quod sit trita manibus et usitata moneta: sic quidem, si vocabulum non Persicum origine, sed Syriacum putaverit, quae quidem lingua sub Persarum imperio ita per occidentalem Asiam regnavit, ut vel columnis ad Bosporum positis suas res gestas Darius literis Assyriis inscriberet. At si Persicam originem quaesierit, ultro alia se satis probabilis offeret, esse *regium* (sc. nummum) non a nomine regis, sed a درگاه *aula*, *regia*, q. d. nummus aulicus. 3) scriptorem nummum vel pondus jam antea usitatum eo vocare nomine, quod eo tempore, quo liber editus est, sub Dario aut post Darium, habebat. Sed hoc repudio, ipso enim primo reditus in Palaestinam anno, nec sub Ezra sed sub Zorobabele, scriptum secundum caput libri, qui nunc ab Ezra dicitur, arbitror. Mihi quidem secunda responsio potior, etymonque *Darici a Dario Histaspis filio*, fictio graeca videtur.

Verum hoc utcunque sit, דרכמון Daricus, an secus, id quidem ex locis, ubi דרכמון legitur, constat,

1) *pondus aut numisma auri solius esse, in oppositione ad argentum*, ubique enim videbis, aurum darcemonis, argentum minis numerari: quod quidem ad numisma (qualis Daricus) deducere nos videtur.

2) *Minam Persarum Judaeorumque aequalem fuisse 61 darcemonis*, i. e. דרכמון fuisse $\frac{1}{61}$ minae Persicae. Hac aequatione sumta Nehem. VII, 71. offeruntur 20000 דרכמני auri, argentique similia pondera, 134000; itemque v. 72. auri 20000, argenti 122000,

majore jam, ut fas eſt, argenti quam auri pondere; et Ezr. II, 69. auri 61000, argenti 305000.

Jam et aliquid de nominis ſcriptione, lectionisque addendum varietate. Syriacum ܙܘܙܐ et Perſicum, *Daricus*, cogitans, malles forte מ a הרכמון abeſſe, ſed omnibus locis magna conſtantia codices habent, in eo ſolum diverſi, quod non pauci defective ſcribunt דרכמן. Hoc ergo מ unde? merene Heemanticum, ut volunt aliqui קנמון a קנה dictum? Non puto! ſuſpicor potius, ex מנה *mina* ſupereſſe, ita quidem ut mina argenti ſimpliciter מנה, proprie *portio*, dicatur, aureus contra nummus *Darici-portio*.

Pro Caph non raro Beth ſcribere Judaeos, ex Buxtorfii lexico loco citato diſces: ipſique adeo lexico Syriaco per ſimilem errorem ܙܘܙܐ *moneta* inſeruit Ferrarius. Manifeſtus error, ex ſimilitudine literarum ortus, forte et inde, quod librarii linguae Arabice adſveti, ſed non grammatice periti, ad *Darab, percuſſit* (ضرب) referrent, monetamque a percutiendo exiſtimarent dictam. Error in libris ſacris in noſtrum vocabulum non irrepſit, at, ut ſtatim videbimus, in ſequens אדרכנים.

אדרכן Ezr. VIII, 27. 1 Par. XXIX, 7. *Drichon Syrorum*, *Daricus Perſarum.*

Synonymum praecedentis, nec niſi de auri pondere uſitatum, Syriaco ܙܘܙܐ et Perſico, *Daricus*, forma etiam ſimilius. Hinc fit, ut duo codices Ezr. VIII, 27. pro eo אדרכמונים ſubſtituant. Per errorem ſub finem praecedentis vocabuli indicatum, in Ezra codex 150 per B אדרבונים ſcripſit, inque chronicis 166. Aleph me judice mere proſtheticum, Syriaco ܙܘܙܐ additum, unde et malim ei puncta ſubjicere אַדְרְכָן vel אַדְרְכוֹן, quam quae in codice maſorethico habet, אֲדַרְכֹּן. Quod 1 Paral. 29 legitur, Darico Perſico non obſtat,

obstat, potuit enim scriptor, post reditum ex Babylone ac sub Persis vivens, thesauros templo collatos pondere vel numismate Persico eodem jure exprimere, quo ego quidem, Germanus, marca Coloniensi. Id unum quaeri posse video, cur computum auri sacrati dividat in 5000 talenta, et 10000 Daricos, nec potius et hos talentis aestimet? (Ex Eisenschmidii Daricorum, meoque talentorum computo, pag. 365. 472. paulo plus quam VI talenta facturi erant). Forte id dedit rotunditati numeri, aut solum aurum purissimum, quali Persae in Daricis utebantur, Daricis aestimavit: nummus certe nullus omnino cusus Davidis tempore fuit, multo minus Daricus.

Recte quidem in Ezra vocabulum interpretatus est Syrus, ܕܝܢܪ̈ܐ, LXX in Paralipomenis χρυσοῦς, et Vulgata utrobique *solidos*. At alii mire a vero aberrarunt.

Commentum est Thalmudicum, אדרכון a via dictum esse, quod qui peregre proficiscitur aurum portatu facilius praeferat argento: vide tractatum שקלים cap. II. מצרפין שקלין לדרכנות מפני משוי הדרך *fundunt pro siclis* (argenteis) דרבנות (sic per ב scriptum) *in commodum eorum, qui iter faciunt.* Non mirum, hoc secutum esse Chaldaeum, ac זוזין *viatica*, i. e. *nummos viatorum* vertisse: sed antiquiorem esse Thalmudicis explicationem docent LXX, in Ezra ipsi quoque, *εἰς τὴν ὁδὸν χίλιοι, nummi in viam mille*, et paulo fusius Arabs, وفي الطريق الف درهم *et mille in viam drachmas.*

Plane suus in chronicis Syrus, *stanni optimi ad aquaeductus faciendos ducenta millia:* qui, unde et stannum habeat et numerum 200000 non liquet, דרכנים autem ad דרך retulit, viasque intellexit aquaeductus. Arabs omisit.

דָּרוֹם Deut. XXXIII, 23.

דרום Austri nomen apud Hebraeos esse, certo satis constat, licet reliquae linguae Orientales, excepta Chaldaica, non habeant, ac ne etymon quidem offerant, unde dici potuerit, nisi forte ad دَرَسَ *latuit*, referre velis. Sed manum de tabula.

At in uno loco, Deut. XXXIII, 23. magnopere laborarunt interpretes, quorum quidem sudores, et coactas maximam partem interpretationes colligere non opus duco, vera enim sententia dicta non amplius laboratum iri confido. Ad hanc mihi index fuit pater, qui Coccejo adscripserat, nomen videri proprium. Ita vero est omnino, et vero regionis ab Austro lacus Galilaeae, quae Jos. XI, 2. alio nomine נגב כנרות *Auster Genezareth* dicitur, ac, nisi fallor, Austro Judae (נגב יהודה) flexu aliquo mare mortuum circumeunti, aliqua parte fuit contigua. Vide notas ad hunc locum, et Jos. XI, 2.

דָּרַר *fluxit*, *radiavit*, *cum derivatis*, דַּר, דְּרוֹר.

Verbum דרר Hebraei quidem non habent, sed ob ejus derivata necesse est, aliquid et de verbi significatione dici, *fluendi*, et *splendendi*, inter se ut credo, cognata. Ergo est

1) *fluxit*, et transitive *effluere fecit*, *radiatim cum copia emisit*, *pluit*, &c. de quibus vide lexica Arabica. Hinc supra דר margarita, proprie, gutta: hinc מָר דְּרוֹר *myrrha fluens*, *liquida*, Exod. XXX, 23. (aliter Celsius T. I. p. 526. *pulverem myrrhae* interpretatus, aliter alii, *myrrham liberam*) hinc et, nisi fallor, דְּרוֹר *libertas*. Nempe *aquae cisternae* in illo climate proprium, itemque fontium, quos quisque effoderat, maxime inter Nomades, rara enim aqua: at fluens in rivis et fluviis nullius erat, libera ab omni dominio.

2) *lu-*

2) *lucem, radios emisit, proprio sensu radiavit*, i. e. *splenduit.* Hinc supra, sed ex usu Thalmudico דר lapis lychnites noctu lucens; quod si et דרום *Austrum* p. 476. huc referre velis, non obnitor, modo ipse sententiam dicere non cogar, sed conjecturam laudasse suffecerit.

דְּרוֹר avis species. Ps. LXXXIV, 4.

Hirundinem plerique interpretantur, columbae ferae speciem, turturem aut palumbum, Bochartus, qui copiosius, et, quis dubitet? docte de דרור egit, T. II. hieroz. L. II. c. 8. melius tamen aliorum convellens, quam suam stabiliens sententiam. Mihi quidem illo lecto nihil certi adfulsit, nec verisimile, nomen sive hirundinis, sive turturis, ἅπαξ λεγόμενον. Ergo potius ignoremus, donec ipsum nomen avis in linguis reperiamus Orientalibus.

Sed hoc forte nobis offert, quamquam solis Latinis literis scriptum, Forskålius in *descriptione animalium in itinere orientali observatorum* pag. 10. ubi in migratoriis Alexandriae avibus comparet, num. 12. *Dururi, venit cum dactyli maturuerunt, fine Octobris, ex Aegypto superiore, his consumtis post tres menses abit.* Alexandria cum non multum australior sit Hierosolymis, possit haec דרור Hebraeorum esse, non nisi semel in sacris memorata, quod peregrina, solisque mensibus Oct. ad Jan. Palaestinam invisens: nec tamen certi quid definio, donec compertum sit, quibus literis Arabice nomen scribatur, دُرُورِيّ, an ضُرُورِيّ? De hoc quidem Aegyptum adeuntes jam interrogo, ac, si per Daleth scribitur, ab illis adcuratiorem avis descriptionem expeto. Psalmus quidem in festum tabernaculorum, i. e. in Octobrem incidit, quo ex superiore Aegypto *Dururi* adventat. Caeterum ut verisimile sequutus in versione sum germanica, cum nihil aliud verisimile suppeteret, avemque vocavi autumnalem, *Herbstvogel.* — — (Estne ea passe-

passeris species, lusciniae colore, cantu dulcissimo, quam circa Capsam in locis palmiferis vidit Shawius, p. 185 itinerarii, versionis germanicae 164? Vide et *Buffons Naturgeschichte der Vögel*, T. X. p. 161. versionis germanicae. Sic *Dattelnsperling* vocare potuissem).

דַּרְדַּר Genes. III, 18. Hos. X, 8.

Copiose de vocabulo non nisi bis lecto egit Celsius, hierobotanici P. II. p. 128-137. *tribulum* intelligens *veterum longissimis aculeis armatum.* Contra Coccejo generale nomen est *herbae, quae non seritur, curaturve, et quae nascitur, ubi nemo agrum colit, q. d. in libertate*, ad דרור *libertatem*, referenti. Germanice *Unkraut* dicimus. Veri et hoc satis simile, possisque aliud quoque etymon addere, ﺩﺭ, *luxuriavit* (proprie, diffluxit, diffudit se) *herba.* Linguis sororiis nos hic deserentibus, dubitandum.

דרש, *trivit, tractavit manibus telam, palpavit, trituravit, consuluit oraculum.*

Quaerendi, inquirendi, interrogandi aliasque significationes, ex lexicis notissimas, non attingens, haec notioribus addo:

1) Lexicon Arabicum et Syriacum inspicienti, statim liquebit, usitatissimam his in linguis significationem esse, *terere*, sive id manibus fiat (*palpare*) sive pedibus, sive alio modo, videturque haec ex illis quas novimus, prima esse, a palpando certe optime quaerere dici potuerit: quaerentes aliquid solicite, manibus etiam locum contrectamus.

Hac quidem prima *manibus terendi et tractandi* significatione vix dubium quin accipiatur Proverb. XXXI, 13. דָּרְשָׁה צֶמֶר וּפִשְׁתִּים *tractat* (i. e. net) *lanam et linum.* Mirum, plerosque interpretes id non solum non vidisse, sed ne quidem de eo cogitasse: soli praeiverunt LXX. μηρυομένη ἔριον καὶ λίνον, est enim μηρύομαι *fila traho,*

ho, vide Bielii lexicon Graecum. Arabs eadem ſententia, verbis modo mutatis, *extendit manum ſuam ad lanam et linum.*

Ad *palpandi* ſignificatum etiam referendus videtur uſus verbi Pſ. XIV, 2. modo ſanitati ſententiae et poëtae conſultum velis. Coelitus proſpicit Deus in omnes *filios hominis*, i. e. non homines, inter hos enim certe multi pii, multi quaerentes Deum, ſed, irreligioſos, atheos, neminem praeter mortalem patrem agnoſcentes, viſurus, nemone in illis ſit *ſapiens*, דרש את אלהים. Non bona ſententia, ſi vertas, *quaerens deum:* quis enim inter atheos et irreligioſos talem quaeſierit, aut eſſe fuerit ſuſpicatus? at egregia, *palpans Deum*, id eſt, Deum quem ipſa ubique praedicat natura, vel invitus tandem ex operibus agnoſcens. Vide Act. XVII, 17. *ἐι ἄρα γε, ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ ἕυροιεν, καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα.*

2) Arabibus aeque ac Syris *trituram* ſignificat, eam qua fruges boum pedibus plauſtriſque triturantur. Hac ſignificatione Amos. IX, 23. olim lectum fuiſſe, non ſuſpicor, ſed prope certus ſum. Conſveta lectio, *attinget* חורש בקוצר *arator meſſorem*, omni ſana ſententia caſſa, malles ſane, ſi conjiciendum, *tritura vindemiam*, ex Levit. XXVI, 5. Jam LXX, aliter ſine dubio legentes, *ὁ ἀλοητὸς τὴν τρυγητὸν* (בבוצר) quidque pro *ἀλοητὸς* legerint, ultro prope non reſpondet interrogantibus, ſed et ſocordibus obtrudit, ex illis vertens Arabs, الدارس القطّاف. Hinc ſana, ſanae certe ſententiae, lectio exſiſtit, quam ipſius Amoſi eſſe puto, דורש בבוצר, *accedet triturans* (i. e. tritura) *ad vindemiatorem*, (vindemiam). Occupavi jam in bibliotheca Orientali T. XX. p. 160. 161.

3) דרושה

3) דרושה Jes. LXII, 12. satis unanimiter vertunt, cum veteres tum recentiores, *quaesita.* Quidni potius *trita*, urbs incolarum multitudine abundans? De urbe quis non potius dicat, *trita urbs*, *non relicta*, *non vacua incolis*, quam, *urbs quaesita non relicta.* Sed hoc in incertis pono.

4) דרש et poni, de *consulendo*, *oraculo*, *Deo*, *vate*, omnibus notum, qui Hebraica didicerunt, varia quidem constructione, jam simpliciter cum adcusativo, jam cum ב, ut דרש בבעל *consulere Baalem.* Ex his tamen maxime notari velim constructionem cum אֶל et praefixo לְ, cui haec significatio prope peculiaris est. Exempla junctim posita locis quibusdam non recte intellectis lucem adferunt, Deuteron. XII, 5. XVIII, 11. Job. V, 8. Jes. VIII, 19. 20. XI, 10. (ubi a sacra arbore, ad quam oraculum consulitur, ducta phrasis, vide notas ad versionem germanicam) XIX, 3. Ezr. IV, 2. Sed aliter accipi phrasis videtur in libris chronicorum, ubi דרש etiam cum ל constructum est, *quaerere Deum*, 2 Paral. XV, 13. XVII, 3. 4. XXXI, 21. XXXIV, 3. qui sequioris aevi Hebraismus ab antiquo distinguendus.

Excipio tamen Deut. XII, 30. ubi דרש לאלהיהם ex serie orationis est, quaerere de diis Phoenicum, qui, qualesque fuerint, et quomodo coli consveverint.

דַּרְיוֹשׁ Ezr. X, 16. *inquisitio.*

Manifestum, ut puto, vitium scriptionis, pro לִדְרוֹשׁ *ad inquirendum*, quae quidem puncta consonantibus adjungit Cod. Cassellanus, לִדְרִיוֹשׁ. Lapsus inde ortus quod librarius nomini *Darii* toties in hoc libro lecto adsvetus esset, unde et Regiom. 1. puncta adeo לְדָרְיָוֶשׁ habet, sensu cassa. Vitium ita antiquum, ut non nisi unus Kennicotti codex Jod omittat.

מדרש

מדרשׁ 2 Paral. XIII, 22. XXIV, 27.

Eſtne commentarius hiſtoricus in libros regum ſcriptus, qui eo adhuc tempore ſuperfuit?

דֶּשֶׁא proprie, *herba virgo.*

דֶּשֶׁא proprie *teneram herbam* ſignificare, notum, quod diſtinctius dicturus, addo, *herbam* eſſe *virginem*, quae ſemen nondum concepit. Diſcitur hoc ex loco eximio Geneſ. I, 11. ubi a ſe invicem diſtinguuntur 1) דֶּשֶׁא vi oppoſitionis ſemen nondum habens, 2) עֵשֶׂב מזריע זרע *herba* adultior, *concipiens ſemen.* Vide notas verſionis germanicae. – – Arabes nomen plane non habent, Syri literis transpoſitis et שׁ in ת mutato, ſub ܬܕܐܐ, unde et ver dicunt, ܝܘܡܐ ܕܬܕܐܐ *dies herbae tenerae.* Chreſtomath. Syr. p. 95.

Jeſaias c. XV, 6. a gramine (חציר) diſtinguere videtur. De Proverb. XXVII, 25. vide notata pag. 312. דֶּשֶׁא Jerem. L, 11. monſtrum eſt, male compoſitis conſonantibus et punctis. Puncta quidem ad aliam lectionem דָּשָׁה pertinent, quam in XXIX codicibus Kennicottus invenit, *vitula triturans:* literae textus דֶּשֶׁא efferendae, quod cave vertas, *ut vitula graminis*, praecedens enim עגלה ſtatus eſt abſoluti, ſed, *ſuperbitis ut vitula per herbam.* Sic recte praeiverunt LXX. σκιρτᾶτε ὡς βοίδια ἐν βοτάνῃ, et Vulg. *effuſi eſtis ſicut vituli per herbam.*

תַּרְשִׁיא *Thaſſi.*

Θασσὶ vel Θασσὶς, cognomen Simonis, primi Judaeorum principis, ex rebus geſtis ei inditum, 1 Macc. II, 4. ad quem verſum in notis monui, ܬܪܣܝ a Syro ſcribi, ac veriſimiliter in Hebraico libro תַּרְשִׁיא, aut ſi malis abjecto poſt I Aleph, תַּרְשִׁי ſcriptum fuiſſe, i. e. *germinabit*, vel, *ver erit.* Egregie hiſtoriae viri nomen concinit, forte ex Zachar. III, 8. VI, 12. ab his, qui indiderunt, ſumatum.

דִּשְׁנֵי אָרֶץ Pſ. XXII, 30.

Jam in notis ad verſionem germanicam profeſſus ſum, inter duplicem me verſionem ambigere, *pingues terrae*, i. e. opulenti, omnibus abunde fruentes hujus mundi voluptatibus, et, *omnes cineres terrae*, i. e. omnes mortui, qui ſtatim deinde כל יורדי עפר *omnes deſcendentes ad pulverem.* Haec equidem hic non expedio, ipſi mihi dubia; nec omnes conquiro antiquorum et recentiorum interpretationes, commentatoribus relinquendas. De una dicendum verſione Syriaca, quae mire, *omnes famelicos terrae* habet. Hoc quomodo ex דשני effici potuit? Geierus: *forte reſpexit ſignificatum cineris, quia miſeri et famelici in cinere et pulvere terrae victitant.* At vero ſic potius *miſeros* interpretaturus erat. Mihi quidem duarum in mentem venit conjecturarum, quarum alterutram lectores aut praeferant, aut, ſi ita viſum fuerit, repudient ambas. 1) Uſusne eſt, quo ſaepe in interpretando veteres uſi ſunt, antiphraſis artificio, ut *pingues* ſint, *minime pingues*, *eſurientes.* 2) Legitne per Reſch רִשְׁנֵי? رشن eſt, *qui non invitatus ad epulas venit, ac ſine venia adſidet*, quod quidem apud Arabes pro late patente hoſpitalitatis jure ſaepe fieri ſolet.

דִּשְׁרָה *aegilops.*

Nomen Rabbinicum, nuſpiam in codice Hebraico occurrens, licet veteri Hebraismo abjudicari vix poſſit, linguis cognatis, Arabica et Syriaca illud habentibus: ſed de quo hic dicere neceſſe eſt, quod ignotum vocabulum שׂוּרָה, vel, ut alii codices quatuor Kennicottiani habent, שׂרה, Jeſ. XXVIII, 25. legenti, vel invito ſuboritur ſuſpicio atque adblanditur, דִּשְׁרָה ſubſtituendum eſſe, notiſſimum Judaeis, huicque loco aptiſſimum alicujus frumentorum generis nomen. Quinque nempe frumenti genera habet verſus Jeſaiae, tria notiſſima, חִטָּה, שְׂעֹרָה, כֻּסֶּמֶת, (*triticum, hordeum, zeam*) duo de quibus anquiritur,

tur, שרה et נסמן, (ita interpretibus obſcura, ut non pauci, invita etiam grammatica pro adjectivis habuerint, alii, ut LXX et Syrus, omiſerint): totidemque frumenta, ex quibus panis fiat, offerrique poſtridie paſchae primitiae poſſint, Thalmudici numerant in tractatu פסחים c. II. §. 5. (editionis Surenhuſii T. II. p. 140.) חטין שעורין כסמין (*triticum, hordeum, zeam*), haec ſatis nota inſuperque de quibus ambigere poſſimus, שיפון ושבלת שועל *Schifon* (Graecum σίφων, idem quod αἰγίλωψ, aegilops) *et ariſta vulpis*, ex quibus quartum שיפון, Graecum origine, ſua Rabbini lingua דשרה, vel Chaldaice, דִּשְׁרָא interpretari ſolent. Jam quis has frumentorum enumerationes legens,

חטה	–	–	*triticum*	–	–	חטין
שערה	–	–	*hordeum*	–	–	שעורין
כסמת	–	–	*zea*	–	–	כסמין
שרה	–	–	?	–	–	דשרה
כסמן	–	–	?	–	–	שבלת שועל

non ſuſpicetur, duo ultima eadem eſſe, et vero pro ignoto שרה linguae uſu tritum דשרה reſcribendum? Haec quidem ita non ſolum ſponte ſe offerunt, ſed pene obtrudunt, ut mirer, nemini interpretum emendationis criticae in mentem veniſſe, nullum librarium in codicibus Kennicotto collatis eam tentaſſe. Nec equidem is ſim, qui tentare velim, multoque minus meo ſic periculo legi jubere: cum tamen veri non diſſimilis ſit conjectura, ac vel ea repudiata, veriſimillimum tamen atque a certo proximum, שרה Jeſaiae et דשרה Rabbinorum ſynonyma eſſe: de דשרה vel in lexico Hebraico agendum.

Quidquid ſit, inſignis Jeſaiae locus, quinque frumentorum genera habens, poſtque tot interpretum curas obſcurus, vel potius a pleriſque deſertus ac derelictus, poſcit, et de דשרה Judaeorum, Thalmudi-

mudicoque ejus synonymo שיפון, Cilaim c. I, 1. Pesachim c. II, 5. obvio, dicamus.

Recentiorum quidem doctissimi, quippe qui in septentrionali Europae parte vixerunt, Thalmudis, Rabbinicorumque vocabulorum interpretes, non dubitanter דשרה et שיפון *secale*, (*Rocken*) שבלת שועל *avenam*, et vero nostram pinguem, (*Hafer*) intelligunt: sic, ut maximos ac prope contradictione majores omni, ubi tam sunt unanimes, nominem, Buxtorfius in lexico Thalmudico-Rabbinico, Surenhusiusque et Joannes Jacobus Rabe, in Mischnae versionibus latina et germanica.

Sic quidem bene nobiscum ageretur, habiturique in Palaestina eramus, et Thalmudicorum, et vero, nisi fallor, ipsius Jesaiae tempore, omnia nostra quinque, ex quibus panis conficitur, frumenti genera, *zeam*, *triticum*, *hordeum*, *secale*, *avenam*. Est tamen aliquid hac in re suspecti: secale enim meridionales terrae illo sub climate, cujus Palaestina est, vel hunc usque in diem non habent, multoque minus habuerunt olim: habebat septentrionalis sub Alpibus Italia, reliquae ita ignotum, ut Plinius, *secale*, inquiat l. XVIII, §. 11. *Taurini sub Alpibus Asiam vocant, deterrimum et tantum ad arcendam famem, foecunda sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere praecipuum. Admiscetur huic far, ut mitiget amaritudinem ejus, et tamen sic quoque ingratissimum ventri est*. Vides de exotico eum loqui frumento, et perhorrescere quod non noverat; certe nos Germani aliter de eo sentiemus. Avenam, eam qua equi nutriuntur, (avenam frumentum, a cassa veterum avena omnino distinguendam) antiquos ignorasse, meridionales certe populos, communis est sententia: in sacris certe literis equi ubique, non avena, sed ut hunc usque in diem in Africa Hispaniaque, hordeo nutriuntur. Miror, viros doctissimos, secale

le avenamque Thalmudicis tribuentes, hoc dubium non modo non solvisse, sed ne attigisse quidem, ac plane de eo non cogitasse. Forte qui de frumentis scripserunt recentiores naturae historici et oeconomi, errarunt, antiquo orbi meridionali secale et avenam abjudicantes: sed donec erroris convincantur certisque testibus edocear, haec frumenta in Palaestina domestica esse, ac coli, et vero jam antiquis temporibus in illa aut vicinis regionibus culta fuisse, non puto Thalmudicos, nedum Jesaiam, de illis loquutos esse.

Sed et aliud *secali* Thalmudicorum et Judaeorum magnopere obstat, ipsum nomen, aliud omnino vegetabile denotans: Thalmudicum שיפון, ut jam vidit Rabius, licet non intelligens quo id pertineat, quamque sit suae versioni Thalmudis contrarium, graecum σίφων est, quo apud illos nomine aegilops vocatur, gramen aristas efferens, sed a secali diversissimum. Vide ejus delineationem in *Matthioli epitome de plantis cum iconibus Joachimi Camerarii*, editionis Francofurtanae anno 1586 factae pag. 927: Germanis *Bartgrass* dicitur. Ipsum adeo דשרה nomen ex usu Syrorum Arabumque aegilops. Syriacum quidem ܕܘܫܪܐ Castello teste, *aegilops herba*, *item*, *lapathi acetosi species*. Nec aliud دَوْسَر Arabum. Ipse quem vix dum citavi Matthiolus, aegilopis descriptioni nomen praemisit: *aegilops*, *sive festuca*, αἰγίλωψ, *Arabibus Dausir*, *Dauser*, *sive Daser*, *Italis Egilopo*, *sive Orzo salvatico*. Insignem Ebn-Jazli, medici, locum excerpsit Wilhelmus Guisius in notis ad Mischnam, (edit. Surenhusii T. I. p. 110.) هو حشيشة يشبه ورقها ورق الحنطة لكنها الين وله ثمرة لها حجابان او ثلثة وعليها شبه الشعر *est vegetabile cujus folium folio tritici simile, nisi quod mollius, fructum ferens, cui duo aut tria involucra, et circa aliquid crini simile:* monens, exigua lectionis aut varietate aut mutatione sumtum ex

ex his Dioscoridis, *Αἰγίλωψ βοτάνιον ἐστι φύλλα πυρῷ ἔχον ὅμοια, μαλακώτερα δὲ, ἐπ' ἄκρας δὲ τῆς κεφαλῆς καρπὸν ἔχον β' ἢ γ' ἐρυθρούς, ἐφ' ὧν ἀθέρες οἱονεὶ τρίχες ἐκπεφύκασι.* — — Est et de his dicendum, quae obscuriuscule, ac forte ne ipse quidem satis intelligens Golius in lexico Arabico ex Camuso habet: دَوْسَر *lolium, item fem. res quae manditur.* Nempe duplex agnoscit Dausar, plane ut Thalmudici, interpretibus hic non satis intellecti,

1) *quod comeditur.* Hoc jam quaeso quale est? Idemne, de quo hucusque loquuti sumus, aegilops Graecorum, in oriente cultum grana effert quae cibo esse, inque panem coqui possint? An hic ipsum secale intelligendum. Thalmudicos consentire dixi, namque et hi שיפון in tractatu Pesachim in frumentis numerant, quorum primitiae festo paschae offerri possunt, iidemque, ut statim videbimus, in tractatu Cilaim שיפון eodem genere quo lolium habent.

2) *lolium*, (زِيوان) quod quidem nomen non proprie hic sumi putem de *lolio temulento*, *quod tritico adnascitur*, sed latius, de gramine minus felici, quod aliis frumenti generibus pro lolio est. Sic quidem clare Thalmudicis in ipso tractatus Cilaim initio idem שיפון Zeae est, quod tritico lolium. Nimis illi laxe, legisque ut puto Mosaicae imperite sic statuentes, החטים והזונין אינן כלאים זה בזה השעורים ושבלת שועל הכוסמין והשיפון *triticum et lolium, non sunt heterogenea, nec hordeum et spica vulpis, nec Zea et Siphon.* Adde similem Plinii locum, sed ubi hordeo adnasci dicit, libr. XVIII, §. 44. n. 3. *Est herba quae cicer enecat et ervum circumligando se, vocatur orobanche: triticum simili modo aera*, (aliud lolii nomen), *hordeum festuca, quae vocatur aegilops.* Haec quidem *aegilops festuca* eadem qua latinis *avena* dicebatur, inanis nempe,

nempe, nobis Flughaber dicta, ipse enim Dioscorides auctor, aegilopa latinis ἀβένα dici.

De his quidem omnibus tum demum aliquid certi statuere licebit, ubi Palaestinae aut regionum sub eodem climate indigenae aut certe agriculturae et oeconomiae satis periti, ad hanc responderint, quam eis propono, duplicem quaestionem:

1) *habetne Palaestina secale et avenam* (frumentum); *et vero jam a longo tempore? Docerine potest, regiones australes haec frumentorum genera jam olim habuisse?* Hoc si docuerint, in magno fere omnes naturae peritos nostri temporis versatos errore fuisse fatendum erit.

2) *Coliturne in frumenti modum alicubi aegilops? exne ejus granis uspiam panem conficiunt.*

דָּת *lex* Esther. I, 13. III, 8.

Vocabulum, linguis, Syriacae, Arabicaeque ignotum, utque mihi videtur, barbarum, a Chaldaeis ex septentrione primo suae linguae importatum, legitur enim jam aliquoties in Chaldaicis Danielis, ac deinde in sequiorem Hebraismum libri Estherae receptum. Hebraicos quidem natales qui ei comminiscuntur, a radice ידע novit, pro דַּעַת *scientia*, i. e. *sententia*, Hebraicae linguae perquam fuerunt ignari, ex cujus legibus litera Ain non excidit. Antiquitus Aramaeum si esset, habitura erat lingua Syriaca, aeque ut Chaldaica Danielis: sed Syriaca plane Dath ignorante, ad barbaras origines ejus populi, qui Babylone potitus linguam Aramaeam a victis accepit, illique sua quoque vernacula vocabula passim intulit, referendum. Medorum linguae jam olim adscribebat *la Croze*, (vide Beausobre histoire des Manichéens T. II. p. 621.) me quidem, hac de re interrogantem, primus admonuit Büttnerus, Persicum esse, (sed quam nos Persicam lin-

linguam dicimus, ea forte verius Medica, quam exilis provinciae fuerit) دان Persis inter alia esse, *justitiam*, *aequitatem*, caeterum Persas in fine vocis *Th* plerumque respuere, ut hic litera *D* contentus esse possim. Verum et aliae septentrionalis Asiae linguae, ex quarum vicinia Chaldaei eruperunt, idem nomen habent: Armenis DAT est *judicium*: vide *Schroederi thesaurum linguae Armenicae p. 19.*

Haec si vera, non debet vocabulum in Mose quaeri, qui nihil harum septentrionis Asiae barbararum linguarum habere in communi usu potuit, non Deut. XXXIII, 2. אשדת dividi in אֵשׁ דָּת, ut fecerunt Judaei, et exponi, *ignis legis.*

ה articuli, et interrogativum.

He articuli, de cujus non solum praefixione sed et usu in grammatica dicendum, idem est Arabico أَلْ exque eo ortum. Nempe 1) Eliph Arabicum, et vero, ut in Arabica grammatica doceri solet, prostheticum, (vide grammaticam Arabicam §. 11.) Hebraeis in He transit, plane ut Eliph conjugationis VII إِنْقِتَال in infinitivo Niphal, הִקָּטֵל. 2) L ob frequentem usum eliditur et per Dagesch forte compensatur. Nempe, quod Arabes, nec scribendo sed loquendo, ante solas faciunt literas solares, (gramm. Ar. §. 7.) idem Hebraei ante omnes literas et loquendo faciunt et scribendo. Caeterum est in hoc linguae Arabicae simillima Hebraica, quod articulum, et vero eundem habet, alteri sororiae linguae Aramaeae negatum.

Interrogativum, quoties per Patach sequente dagesch forti praefigitur, ex Arabica interrogandi particula هَلْ ortum. Aliter de He per Schwa praefixo הְ sentiendum: sed vereor, ut recte masorethae hoc ei punctum subjecerint; nulla certe ratio adparet, cur id fecerint, nec eodem ubique modo punctarint.

He

He in כי התחת אלהים אני Genef. L, 19. perquam moleftum, interrogatio enim, *num deo fubjectus fum*, non poffet non negative accipi, quod fententiae plane contrarium. Nec varietas lectionis fuppetit, praeter Samaritanam, חתחת, quam fuo loco fub ח quaere. Ex confveta lectione, quae et mihi videtur vera, ה idem fignificare videtur, quod fequens הָא, id eft, five, *ecce*, five adeo valde adfirmative et prope ut jurantis, *certe Deo fubjectus fum*. Sic quidem Arabes fuum هَا aliquando in jurando ponunt. – – Apud Arabes quidem, quamquam rarius, هَا in initio vocis pofitum Eliph fuum amittit, ut هَـنَـاذَا 2 Tim. IV, 6. *jamjam*, הֲנֵה זֶה, multoque frequentius in هَـذَا, هَـذِهِ &c. ex ذَا Hebr. זֶה Vide et infra הנה ex הא et هَا ortum.

הָא *ecce*, *accipe*, Genef. XLVII, 23. Ezech. XVI, 43.

Particula demonftrantis et porrigentis, Hebraeis rariffima, quippe quibus ob frequentiorem compofiti הנה ufum pene in defvetudinem abiit, at reliquis fororiis linguis perquam ufitata. هَا Arabum lexicographi explicant per خُذْ *cape*, *accipe*, quod loco Genef. XLVII, 23. eximie aptum. Habent et Chaldaei, Samaritani, et longe frequentiffime, fed alia vocali fubjecta (ܗܳܐ) Syri, unde et his pronomen ܗܳܢܳܐ ortum.

Duobus locis, ubi legitur, tertium forte ex conjectura addideris Jef. XIX, 5. difficillimum verbum והאזניחו in duas voces divifum וְהָא זָנִיחוּ legens, *et ecce foetent brachia Nili omnia*. Sic foret praeteritum Peil Chaldaeorum. — Nec fententiam dicere exiftimari velim, fed aliquas dubias fuppetias comiter ferre lectioni aut voci fingulari.

 Haec

Haec, nisi fallor, particula literae He nomen dedit, quod et Origenes ad Thren. I, 3. *ἀυτη*, interpretatur. Figura antiqua quae ad Graecos transiit, Ɛ, possit esse, digitum indicem inter duos adjacentes digitos extendentis. Sed de his plura in grammatica ad alphabetum.

הב Num. XXI, 14. Jes. XXVII, 8. *turbo?*

Non difficillima modo, sed et, ut nunc leguntur, omni sententia cassa sunt verba, Num. XXI, 14. אֶת־וָהֵב בְּסוּפָה. Ausimne, suppetias laturus, aliter literas in verba dispescere, aliis instruere punctis: אִתּוֹ הָב בְּסוּפָה *cum ipso ventus in procella?* هَبَّ Arabibus est, *flavit*, unde هَبَاب *ventus fortior.* Reliquam constructionem expedire hujus loci non est, id tamen unum moneo, si יהוה praecedens, ut faciunt aliqui, cum his verbis construxeris, sententiam futuram, *Jehova est cum ipso, flatus venti in procella:* sin aliter pro יהוה (suspecto hic nomine) legeris, et aliam prodituram sententiam.

Eodem et referre ausim, aliter divisis in voces literis, Jes. XXVII, 8. הָג הָב רוּחוֹ הַקָּשָׁה *flavit turbo venti ejus impetuosioris.* Vide infra הגה.

הֶבֶל *halitus, pulvisculus, orbitas.*

Propriam vim nominis esse, *halitum* qui frigido aëre oculis cernitur, sed mox disparet, satis notum: vide Coccejum, Thalmudicos et Rabbinos citantem, usumque insuper nominis Chaldaici Ps. XC, 9. Sic Aquila Cohel. I, 2. *ἀτμὶς ἀτμίδων*, et Symmachus, *ἀτμὸς ἀτμῶν*, etymon etiam alieno loco nimis exprimentes solicite. Addiderim his Syrum, qui Ps. LXII, 10. CXLIV, 4. ܠܗܓܐ *vaporem* habet: posteriore loco Arabs Antiochenus خَبَاءٌ vertit, sed vitiosum puto pro هَبَاءٌ quod in Polyglottis legitur, et *atomos, pulverem subtiliorem*

fumi

fumi instar dispersum notat, a هبا *elatus fuit*, *volitavit.* Forte utrumque et הבל significavit, ob summam similitudinem: ad seriem certe orationis Ps. LXII, 10. *pulvisculus* paulo etiam aptior, cum librae ibi imponatur: contra Prov. XXI, 6. Ps. CXLIV, 4. ex *halitus* significatione eximie lucent.

Arabibus contrariam prima fronte significationem habere videtur, quibus مُهَبَّل est, *carne nimia gravatus.* Schultensius in notis ad Hamazam pag. 282. 283. proprie verbum esse putat, *turgere*, unde et pinguedo dicatur, et phaenomenon inane. Refero, nihil adhuc certi de Arabico مهبّل statuens. Id quidem certum, in aliis Arabicis derivatis significatum Hebraicum consvetum, *spei deceptae*, et *vanitatis* superesse, ut in هَبْلٌ orbitas, suspicorque adeo ipsi Habelo ab *orbitate matris* nomen הבל ductum fuisse, non quasi Hebraice Eva jam locuta sit, sed quod nomina antediluviana in suam linguam servata significatione Moses transtulit.

הָגִיג *depressior sonus*, *fervor*, *deliratio.*

Bis occurrit, sed diverso ut videtur significatu Ps. V, 2. XXXIX, 4. Mirum, lexicographos ad radicem הגה retulisse, atque adeo, veterum nemine praeeunte, *gemitum* vertisse, cum radicem הגג, quam grammatica poscit, utraque offerat sororia lingua, Arabica et Aramaea, tot quidem significationibus, ut prope eligere pro lubitu liceat.

Ps. V, 2. *clamorem* praeiverunt LXX. et Vulg. κραυγή. Syrus retinuit, ܗܓܝܓ, (quod lexica quidem Hebraica sequutus, et ad ܗܓܐ referens, Gabriel Sionita ܗܓܝܓ punctavit) idque Arabs Antiochenus, ضُجَاء *clamorem* vertit. Arabibus quidem هَجّ sonus naturalis est increpantis, unde هجهج *increpuit.* Est certe *clamoris* significatio illi

illi loco eximie apta, fateor tamen etymologiam quam attuli Arabicam nondum omni ex parte satisfacere.

Chaldaeus Ps. 5. רְנוּנִי quod vertunt, *meditationem meam*, et Ps. 39. רנני. Cum tamen רְנוּן etiam sit, *canticum*, et oppositum, *triste murmur*, suspicor hunc aut de cantico cogitasse aut de querela. In sua certe versione *murmur* Hieronymus posuit, sed in Vulgatam non receptum.

Sunt tamen et qui meditationem vertunt, LXX. Vulg. et Hieronymus Ps. 39. nec negandum aliquem cognatum, sed fortiorem significatum, ܗܓܓ *imaginatus est*, ܗܓܓܘܬܐ *phantasia*, φάντασμα Marc. VI, 49. in versione Philoxeniana.

Syrus denique Ps. 39. ܒܓܘܫܡܝ *in corpore meo* vertit, aliter legisse visus S. R. Dathio in notis ad psalterium Syriacum: quamquam forte potuerit et corpus a *cavitate* dictum putare, Arabibus enim هجّ inter alia, *cavus fuit*.

Copia laboramus sententiarum, certi et liquidi inopia.

Meam sententiam ut dicam, eo de loco ordior, qui prima fronte difficilior, sed forte explicatu certior, Ps. XXXIX, 4. Arabibus هجّ inter alia, seu potius ex prima vi, idem quod أجّ *arsit, ferbuit*, ipsaque jam lexica notant هجيج idem esse quod أجيج *ardorem ignis*. Celeritatis quoque notio utrique verbo communis. Hinc et *imaginationem* Syri dicunt ipsasque adeo imaginationis filias, spectra, et Arabes, *stultitiam*, eam maxime, quae sui semper cerebri est, obstinationem stolidam. Hae quidem significationes omnes radici per ה scriptae non propriae, sed ex altera per א adscititiae. Hinc jam Ps. XXXIX, 4. בהגיגי תבער אש interpretaberis, *in aestu meo exarsit ignis*, aestum quidem animi intelligens, vecordiam illam, quae provi-

providentiae factis irascitur. *Aestum et delirium phantasiae* circumloqui possis.

At jam psalmo quinto quid faciemus, cui haec significatio plane non apta? Utinam *clamorem* consensu linguarum orientalium stabilire possim! Sed hoc donec fiat, sic rem instituo. Vera et primigenia verbi هجّ significatio, *depressus fuit*, hinc existimem, *depressiorem sonum* dici, i. e. tristem, illum ipsum, quem Hieronymus, forte et Chaldaeus, *murmur* dixit. Sic quidem ad *genitum* lexicographorum redierimus, sed alia via, quam grammatico probare possimus.

Ad radicem הגג referre quoque ausim, sed aliis instructum punctis, הֶגֶה *phantasma* Ps. XC, 10. Eximia certe sententia, *absolvimus annos nostros ut phantasma, ut aliquod imaginationis somnium.* Vide tamen et infra sub הָגָה.

הָגָה

1) Quam *amovendi* significationem verbo dederunt, a Reuchlino inde, qui eam Judaeis crediderat, tralatitia inque lexica recepta, eliminanda videtur. הָגָה 2 Sam. XX, 13. Proverb. XXV, 4. 5. ad aliam radicem יגה, quam suo loco vide, referendum; הגו Jes. LIX, 13. ad consvetam *meditandi* animoque volvendi significationem. Nec reliquae eam habent linguae orientales.

2) Contra, *legendi*, significatio, ex iisdem sororiis linguis verbo Hebraico Jos. I, 8. Ps. I, 2. danda. Arabibus هَجّا pro هجو est, *voces syllabatim efferre, literas in syllabas connectere, ut tirones legere discunt*, ipsumque inde alphabetum تَهَجّي, Syris ܐܬܗܓܝ legit, ܗܓܝܬܐ *syllaba*, ܡܗܓܝܢܝܬܐ *signum diacriticum docens voces, maxime carminis, legitime in syllabas dispescere.* (Grammat. Syr. §. 15.) Meditandi quidem significatio loco Josuae c. I, 8. vix apta, lex

lex Mosis vivente Josua lata ita illi clara et perspicua, ut lectione non meditatione opus esset: phrasis psalmi I. manifeste ex Josua sumta. — Caeterum meminerimus et alia antiquarum linguarum legendi verba, ut ipsum Hebr. קרא, ex etymo eam, quae alta voce fit, lectionem designare.

3) Quin videtur ipsa propria, *syllabatim pronuntiandi* notio egregie quadrare loco Jesaiae c. VIII, 19. ubi אבות i. e. qui mortuos ab inferis sistunt, describuntur ut מהגים ומצפצפים: umbras qui simulant, non sua consveta voce loquuntur, sed syllabatim, exili sono, ut paulo clarius paucae literae F S audiantur. Alii, *gementes*, LXX. paraphrastice, ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσι, Chald. נהם *rugire*, Syrus ܢܓܐ *cantillare* habet, quod ultimum meae explicationi proximum.

4) *Meditandi* significatio, apud Hebraeos usitatissima, dubio caret, confirmaturque linguae Syriacae sub ܗܓܐ et ܐܬܗܓܐ consensu. Exempla non adfero, quod ex Castelli Schaafiique lexicis peti possunt. Nomen forte ab ipsa aut lectione aut syllabaria pronuntiatione accepit.

5) Loquendi significationem cum num. 2 et 3 conjunctissimam, plane non in dubium voco, sed quod de ea lexicis addam, non habeo.

6) De *tonitru* Job. XXXVII, 2. *voce leonum* Jes. XXXI, 4. cum ponitur, proprie *murmur* esse videtur, quo et refero Jes. XXXVIII, 14. LIX, 11. namque et columbarum aliquod altius et sonantius murmur. Chaldaeus et Jes. XXXVIII, 13. שויתי vertens, *rugiebam*, הגיתי legisse videri possit. Hanc unde significationem habeat, pro certo non dixerim; forte a radice הגג adscititiam.

7) Obscurissimus locus est Jes. XXVII, 8. הגה ברוחו הקשה ביום קדים. *Meditari*, quod habent LXX. Theodotio, Syrus, Hieronymus, Vulgata, loco ineptum; hoc enim quid est, *meditari in*

vento

vento ſuo duro? nec licet, ut voluit Hieronymus, רוח *mentem* ſeu *ſpiritum Dei* interpretari, ob ſequens ביום קדים. Eandem ob cauſſam et repudiandum, quod Chaldaeus habet, *locutus eſt ſermone duro.* Recentiores omitto, atque Rabbinos commentitiam *removendi* ſignificationem loco aptantes.

Lectionem vocalium ſi ſervare et explicare neceſſe eſt, malim ſive et hic הגה de *murmure* ſed graviore venti accipere, ſive cum Arabibus هجا inter alia ſit, *ferbuit dies*, Eurusque ſit urens ventus et aeſtivis menſibus prope igneus, *ferbuit vento*, aut ſi malis, *halitu ſuo die Euri.* Hoc quidem in verſione germanica ſequutus ſum. — — At cum هيج proprium ſit Arabibus de vehementiore venti flatu verbum, ſuſpicor aliter literas diſpeſcendas, הג הב רוחו, de quo vide ſupra ſub הב et infra ſub הג pro היג.

הֶגֶה Pſ. XC, 9.

Vocabulum magis dubium, quam recentiorum interpretum pleriſque viſum eſt. Eximiam ſententiam fundit, quam non pauci ſumunt, *confabulatio*, ut fere legentem ad aſſentiendum cogat: inter confabulandum quam cito tempus perit? miramur jam finem imponi! ſic quoque vita noſtra. Sed unum pulcherrimae explicationi deeſt, exemplum הגה ulla in lingua orientali de confabulatione poſiti: aliud enim eſt, loqui, aliud, confabulari. Auctores tamen indicandi quibus ducibus ad nos migravit: Hieronymus *ſermonem* verterat, ex hoc Lutherus, *wie ein Geſchwätz*, hoc duce, ut ſaepe alias, late vulgata interpretatio.

Praeter Hieronymum nemo veterum praeivit. Chaldaeus, *vaporem oris* (הבל פומא) *in hieme* vertit: hoc unde? Legitne הבל? an putavit, ſermonem a halitu dictum, aut pro halitu poni? Adpellavitne, ut ego ſupra הֶפֶה (p. 493.) putavitque phantasma pro halitu disparente poni? N. L.

Nec

Nec magis liquet, unde LXX, Vulg. Syr. *araneum* habeant? plane enim in linguis orientalibus sub his literis non comparet araneus.

Mirum, neminem vertisse: *ut querelam*, *gemitum*, i. e. tristes et gementes. Concineret sane praecedens membrum, *dies nostri fugiunt ob iram tuam, consumsimus vitam nostram gemendo.*

Varietas lectionis, ex quibus versionum antiquarum ratio reddi posset, nulla comparet: 15 codices Kenn. per Aleph habent הגא sed id nihil ad rem, intellectuque adeo difficilius هَجَأَ est, *famem sedare.*

Quid mihi de nomine הֶגֶה adpellando videatur p. 493. dixi.

הִגָּיוֹן Ps. IX, 17. XCII, 4.

Vocabulum bis his punctis lectum, male, ut videtur, a multis *meditatio* vertitur, quae significatio psalmo 9. languida, ps. 92. a serie etiam orationis et constructione cum עלי aliena.

Ὠδήν Ps. 9. vertunt LXX, Aqu. Symmachus, Ps. 92. LXX, Vulg. Hieronymus, nec negari potest, recte a syllabaria pronuntiatione (vide p. 493. 494.) seu scansione carmina ita dici potuisse. Est et priori loco significatio egregie apta: *opere suarum manuum illaqueat nocentem: o carmen!* i. e. *o rem carmine dignam*, maxime cum Arabibus ex usu linguae هَجَا et أُهْجِيَّة peculiariter sit, *carmen satyricum*, هَاجٍ *satyricus poëta*, هَجَا *carmine satyrico insectatus est*, quin et latius, *contumeliose maledixit*, forte a fervore et ira. Hoc ergo et in versione germanica sequutus sum.

Difficilior alter locus psalmi 92, ubi et filum orationis et constructio cum עלי instrumentum potius musicum aut chordas, quam carmen poscere videtur. *Chordas* quidem magnopere commendat sequens בכנור, *super chorda in cythara?* Sed unde illa dicta? Num a sono?

(vide

(vide p. 494. n. 5. 493.) certe et, *sonitum*, in psalmo 9. reddidit Hieronymus (*corruit impius sonitu*) et רְנָנַת Chaldaicum, quod alibi solent meditationem vertere utcunque de aliis locis sentias, certe psalmo 92 sonus musicus est, φθόγγος, עֲלֵי רְנָנַת בְּכִנָּרָא. Quamquam et a scansione poëtica ac musica chordis nomen duci potuerit, eaeque tanquam syllabae citharae dici. Nondum liquet, possit enim et aliud in cithara הִגָּיוֹן vocari.

Thren. III, 62. sine Dagesch הֶגְיוֹנָם legitur. *Meditationem*, *consilia*, plerumque vertunt, alii *sermocinationem*: utrumque filo orationis aptum, sed et *canticum*, *cantilena*. Hoc de loco nihil definire ausim.

הָגָר *Hagar.*

Nomen ita concinit factis fatisque Hagarae, ancillae Sarae thorique sociae, ut vix putem a parentibus inditum, sed cognomen esse, ut plura historiae antiquae in nomina abeuntia, (vide spicileg. geogr. T. II. p. 76. 77.) هجر *fugit*, notissimum Arabum verbum, hinc הגר *fugitiva* dicta, ob historiam Genes. XVI, 6 - 16. narratam. Aegyptiae quidem natu a parentibus nomen Hebraicum inditum fuisse haud opinabile.

Hanc si nominis originem cognitam habuisset Philo, quid non in ea mysterii inventurus fuisset? At hanc ignorans, vir linguae Hebraicae parum peritus, audierat forte ab alio male perito, quod libris suis intexuit, παροίκησιν significare, ex qua encyclicas mystico acumine effecit disciplinas, per quas ad virtutem praeparemur. Vide illum libr. III. *de legibus allegoricis*, T. I. Mangeyanae editionis p. 135. et *de congressu*, ejusdem tomi p. 522. Nempe ad גור *peregrinari* referebat, ac si esset Hiphil. Hoc quidem in Eusebiana et Hieronymiana onomastica receptum, et auctum: vide T. II. Operum Hieronymi p.

 98.

98. Ἀγὰρ, παροίκησις, *advena*, vel *converſa* p. 142. Ἀγὰρ, αὕτη προσήλυτος, ἢ συντρέφουσα, ἡ προσηλυτεύουσα *Agar proſelyta, vel ſimul nutrix, aut advena eſt.*

Ratio etiam reddenda dicti Paulini Galat. IV, 25. τὸ, Ἀγὰρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, *vocabulum enim Agar Sinai mons eſt in Arabia.* Vere illud dictum: حَجَر *ſaxum, petram* ſignificat, unde κατ᾽ ἐξοχὴν mons Arabiae inter ſinum Heroopolitanum et Aelaniticum longe altiſſimus, Sinai, أَلْحَجَر, quo et nomine Muhammedes uſus, ubi ex petra percuſſa fontem erupiſſe tradit. Hoc quidem nomen per Chet Hebraice ſcribendum, חגר: verum in illo ح etiam mollius, atque ut ה adpellatur. Sic *Petra*, Arabiae Petraeae metropolis, Arabibus quidem حجر Syris autem ܪܩܡ ſcribitur. Vide Aſſemani bibliothecam Orientalem T. III. P. II. p. 753.

הַגְרִים vel הגריאים *populus ad ſinum Perſicum.*

Populi nomen eſt ad orientem Gileaditidis, cum quo tribus transjordanenſes Sauli tempore bellum geſſerunt, ob paſcua, ut videtur, quibus ad Euphratem usque potiti ſunt, 1 Paral. V, 10. 19. 20. iterumque Pſ. LXXXIII, 7. inter hoſtes Davidis numerati. Vix dubium, quin idem ſit, qui Arabico nomine iisdem literis هَجَر ſcribitur, ad ſinum Perſicum, ubi in d'Anvilliana Aſiae delineatione, gradum inter longitudinis 65 et 69 invenies, *Heger, ou Baharain.* Nempe et tota regio Baharein alio nomine هَجَر (Hegr) dicitur, eodemque et nomine urbem habet primariam. Vide Nubienſem pag. 122. verſionis latinae, copioſiorem Abulfedam in deſcriptione Arabiae, pagina (editionis, quae mihi jam ſola ad manus eſt, Gagnierianae) 49. 50. et 54. Invenies etiam in chreſtomathia noſtra Arabica p. 95. 96. Avum Caiſi qui occiderat, habitaſſe dicitur in هجر a quo vindictam repe-

repetiturus sanguinis Caisus regionem Baharain petiit. Qualis nunc sit status urbis, satis florentis, et regionis هجر, disces ex *Niebuhrii descriptione Arabiae* p. 339–342. Populus magnam partem Nomadicus, qualem et Sauli tempore fuisse praeda ex victo populo reportata 1 Paral. V, 21. et nomen אהליהם v. 10. argumento est. Verisimile, Jazizum, summum ovium Davidis praefectum, qui 1 Paral. XXVII, 31. ההגרי dicitur, ex eadem gente fuisse.

Defectui cognitionis et subsidiorum geographiae Arabicae tribuendum, quod doctissimi etiam ex Judaeis et christianis interpretibus, cum nihil ignorare statutum haberent, Ismaelitas hoc nomine, ab Ismaelis matre Hagara praeter morem Hagarenos dictos intellexerunt: quod quidem patri meo suspectum videri coepisse, ex annotatione disco, quam Simonis Onomastico p. 367. adspersit: *dubito, quia Hagraei Ps. LXXXIII,* 7. *ab Ismaelitis Hagarae posteris distinguuntur.* Melius paulo de incolis urbis Petrae, حجر Arabibus, Syris autem ut supra monuimus ܚܓܪܐ dictae cogitassent: sed nec illa capiti quinto Paralipomenorum apta, diserte hostes *ab oriente Gileaditidis* memoranti, cui Petra ab Austro est.

Portentum interpretationis est, quod habet et psalmorum et chronicorum versio Chaldaica, Hagarenos in *Hungaros* (הוּנְגְּרָאֵי) mutans, vide Matthiam Fridericum Beckium in notis ad Chald. Chronic. paraphrasin. LXX. 1 Paral. V, 10. παροίκους verterunt, ac si esset a גור, reliquis vero ejusdem capitis versibus, Αγαραίους. Syrus in psalmo *Gedarenos* ܓܕܪܝܐ habet, sed errore, ut puto, librarii, Arabs enim Antiochenus مُهَاجِرُون vertens, alia omnia legit, ipsum forte nomen ܗܓܪܝܐ. Contra in chronicis habet Syrus *Arabes habitantes in Sacca* ܥܪܒܝܐ ܕܥܡܪܝܢ ܒܣܩܐ, Arabsque *incolentes* سَقَّا *Saccam*.

Saccam. Intellexeruntne Stephani (p. 581.) Σακχήνους, ἔθνος Ἀραβίων? hique ubi Saccheni habitarunt? Estne *Saccaea Bataneae pars orientalis ad Alsadamum montem*, Ptolemaei, libr. V. cap. 15. p. 140?

Ergo neminem nominare possum, meae explicationi succinentem, praeter Arabicum in Polygl. interpretem psalmorum: hic enim cum graece Ἀγαρηνοὺς legeret, ex hoc ipsissimum gentis ad sinum Persicum nomen, هاجريين reddidit: est enim notandum, bis id monente Abulfeda, nomen gentilitium ab هجر ortum anomalice per Eliph, quo primitivum caret, scribi, هاجري.

Caeterum quod Hebraicum nomen 1 Paralip. 5. הגריאים vel secundum alios codices הגראים scribitur, pro הגרים, paucissimis modo codicibus Aleph omittentibus, nihil ad significationem facit, sed orthographia est ejus libri peculiaris. Vide 2 Paral. XVII, 10. ערביאים.

הֵד Ezech. VII, 7.

Ἅπαξ λεγόμενον obscurius, de cujus significatione dubitatum est, potestque adhuc dubitari. Graeci interpretes quid senserint, verbis dicam Hieronymi, meas interspergens adnotationes. Sic ille ad hunc locum: "*verbum Hebraeum ADARIM, quod nos in duo verba* „*divisum* (*), *primum AD, secundum ARIM, juxta Theodotionem* „*gloriam montium* (**) *interpretati sumus, Symmachus vertit in* recra„stinationem (***), *dixitque:* et tempus prope est, dies festinationis „et

(*) Ergo Hieronymi tempore ut vox una legebatur.

(**) Potest omnino ita verti, si aliis vocalibus הד efferas: sed non apta oppositione ad praecedens יום מהומה *dies fluctuationis*. In gloriae significatione cum plerumque plene הוד scribatur, inspexi varias lectiones Kennicottianas, sed plene scriptum non inveni.

(***) Nempe ut unam vocem legebat הדהרים, (certe *montium* nullam facit in versione mentionem) הֲדָרִים *tempora, moras, longinquum tempus*, intelligens. Vide supra pag. 404. sub הדר.

„et non recrastinationis. *Porro LXX ita transtulerunt: adpropin-„quavit dies, non cum perturbatione, neque cum doloribus* (*).

Chaldaeus divisim legens, montium apertam facit mentionem, ולית לאשתיזבא במצד טוריא *nec dabitur in vertices montium aufugere, ibique tutum esse:* sed hoc quomodo ex הד efficere se posse crediderit, parum constat: quod enim ei explicando attulit Raschius, הד clamorem esse, *quo moneamur ad montes aufugere*, parum habet liquidi. Syrus totum comma, quod non intelligebat, omisit.

Recentiores, inde jam a Raschio, הד idem volunt esse, quod הידד, *sonum graviorem, celeusma*, nec deest etymon, Arabibus enim هدّ *sonitus major, fragor ruentis muri, tonitru*, quod et Simonis in lexico attulit. Depravavit quodammodo sententiam Coccejus, pro substantivo particulam, *euge montium*, substituens. Multo sane aptius, quem ipse citaverat, Lutherus, *das Singen auf den Bergen.* Bona sententia: *dies tumultus, non* (laeti) *clamoris montium*, exque reliquis, quae vocem in duas dividunt expeditissima, unde et in versione germanica sequutus sum. Cum tamen primo non adpareat, quid *montes* ad rem, cur *clamor* dicatur *montium*, nec potius clariore voce, *laetus clamor*, deinde nulla sit oppositio satis manifesta, *clamoris*, et *fluctuationis*, (in ipso enim clamore inesse fluctuatio potest, rerumque desperatio): denique cum antiqui codices Hieronymi adhuc tempore ut

(*) Habent illi, *ἡμέρα οὐ μετὰ θορύβου, οὐδὲ μετ᾽ ὠδίνων.* Video, etiam hos nullam facere *montium* mentionem, nec הרים separatim, sed cum praecedentibus literis junctim ut unam vocem habuisse: suspicorque per Resch, הרהרים legisse, quod ad הרה retulerunt, *partusque dolores interpretati sunt.* Sic quidem הָרָה Jes. XXVI, 17. vertunt, *ὠδίνουσα.* Unus codex, Kennicotto 112. dictus, aliis etiam lectionibus notabilis, hactenus concinit, ut הר per Resch habeat.

ut unam vocem habuerint, הדהרים : haec mihi quidem lectio, eaque ejus versio quam praeivit Symmachus, verisimilior videtur.

הוד *fragor.*

Ad هدّ *fragorem* referendum quoque arbitror, הוד קולו *fragorem vocis Dei* Jes. XXX, 30. fassus tamen, Vau, quod codex nullus Kenn. omittit, opponi mihi posse: sed et parata responsio, matrem lectionis esse, non radicale.

הֵידָד *celeusma uvas calcantium.*

Recte sic vocabulum Jes. XVI, 9. 10. Jerem. XXV, 30. XLVIII, 33. LI, 14. a lexicographis verti, in certis habeo. Sic jam Jerem. 25. Hieronymus, ex quo sumta versio, *celeusma quasi calcantium*, Syrus, ܗܘܒ ܗܘܒ ܐܝܟ ܕܪܘܣܐ ܢܟܪܙܘܢ *Johoi! Johoi! ut calcator canet:* (sic et c. 48. per ܗܘܒ exprimit, at c. 51. ubi ad hostile celeusma transfertur, triste et lugubre posuit, ܘܘܝ ܘܘܝ) eodemque Aquilae ἰασμὸς recte retulit Bielius in lex. T. II. p. 58. Quid sibi velit κατάληγμα, ibidem a Symmacho positum, utinam idem vir doctissimus expedivisset; sed in suo lexico omisit: forte illud non ad λήγω *finio*, sed ad ληκέω *resono* referendum.

Arabicum هدّ, quod de *sono graviore* ponitur, recte contulit Simonis, maxime de *sono maris in litore auditi*, qui inde هدّان, ut هدّانة *tonitru.* Illustrandae translationi confer Apoc. XIV, 2. ἤκουσα ὡς φωνὴν ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὡς φωνὴν βροντῆς μεγάλης, καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα, ὡς κιθαρῳδῶν κιθαριζόντων ἐν ταῖς κιθάραις αὐτῶν.

Magna constantia per Jod scribitur, vix uno codice Kennicottiano Jes. XVI, 10. illud omittente, cujus rationem satis probabilem reddere non possum. Ortumne ex naturali sono laetantium, qualem Syria-

Syriacum ܦܘܣ exprimit, cum radice in quadriliteri morem coalescente? N. L.

הדו *India.*

1) Esth. I. 2. VIII, 9. sine dubio est, *India* sic dicta pro הנדו: nec enim nobis solum, graecos latinosque sequutis, sed et Syris Arabibusque nomen cum N scribitur, ܗܢܕܘ et هند. Divisionem in هند *Hend et* سند *Send* hic non curo, quod in Estherae libro nomen generali significatione ponitur, utramque complectens: quodsi tamen et hoc de discrimine certiora scire volupe sit, Herbeloti consules bibliothecam orientalem sub his ipsis nominibus. Terminationem in U a Syris sumsisse libri auctorem, manifestum: vocales a masorethis male positas existimo, pro הִדּוּ, nec vel conjectura assequor, unde hic error.

2) Mirum videri possit Indiae mentionem in libris Hebraeorum antiquis, atque adeo in ipso Mosis pentateucho, nullam fieri, primam in historia Estherae, ac fuisse Hebraeis ante Persarum imperia in terris incognitis. In capite certe Genesis decimo Indiae aliquam mentionem exspectasses, proditumque, unde orti Indi, ab Hamo, an Semo: sed altum silentium, idque eo magis mirum, quod jam tum Phoenices mercaturam exercuisse Indicam videntur, per quos sane vicinis regionibus, et maxime Mosi, innotescere India potuisset. אהלים Num. XXIV, 6. non pauci *xylaloen*, arborem solius Indiae, interpretati sunt, quam si ut notam canit Bileamus, qui fieri potuit, ut in catalogo populorum Indos Moses ut ignotos omitteret? Hi quidem quid de Mosis silentio responsuri sint, non video, mihi, cum supra monuerim אהלים masculino genere non esse xylaloen, p. 34. 35. ille Bileami locus non molestus: nec tamen diffiteor, cupere me in populorum genealogia Mosaica aliquid et de Indis legere. Nomen ergo לודים bis

bis illo in capite obvium, v. 13. inter colonias Aegyptiorum, v. 22. inter posteros Semi, cum in Samaritano textu bibliorum Polyglottorum להרים scribi viderem, conjicere aliquid de India ausus sum, sed addito eorum nomini L articuli Arabum, per quos gentem habere cognitam Moses potuisset. Sed annus post annum semper aliquid spei, Indos in להרים inveniendi, demebat. Primo per He illo solo in versu scribebat codex Samaritanus, in quo minus mihi Indi placebant, quos malebam ad Semi progeniem pertinere: deinde evulgatis bibliis Kennicottianis discebam, unum modo codicem Samaritanum להרים per He habere; isque ipse paulo post minus etiam facere momenti visus, cum aliis exemplis intelligerem, Samaritanos, nescio quam ob caussam, saepe pro He Vau per errorem ponere. Vide biblioth. Or. T. XXII. p. 191. Accedit denique, quod, quo loco sub לודים Indos habere cupiebam, Semo ortos, Genes. X, 22. vix illi recte nominari posse videntur: Indos enim, Semo progenitos, quis medio loco inter Arrapachitidem et Aramaeos ponat?

Ergo in Mose quidem de *Indorum* nomine desperandum, nec video, alio ullam sub nomine eum Indorum mentionem fecisse. Ejus ergo tempore ad terras pertinuerint incognitas, ac si Phoenices Indica jam commercia exercuerunt, omnia celarunt alios, veriti, ne quis easdem adiret divites terras. In toto adeo Jobi libro, tot peregrina habente, quemque Mosis esse ipsius puto, nihil inveni Indiae soli peculiare, nihil, quod Arabiae et Africae interioris peritus poëta canere non potuerit.

3) Contra aeque mirum, 1 Macc. VIII, 8. in terris quas Antiocho Magno victores extorserunt Romani, Eumenique dederunt, *Indicam* nominari, graece, *καὶ χώραν τὴν Ἰνδικὴν*, latine *regionem Indorum*, Syriace, ܐܬܪܐ ܕܗܢܕܘ. Hic, cum liber Hebraice scriptus sit, in

textu

textu quidem Hebraico הודן aut הנדן exſpectaveris. Suſpicabar in notis libro adſperſis, vitium eſſe librarii Hebraici, pro הנט, *Henetis*, nec tamen ſatis vel mihi hanc conjecturam adprobabam. Notabam mihi deinde in margine amnem Aſiae minoris *Indum* a Plinio libr. VI. §. 29. memoratum, et *Sindos* populum ad Bosporum, inpoſterum inquiſiturus.

Sed jam inquiſitu vix opus, otiumque mihi fecit, quem ante aliquot annos in auditoribus habuiſſe laetar, doctiſſimus Cludius, evangelii apud Hildeſienſes miniſter, ex ipſo quoque quem memoravi Plinii loco, ſed et in ſubſidium vocatis aliis, Indiam aliquam Aſiae minori adſerens, quam cedere Eumeni Romani potuerint, in ſcripto, *von den Indern in KleinAſien.* Invenies in *repertorii biblici et Orientalis parte XI. num. 3.*

Primo ergo monet, Xenophontem bis *Indos* cum Cilicibus componere, et vero ita, ut in Aſia minore habitaſſe videantur, in praefatione Cyropaediae, inque ejusdem libr. I. c. 5. §. 2. 3.: deinde Indum certe fluvium in illa memorari a Plinio, cujus verba adſcribo: *amnis Indus in Cibyratarum jugis ortus recipit LX perennes fluvios, torrentes vero amplius C. Oppidum Caunos liberum, deinde Pyrnos: portus Creſſa*, a quo *Rhodus inſula XX. M.* Ad hunc ergo Indum ſi India Xenophontis ſita, Ciliciam inter et Cariam media fuit. Caeterum cum Indus dicatur in Cibyritarum *jugis*, adeoque in cacumine montium ortus, ſuſpicatur, eandem regionem Indiam eſſe, quam Livius *ſilvas* dicat *regias*, a Romanis Eumeni attributas.

הדה *direxit.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jeſ. XI, 8. cujus quidem ſignificatio ex ſerie orationis ſatis clara, manum ad aliquid *extendere*, ut in rei ſumma errari non potuerit: et tamen mirum quam vel in coacta concordia diſcre-

ſcrepent lexicographi. Coccejus idem vult eſſe quod, ירה, audaci literarum permutatione, Stockius, *immiſit*, *injecit*, (quod quidem falſum) Simonis, *miſit*, *immiſit*: his omnibus qui praeierat Reuchlinus, plures in ἅπαξ λεγομένῳ ſignificationes coacervans, *poſuit*, *extendit*, *porrexit*, *miſit*. — — *Et invenitur quandoque he primae ſyllabae mutari in Jod ſecundum doctrinam R. Judae, qui exponit ſententiam ſic. Et in cavernam reguli ablactatus mittendo mittet aut ponens ponet, ſicut threnorum III. et poſuerunt lapidem ſuper me.* His quidem lectis intelliges, etiam qui coacti verum dicere videbantur lexicographos a vero aberraſſe, nec ſolum cum ירה contuliſſe, ſed et commentitiam verbo dediſſe ſignificationem.

Atqui notiſſimum eſt Arabibus verbum هدى *direxit*, hinc *manum ſuam dirigere ad aliquid*, idem erit ac, eam extendere, porrigere.

הדך Job. XL, 12. (al. 7.)

Varie vertunt ἅπαξ λεγόμενον veteres 1) דְעַךְ i. e. *comminue* Chaldaeus, quod quidem in aliqua lexica receptum: ſuſpicor autem, Chaldaeum וְהַדֹּךְ non ad radicem הָדַךְ retuliſſe, ſed mutatis punctis הָדֵךְ ad דכך, unde certe ſub radice הדך explicanda ſequi illum lexicographi non debuiſſent. Punctis conſentanee IX codices הדוך habent, quibus Chaldaei interpretatio aptari non poteſt. 2) LXX σῆψον, *putreſcere fac*, quod unde ſumtum, non liquet, linguae certe orientales nihil ejusmodi ſub his literis habent. 3) Syrus ܐܪܡܐ *projice*, *dejice*, et Vulgata, *contere*. Hoc quidem ſtabilitur Arabico verbo هدك, quod ipſi Arabum lexicographi هدم interpretantur, id vero eſt, non ſimpliciter ut vertit Golius *diruere*, ſed, *humi proſternere*. Haec quidem vera videtur loci verſio: *proſterne injuſtos* תחתם *infra ſe*, i. e. ut in loco ubi ſteterunt humi proſtrati jaceant.

הדם, unde הֲדֹם רַגְלָיִם *scabellum pedum.*

Notiſſimum, et recte a lexicographis redditum vocabulum, maxime de arca foederis uſurpatum, quae Dei, non ſedes, ſedere enim dicitur in Cherubis, ſed ſcabellum pedum. Vide collegium criticum in Pſ. CX. pag. 491–495. In ſola laboratum derivatione, ad radicem דום referente et *requiem pedum* vertente Coccejo. Melius quidem Arabicum هدم contulit Simonis, ſed cui gyrandi ſignificatum ex conjectura dedit, ſcabello ne quidem ſatis aptam. In collegio quidem critico monui, هدم, quod plerumque eſt, *diruere, evertere* (vide exempla a Caſtello collecta) etiam ſignificare, *proſtravit humi,* collato Jeſ. XXVI, 5. ubi graecum κατaβαλεῖς Arabs verterit, هَدَمْتَهَا, indeque et هُدَام *vertiginem* dici, maxime, *navigantium*, quod eos proſternat. Erit ergo הדם רגלים proprie, *ſubſtratum pedibus.*

Chaldaicum הַדָּם *membrum reſectum* Dan. II, 5. verbumque הַדֵּם *membratim diſſecare*, non ad hanc radicem referenda, ſed ad هدم *celeriter ſecuit*, unde هَدَام *acutus ſecansque gladius.* Hebraice ſcribendum fuiſſet הזם, ſed non occurrit in codice ſacro, ne in nominibus quidem propriis.

הֲדַס *myrtus* Jeſ. XLI, 19. LV, 13. Zach. I, 8. 10. 11. Nehem. VIII, 15.

Vide de nomine Celſium T. II. hierob. p. 17–22. Habet et lingua Arabica dialecto felicis Arabiae, هَدَس, et Judaeochaldaica: caeterum plerumque aliud concinens nomen pro myrto ponunt, Arabes, آس, Syri ܐܳܣܳܐ, Chaldaeique et Thalmudici, de quibus vide Buxtorfii lexicon p. 154. אָסָא. Ipſis adeo Perſis اس myrtus. Hocne אס ex הדס ortum, mutato He in Aleph, et Daleth eliſo? Obſta-

re videntur puncta, ex quibus ס Dagesch forte non habet, vocalesque ita sunt positae ac si אָס, quod et lexica faciunt, ad radicem sit אוס referendum. Sed quid? si lexicographi erraverint in punctis, sitque אַסָּא, أَسّا, أَسّ scribendum?

Zachariae capiti primo non satis apta myrtus, ut aliam ibi sive lectionem circumspicere sive significationem lector prophetae paulo studiosior possit: הדס ea si accipere latitudine significationum liceret, quam أس Arabicum habet, reliquias etiam aedificiorum et rudera significans, expedita omnia: eques consisteret inter rudera, Hierosolymae nempe, egregie ad sequentia. Sed audacius justo, easdem omnes significationes quas aliis originibus أس habet, Hebraico הדס tribuere. Suspicatus sum, legendum esse, per Resch, הֲרָסִים *consistebat inter ruinas*: sed nullus ita codex Kennicottianus, nec quidquam quod ullius momenti aut usus sit varietatis Kennicotto in hac voce enotatum. LXX quidem aliter legerunt, הרים, ubique ἀναμέσον τῶν ὀρέων vertentes, sed nec haec lectio expeditior, nisi id unum ex ea teneas, ר pro ד legendum esse. Syrus non, ut alibi harmonice ܐܣܐ vertit, sed generatim, ܐܝܠܢܐ arbores. Idne argumento, aliter eum legisse. Ergo de הדסים Zachariae adhuc inquirendum, idque monuisse philologos sufficiat.

הדסה nomen proprium.

Ut nomen proprium legitur,

1) sine dubio Estherae, dum privata fuit, a parentibus inditum, Esther II, 7. a myrtis ductum. Vide Simonis onomasticon p. 202. ex quo et intelliges, nulli alii feminae Judaicae cum Esthera commune esse. Mihi quidem cum totus liber confictus videatur, ad rationem aliquam festi Purim reddendam, hocque festum institutum ad memo-

riam

riam servandam magnae victoriae quam die 13 mensis Adar a Syris Judas reportavit Maccabaeus, qua de re evolve notas ad Esther IX, 24. quaeri possit, a locone pugnati praelii petitum nomen ex historia in fabulam immigrarit? Nempe

2) ingens illud praelium ad urbem, Ἀδασα dictam, pugnatum, 1 Macc. VII, 40 seqq. quod quidem nomen neutiquam, ut conjecerunt alii, חדשה scribendum, ex Syro in notis ad h. l. docui, qui cum Hebraicum librum verteret, ex eo ܐܕܣܐ scripsit. Quid ergo, si ipsum nostrum הדסה *myrtus*, nomen loco fuit, quod vero ex Syrorum orthographia et per א scribere licuerit?

Conjecturam hic promere, non dicere sententiam, existimari velim.

הָדָר cum derivatis.

1) Consvetam, inque omnia lexica receptam *decoris*, *honoris*, *majestatis* significationem, lingua Hebraica cum Aramaea communem habet: ܗܕܪ *decoravit*, ܗܕܪܐ *honor*, *decus*. Vide Castelli lex. Syr. Orta illa forte a *tumore*, de quo deinceps. De עֵץ הָדָר Levit. XXIII, 40. vide Celsii Hierob. T. I. p. 251. 252. Illis accedit, qui generatim vertunt, arborem speciosam: Judaeorum aliqui quod *citrum* interpretantur, ex more gentis petitum, tabernaculorum festo mala citria gestantis, perantiquo quidem, Alexandrum enim regem seditiosi tabernaculorum festo malis quae gerebant citriis impetiisse dicuntur Josepho, Ant. XIII, 13, 5.: verum non inde consequitur, ut ea arbor et a Mose jam ante tot secula speciatim nominata, et עץ הדר ejus nomen fuerit. Certe nullius linguae orientis consensu haec specialior significatio fulcitur.

2) أَهْدَرُ Arabibus est, *tumidus*. Hinc veri non dissimiliter explicatur Jes. XLV, 2. וַהֲדוּרִים אֲיַשֵּׁר *et tumida complanabo*, i. e.

omnes montes, omnia quae victorem impediunt, subsidere faciam. Est tamen locus unicus, ex quo certi quid statuere non licet, cum et aliis vocalibus efferre וַהֲדוּרִים et vertere possis, *moenia complanabo*. Vide supra דור pag. 430. Fatendum etiam, *tumoris* significatum ex unica voce Arabica هدر sumi, ne exemplis quidem allatis. Ergo donec haec adferantur, sintque loco Jesaiae unico satis consentanea, inter utramque explicationem ambigamus.

3) Loco Jesaiae, c. LXIII, 1. זה הדור בלבושו, vix convenit consveta *decoris ornatus*que significatio, nec quam illi dederunt LXX. et Vulgata, *formosus in stola sua*, a tota quippe, quae informatur, imagine aliena. Uvas calcantis non est splendida et ornata vestis, nec victoris ex proelio redeuntis, illum musto, hunc sanguine conspersa decet. Talem et exigit versus secundus: *cur rubens es indumento, vestisque tua ut calcantis torcular?* atque ipsum, in superiore membro versus primi praecedens חמוץ בגדים, de quo vide infra. Jam cum Arabibus هدر inter alia sit, *ferbuit vinum*, hoc significatu הדור בלבושו accipiendum reor, *fervens in vestibus*, i. e. *cujus vestes fervente musto aut sanguine conspersae sunt*: mirorque id neminem, quantum memini, occupasse.

4) Ab eadem fervendi aut bulliendi significatione fluxisse videtur, quod late per radicem Arabicam, ejusque derivata regnat, هَدَرَ *impune effusus, vel effundi permissus fuit sanguis*, et transitive, *impune effundi permisit sanguinem*: in VIta, *non ulti sunt caedem, impunitam eam praetermiserunt*, أهدر, هَدَرٌ *impune*, هَدَرٌ دِمَاؤُهُم *caedes illorum licita cuique*, unde et هَدَرَة *vilissimi, nullius pretii homines*. Nempe sanguinem effervescere et ebullire ex terra fingunt, qui ultionem poscit: sic Zachariae, Barachiae filii, in templo occisi, ebullivisse perpetuo sanguinem tradunt Judaei, donec 940000 Judaeorum occisis

cisis ei parentaretur. (Vide locum a Wetstenio ad Matth. XXIV, 35. excerptum.) *Bullit* ergo *sanguis*, idem est ac, *sine ultione fuit*.

Ex hac significatione הדר accipiendum suspicor Ps. CIL, 9. הדר הוא לכל חסידיו, ita ut reges Cananitarum dicantur, *sanguis impune permissus Israelitis*, viles illis animae, in potestatem illorum traditae, quarum nullus ultor exsistit. Eodem et retulerim, sed latius sumto vocabulo, Dan. XI, 20. ubi Syria, vexata et exsucta ab exactoribus tributorum dicitur, הדר מלכות, *regnum impune direptum*. Meis certe auribus utrobique, *decus*, displicet.

הדורם Genes. X, 27.

Nomen tribus Joctaniticae, de qua nihil adhucdum nos scire, lectionemque adeo nominis non sine omni varietate esse, fassus sum in spicilegii P. II. p. 162. 163.

הִיא, הִוא, הוא

הוא generis masculini esse, *ille*, הִיא feminini, *illa*, nemo dubitat, de solo הוא maxime in libris Mosis feminine posito, dicendum.

1) Solet loco ejus textus Samaritanus, ad analogiam quam putabant docti et librarii Samaritanorum antiqua corrigens, היא habere, idque praetulit Houbigantius, quod manifesti vitii grammaticalis rea sit codicum Judaicorum lectio. Haec vero mihi crisis iniqua, codicumque Hebraicorum lectio verissima videtur. Quod de vitio dicitur grammaticali, inane: ignorabatne Houbigantius, et qui eum sequuti sunt, dari in linguis, ut nomina, ita et pronomina generis communis? Ergo et potuerit הוא generis communis esse, היא generis feminini. Nec verisimile videri potest, vitium scriptionis, et vero absurdum et grammaticale, in libris Mosis, qui reliquis omnibus curatius descripti sunt, centies centiesque admissum, in libris quo recentiores sunt, ac prope quo minus curate descripti, rarius.

Ergo

Ergo ſic potius ſtatuamus: antiquiſſimis temporibus et Moſaicis, pronomen perſonale tertiae perſonae, הוא, generis erat communis, היא feminini; at lapſu temporis הוא in genere feminino magis indies magisque in deſvetudinem abiit, unde factum, ut in libris, quo ſunt recentiores, legatur rarius, librariique adeo non pauci et in pentateucho, ubi הוא ſcriptum, pro eo quod ipſis conſvetum erat, היא deſcripſerint. Caeterum inſigni laudi cedit librariis Judaeis, quod vetus et ſua ſcriptio Pentateuchi, הוא genere communi ponentis, adhuc internoſcitur: inſigne etiam ſummae libri antiquitatis argumentum, quod in hoc aliisque verbis Hebraicis aliam ſcriptionis et grammaticae rationem ſervat, quam pſalmi, ac libri poſt Davidem ſcripti.

2) Qui puncta adjecit, הוא feminino Chirek ſubſtravit, הִוא, Vau jam in Chirek quieſcente, (*Hi*); vereor, ut recte, putem potius, הוא generis communis, ſemper, etiam ubi feminine uſurpatur, HU adpellandum.

הוּא et היא verbi ſubſtantivi vice fungi, quo in praeſenti carent Hebraei, grammaticae ſervo. Vide tamen et quae infra ſub היה de fictitia hujus verbi ellipſi dicam.

הוא et הוה *cecidit*, הַוָּה *infortunium*, *cupiditas*, *lubitus*.

Non jam de verbo ago, ut rarius apud Hebraeos idem eſt quod היה, de quo, ſi quid ob nomen יהוה dicendum, radici היה ſervo: hic de propria verbi per Vau ſcripti ſignificatione ago. Arabibus quidem هوى eſt, *cecidit*, quod ex lexicis ut notum ſumo, nec illis ſolum, ſed et, quod lexicographi non notarunt, Syris. Quod Apoc. XVI, 21. de grandine dicitur, καταβαίνει ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους, Syriaca verſio, in Apocalypſi verborum tenaciſſima, habet, ܗܘܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܥܠ ܒܢܝܢܫܐ. Sic jam manifeſte

Job.

Job. XXXVII, 6. de nive positum, הוא ארץ, *cade in terram*, ubi Vulgata, forte non philologia orientali sed filo orationis duce, *qui praecipit nivi, ut descendat in terram.* Caeterum de orthographia verbi notandum, XVI codices per He habere, הוה, tres (feminine construentes, út Syris ܗܘܝ femininum est) הוי. - - Ad eundemne significatum revocandum et alterum verbi per Vau et Aleph scripti exemplum, Cohel. XI, 3. שם יהוא *illuc cadet*, i. e. illuc cadere necesse fuit, aut, *ibi jacebit?* Certe, *ibi erit*, quod interpretes antiqui habent languidum.

A cadendo, ut jam monuit Schultensius, *magni infortunii, casusque gravioris* nomen הַוָּה et הֹוָה fluxit. Vide prae reliquis, ubi et cum cadendi verbo construitur, Jes. XLVII, 11. תפול עליך הוה *cadet super te malum* &c.

Idem Arabicum هوي a cadendo ad incidendum et irruendum, ab irruendo ad cupiditatem transfertur, هوي *concupivit, desideravit*, unde هَوًى *cupido*, pluraliter أَهْوَاءٌ. Haec ipsa significatio non paucis locis Hebraico הַוָּה lucem largitur, ubi aliam ei ex indocta conjectura Judaei, eosque sequuti lexicographi commenti sunt ut, Prov. X, 3. (ubi vide Schultensium, ex quo hausi) *non esurire sinet Jehova justum*, וְהַוַּת רְשָׁעִים יֶהְדֹּף, *sed cupiditatem injustorum propellet*, i. e. faciet, ut quae illi cupiunt, aufugiant, eosque crucient. Prov. XI, 6. ובהות בגדים ילכדו *et praevaritores in suis capiuntur cupiditatibus*, i. e. sua illis cupiditas esca et illecebra, qua capiuntur.

Novam apud Arabes cupiditatis nomen adsciscit deterioris partis significationem, Corano frequentissimam, cui أَهْوَاءٌ sunt, *opiniones de religione prout lubuit*, eae sententiae, quae cuique maxime placent allubentque, e. g. Sur. II, 114. *directio dei est, directio*, (i. e. religio

 a deo

a deo revelata sola est vera religio), وَلَئِنِ اتَّبَعُوا أَهْوَاءَهُم *at si sequentur cupiditates suas post cognitionem quae tibi a deo data est, non erit illis protector apud deum nec adjutor.* Sic mihi de erroneis sententiis, falsaque philosophia הַוָּה poni Job. VI, 30. videtur, ac prope miror Schultensium, cui tot alia in verbo הוה debemus, non et hoc praeivisse. Vide versionem germanicam. – – Judiciali quoque sensu in malam partem ponitur Mich. VII, 3. *judices pro retributione sententiam dicunt*, והגדול דבר הַוַּת נפשו הוא *et magnates loquuntur cupiditatem* (lubitum) *animae suae*, i. e. pro lubitu judicant.

הוּל *terruit.*

De significatione verbi מְהֻלָּל Ps. XVIII, 4. 2 Sam. XXII, 4. perquam fuerunt divisae philologorum sententiae: mihi quid videatur, sub הלל dicam, atque jam ante multos annos dixi, aliorum, nactus suffragia, displicens aliis. Hic quidem de varietate lectionis addo: in psalmo XVIII codices Kennicotto consulti plene מהולל habent, in Samuelis libris XVIII. Ex hac lectione possis ad radicem הול referre, Arabibus هول *terruit: terrore perculsus ac prope excors invoco Jehovam.*

מְהוּמָה et הוּם

Ante omnia notandum, הוּם et הִים vel Arabismo indice, aut cognata esse, aut saepe formas permutare, quod vel collatio significationum in Arabico lexico obviarum quemque docebit. Nec tamen origine prorsus eaedem sunt, unde de הום et הים separatim agemus.

הום et מהומה plerisque in locis manifeste de *terrore* ponitur, ut 1 Sam. V, 11. מהומת מות *terror mortalis*, vel, *mortis*, Jes. XXII, 5. ubi cum aliis terroris et perplexitatis vocabulis componitur, יום מהומה ומבוסה ומבוכה. Notavit et Coccejus, LXX hoc modo

do vertere. *Attonitum* quidem habent Arabes ſub هيم, e. g. هائم *attonitus*, ſuſpicorque bubonem nomen هامة et هيوم *ab attonito et errabundo volatu* accepiſſe. Caeterum unde terror, attonitusque ſtupor dictus ſit, non certo liquet: forte a fluctuatione et nutatione, Arabibus enim هوم *nutavit capite*, quod equidem non denominativum ab هامة *capite*, vel potius *vertice* exiſtimo, ſed caput, in nulla reliquarum linguarum orientalium ita dictum, a nutando et inclinando nomen apud Arabes accepiſſe. Veriſimile etymon, non certum, quod ſi diſpliceat, aliud non multum diſſimile a *vagatione*, et vero attonita, ſuppeditabit, quod ſuo loco vide, הים.

Caeterum et hoc nota, הום et המם, de quo ipſo ſuo loco dicemus, facile confundi poſſe, maxime, ubi alterum defective ſcribitur. Sic Deuteron. VII, 23. pro מְהוּמָה, Samaritani codices et quatuor Hebraici Kennicotto collati מהמה habent, quod recte poſſis מְהֻמָּה elatum ad radicem המם, quae vixdum praeceſſerat referre. Quin et ipſum verbum המם Saadias, ac ſi idem plane eſſet, per هيم et أهام *palare fecit*, vertit Saadias, Exod. XXIII, 27. Deut. II, 15. (ubi et Arabs Erpenii تهيهم) VII, 23. Ergo illis non obſtrepo, qui et alicubi alterum ab altero verbum adſciſcere ſignificatum ſtatuunt, aut aliis punctis ſubſtratis aliter vertunt.

Caeterum nota oppoſitionem מהומה *terroris*, ut magni injuſtarum opum mali, et *timoris Dei*, Proverb. XV, 16.

הון, *levis fuit*, *vilipendit*. Deut. I, 41.

Ἅπαξ λεγόμενον, in quo mirum eſt, veterum neminem, neminem lexicographorum, ne recentiſſimorum quidem, verum vidiſſe, quod ultro ſe offerebat linguarum orientalium mediocriter perito: nec

 mihi

mihi quidem inventum arrogo, a pueris enim audivi, jam vera cum nafcerer in bibliis Halenfibus dicta fententia, quo eft turpius, eam in lexica non receptam effe. هان pro هُون Arabibus, *levis*, indeque *vilis fuit*, in tranfitivis conjugationibus, fecunda, quarta, immo et quinta ac fexta, *vilipendit, neglexit*. Jam vertes: *fed vilipendiftis* monitum dei *et adfcendiftis* contra hoftem. Vide, ut exemplo utar, Arabicum verbum Jerem. XXXI, (XXXVIII) 32. ubi pro ἀμελεῖν ponitur, καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, وَأَنَا تَهَاوَنْتُ بِهِمْ. Caeterum hanc explicationem magnopere confirmat locus parallelus Num. XIV, 44. ubi, quod in Deuteronomio הון, per עפל negligere exprimitur, de quo vide infra fub ע dicenda.

Jam tamen ad id reverti liceat, quod maxime mirari fubit, primo veterum nullum hanc fignificationem vidiffe: quod quidem indicio, reliquis eam linguis orientalibus interpretum tempore dudum periiffe, fola Arabica excepta, quam plerique ignorabant, ipfi autem feriores Arabes in fubfidium vocare non audebant. Conjiciebant ergo, ita inter fe diverfi ut conjicientes, ac talorum lufores effe folent. Chaldaeus et Arabs Erpenii, *coepiftis* (שריתון, بَدَيْتُمْ) Arabs Polygl. *properaftis* (بادرتم) LXX. συναθροισθέντες, *congregati fuiftis*, Syrus ܐܬܓܪܝܬܘܢ *incitati eftis*. Ad recentiores ut veniam, Reuchlinus quidem fuo in lexico vertebat, *voluit, paratus fuit*, quod illi ignofcendum, primam Hebraismi lucem nobis adferenti, Judaeisque credenti, cum reliquis orientalium linguarum luminibus deftitueretur: at jam evolve lexica illo recentiora, et vide, quam turpiter nullo certo indicio dictum retinuerint, ne his quidem exceptis, quorum conditores meliora aut legerant aut audierant.

הון

הון *facultates, divitiae.*

Significatio verissima et notissima, sed in derivatione olim erratum, ad הוה enim *fuit*, nomen referebant, ac si opes dicerentur, *id quod est*. Nullam quidem formam nominis similem tota habet lingua Hebraica. Melius Schultensius ad Proverb. I, 13. Arabicum هان, quod vix dum sub *levitatis* significatu habuimus confert. Nempe a levitate et *facilitatem* Arabes dicunt, quin et, *commoditatem*: lexicon Golii habet هَانَ *facilis fuit*, هَوْنٌ *commodum*, هَيْنٌ et هَيِّنٌ *res facilis* (e. g. Sur. XIX, 10. هُوَ عَلَيَّ هَيِّنٌ *hoc super me leve est*, i. e. *hoc mihi facile est*) هَيْنَة *facilitas, commoditas*: ergo ut a facilitate facultates latini, ut res commodas dixerunt, sic et Hebraei opes, quae omnia nobis faciunt facilia, הון, vocarunt. Contrarium ergo apud Arabes nostri nominis est عُسْرٌ, et عُسْرَةٌ *res difficilis, paupertas*: sed Hebraicum עשר aliam plane vim nactum, cum nostro etiam ut synonymum componitur, Ps. CXII, 3. הון ועשר בביתו, non credo per lusum et elegantiam, quae tenuis ac prope puerilis, sed casu. Nec Schultensio assentior, qui ejusmodi elegantiam etymologicam captasse putat Salomonem, הון יקר Prov. I, 13. dicentem, cum יקר proprie, *grave*, atque inde *pretiosum* sit. Certe nolim mihi ejusmodi tribui elegantias.

הור Habac. II, 5.

יָהִיר bis obvium, et utrobique pro nomine habitum, quod alii *superbum*, ego, *fatuum*, *dementem* vertere soleo, altero loco Habac. II, 5. verbum potius quam nomen esse videtur, quia praedicato ולא ינוה Vau praepositum est. Fateor, et hoc dubium solvi posse, ut feci in versione germanica, (vide infra sub יהיר): cum tamen res sit dubia, dicendum quid verbum הור significet. Arabibus هور et هير est,

est, *frangere*, *diruere*, *humi prosternere:* possis ergo Habacuci haec יהיר ולא ינוה vertere, (de ultimo Babylonis rege sermonem esse puto) *diruit*, *non perficit.* (Nempe نوي inter alia est *perficere*, sicque fere Hebraicum ינוה verterunt LXX, οὐθὲν μὴ περάνῃ exque illis Arabs, لا يكسب شيئا.

Schultensius alterum etiam locum Prov. XXI, 24. ad rad. הור revocat, etymologica, ut solet, disputans, de quibus, si vel vera sint, vix scriptor cogitaverit, vertitque: *tumidus mole cave ruens, sannio nomen ei.* Haec ipsa mihi versio pene refutatio εὑρήματος videtur; sed relegant, quorum interest, dispiciantque, etymologiam sumatne, an probet? Ipse ille cui plurimum fidebat locus Corani Sur. IX, 110. de excavata sine dubio ripa agit, ruitura, sed non ideo probat, هور cavitatem, et vero primo ac proprio significatu esse. En illum, ut intellectus ab aliis est, *qui posuit fundamentum suum super ripa a flumine exesa*, هار فانهار به *quae ruit*, *ipseque cum ea ruit.*

הות *clamare*, cum derivato הוּוֹת *clamor*, Ps. LXII, 4. LVII, 2.

Vix ullum mihi dubium, quin recte faciant, qui תְּהוֹתְתוּ Ps. LXII, 4. ad radicem הות relatum, ex Arabico هوت et هيت *clamare* vertunt, *quousque occlamabitis viro*, similitudine petita a clamore bellico. Quod ejus loco substituit Simonis, هات pro هيث *intulit malum*, *grassatus est*, *unde* هَيْثٌ *nocendo inferre malum*, plane contra analogiam linguarum ex Arabico lexico arreptum, هيث enim Hebraice foret, הויש. Vide grammaticam Arab. §. 2. num. 3. p. 15-18. Caeterum id satis liquet, veteribus interpretibus verbum, in sola superstes lingua Arabica, ignotum fuisse, unde fit, ut conjecturis usi in diversa abeant; LXX. ἐπιτίθεσθε ἐπ' ἄνθρωπον, *invaditis hominem*, unde

unde Vulgata, *irruitis;* — — Aquila, ἐπιβουλεύετε, eumque ſecutus Hieronymus, *inſidiamini;* — — Chaldaeus, מתרגשין *tumultuamini*, quod proximum a noſtra eſt explicatione, poſſitque et, *clamatis*, verti; — — Syrus, ܡܬܟܬܫܝܢ *pugnatis, rixamini;* — — Symmachus, ματαιοπονήσετε, *fruſtra laboratis.*

Ad eandem radicem הות revocandum puto nomen הַוּוֹת Pſ. LVII, 2. atque his punctis inſtruendum הַוּוֹת, aut, ſi codices ſequi malis unum Vau habentes, הַוֺת, *clamor.* Habent fere pro plurali nominis הַוָּה *infortunium*, ſed praecedens verbum generis maſculini ſingularis numeri יַעֲבֹר, ſingulare potius nomen, et vero maſculinum, id eſt, cujus Thau radicale ſit, poſcere videtur. Scio communi interpretationi ſubveniri poſſe anomalia aliqua numeri et generis, quam ipſe in grammatica Arabica §. 70. n. 3. indicavi, et ſequente paragrapho ad Hebraica transtuli: ſed nolim, inſolentiore certe Hebraeis, abuti anomalia, ubi non plane opus. N. L.

הול *jocatus eſt*, Jeſ. XLVI, 6?

Non obſtrepo punctis, ex quibus הַזָּלִים ad זול refertur, infra explicandum: ſuſpicio tamen ſuborta, poſſe et eſſe participium Kal הֹזְלִים verbi הול. Arabibus هزل *luſit, jocatus eſt:* quid ſi vertas, *per riſum et jocum argentum perdentes ex marſupio?* Ambigendum video inter duo ἅπαξ λεγόμενα, זול, et הול, quorum utrumque filo orationis aptum.

היב *timuit.*

Verbum in lexicis omiſſum, et tamen manifeſte obvium Hoſ. IV, 18. אָהֲבוּ הֵבוּ, ſed pro quinquelitero אהבהב habuerunt, contra omnem quidem legem grammaticam, quinquelitera enim non duplicem terminationem adſciſcunt. Arabibus هيب, *timuit*, cujus ſignificationis exempla vide larga manu a Caſtello collecta. Loco Hoſeae

seae eadem aptissima: *amant et timent dedecus*. Vide versionem germanicam. – – Caeterum exigua in Hosea varietas lectionis, tribus codicibus הבו, quod forte non intelligens vitiosum habebat librarius, omittentibus. Idem accidit antiquis interpretibus, LXX et Syro. Duae versiones aliquid hic *veniendi* habent, Chaldaeus, *amant ut veniat illis ignominia*, Vulgata, *dilexerunt adferre ignominiam*: ignotasne literas הבו ad בוא *venire* retulerunt? Non haec adcusans dico, utroque tamen quodammodo concinente suspicari aliquid ejusmodi erroris liceat olim apud Rabbinos consveti, a quibus et Hieronymus hauserit.

היג *impetuose flavit ventus* Jes. XXVII, 8.

Jam supra p. 490. 495. monui, malle me haec, הֹגה ברוחו, absona interpretatu, ita in verba dispertiri, literarum nulla omissa, הָג הָב רוחו *impetuosius flat flatus venti ejus*. Nempe היג هيج de flatu venti, et vero vehementiore ponitur. Vide Golium. Paulo antequam haec scriberem exempla se mihi verbi ita positi offerebant in Teifaschi specimine (edito a Ravio) p. 50. *cum in oceano hiemali tempore venti* تهيج هيجان شديد *flant vehementius*, et paulo post, وانا هاجت الرياح والامواج *et cum confligunt venti et fluctus*. Miror, in tam absurda literarum dispertitione nemini in mentem venisse, הג et הב Arabibus de vento usurpari, indeque opem ferri tam facilem posse.

הָיָה *fuit.*

Loco hujus verbi Chaldaeos, Syros, Samaritanos per Vau habere הֲוָא, vel הֲוָה satis notum: ac dudum observatum in lexicis, ipsos quoque Hebraeos aliquando per Vau scribere. Equidem ea velim exempla sejungi, in quibus הוא Hebraicum aliam significationem habere possit, p. 512. 513. indicatam: haec tamen supersunt הֱוֵה Genes. XXVII, 29. (unico modo codice היה habente, sed recentissimo seculi forte XV.)

XV.) הָוֵי Jeſ. XVI, 4. nulla in Kennicottianis codicibus varietate lectionis; et הֹוֶה Cohel. II, 22. Nehem. VI, 6. forte ob praecedens O quod ſibi literam adcommodat. (Vide gramm. Ar. §. 21.) Amplius non legitur in codice Hebraico).

היה et הוה fuit, ortum videtur ab هوى quod ſupra habuimus, *cecidit*: nempe ut ab *exſiſtendo* i. e. emergendo ex terra, philoſophi ſuam dixerunt exſiſtentiam, ut Arabes a ſtando كان *fuit*, proprie, *ſtetit*, ſic et, *fuit* vel *factum eſt*, Hebraei et Aramaei a *cadendo*, *cecidit*, *accidit*.

Caeterum caveant ſibi lectores ab errore in vulgarem diſciplinam, libroſque de ellipſibus recepto, verbum היה innumeris ſupplendum locis eſſe, ubi latini *ſum*, *es*, *eſt* ponunt, e. g. טוב יהוה *bonus eſt Jehova*. Inſignis hic quidem error, inde ortus, quod Hebraicam grammaticam illi, cui a pueris adſveverant, Latinae adcommodabant. Si ſuppleas aut ſcribas, טוב היה יהוה, non erit, *bonus eſt Jehova*, ſed, *bonus fuit Jehova*, aliquando etiam contrario ſenſu, ut in illo, *fuimus Troes*, *fuit Ilium*. Sciendum potius, Orientales omnes verbum ſubſtantivum praeſentis temporis non habere, ſed ejus vice pronomen perſonale fungi, אני, אתה, הוא, &c. Ergo ubi habes רחום אני ſimpliciter eſt, *miſericors ſum*, neutiquam inficete ſupplendum רחום אני הייתי *miſericors ego* (non, ſum, ſed) *fui*, ubi autem ſubſtantivo jungitur adjectivum, ut טוב יהוה, aut nihil ſupplendum, aut pronomen הוא, EST.

Difficilius eſt verbum Niphal נהיה bis in Daniele obvium c. II, 1. VIII, 27. Nec quidem de illo laborarem, ſi mutata pauliſper lectione נִהְיְתָה et נִהְיֵיתִי liceat ad radicem נהה revocare, quam infra vide: ſed tamen et receptae lectionis, ac vero c. II, 1. unicae omnibuſque codicibus communis, ratio reddenda. In capitis quidem octa-

vi v. 27. בְּהָיִיתִי וְנֶחֱלֵיתִי non valde laboraverim, duplici se ex verbo هوي offerente versione, 1) *concidi, et aegrotavi.* Sic quidem cadere, i. e. cadere in lectum synonymum sequentis נחליתי: Syris certe ܢܦܠ ܒܥܪܣܐ *cecidit in lectum*, est, aegrotavit, et, ܡܦܘܠܐ ܕܥܪܣܐ *morbus.* Hoc quidem praefero. 2) هوي in conj. 10. استهوي est, *attonitum et perculsum reddidit*, possis ergo vertere, *attonitus stupensque fui.* — — Altero in loco c. II, 1. ושנתו נהיתה עליו displicet, quam Coccejus aliique eum sequuti statuunt euphemismus, *somnus ejus fuerat super ipso*, pro, *non poterat amplius dormire.* Meminerimus, nobis quoque, Latinisque ac graecis *cadendi* verba de altiore, qui nos opprimit, somno poni, jamque ex هوي, quod et in VII. انهوي significat, *delapsus fuit*, vertamus, *et somnus ejus illapsus erat illi*; id est, ut latine dicam, *altior solito somnus ipsum oppresserat.*

Difficilis locus restat, de quo sufficiat id scire, nihil adhuc nos philologice scire, ampliusque inquirendum esse, Jes. XLVI, 1. היו עצביהם לחיה ולבהמה, et vero, nulla omnino in Kennicottianis bibliis lectionis varietate. Haec legens, *factae sunt imagines bestiae et jumento*, quis non exspectet nomen aliquod insequens, ut, *onus*, *bajulatio*: sed nihil ejusmodi reperitur, quod enim sequitur, נשאותיכם, manifeste ad aliud membrum pertinet, ipso suffixo secundae personae, *onera vestra*, a praecedentibus divulsum. Forte de loco adfecto, ex quo vocabulum vel primarium excidit, anquirimus.

לחיה ולבהמה si abesset, ex superius dictis, Arabicoque هوي tentarem, *conciderunt imagines ipsorum*, humi, ut olim Dagon, provolutae: egregie quadraret praecedentibus, ubi incurvatae senecta dicebantur, sed plane obstat sequens, *bestiis et jumentis.* Utinam هوي non modo *cadendi*, sed et *gravitatis* notionem haberet! *graves sunt*

porta-

portatuque difficiles imagines jumentis: ſed uſu deſtituor, nec auſim, ut auſi innumeri, conjecturis rem agere.

היה cum ל conſtructum ſaepe eſt, *fieri hoc vel illud*, unde non defuerunt, qui de idolis animalium ſimilitudine effictis intelligerent. Sic intelligendos puto LXX. ἐγένετο τὰ γλυπτὰ αὐτῶν εἰς θηρία, ipſumque Chaldaeum, *factae ſunt imagines eorum ſimiles beſtiis et jumentis.* Eodem redit Vulgata, *facta ſunt ſimulacra ipſorum beſtiis et jumentis*, interprete illo ipſo, cujus haec verba ſunt, Hieronymo: *non*, inquit, *quo ſimulacra gentilium in praedam beſtiarum et jumentorum expoſita ſint; ſed quo religio nationum ſimulacra ſint beſtiarum, et brutorum animantium, quae maxime in Aegypto divino cultu conſecrata ſunt.* At non de Aegyptiis loquitur propheta, ſed de Babyloniis, quorum certe Belus et Nebo ejusmodi forma non fuerunt.

Chaldaei ſententiam, ſimilia eſſe animalibus, abſurde ſuam fecit detorſitque Raſchi, *incurvationem* ſuper latrina explicans, et קרס *concacare* ſe: vult, idola niti cacantium more, ſeque concacare, plane ut beſtiae ac jumenta ſolent.

Symmachus, ἐγένετο τὰ εἴδωλα αὐτῶν ζώοις ἔκδοτα. Hoc quo modo? ad deportandumne alium in locum? Sic fere Kimchius: *quae deportarunt illos, poſtquam fractae ſunt imagines eorum.* Eſt tamen inſolens locutio: *factus eſt equo*, pro, *equo vectus* vel *avectus eſt*.

Recentiorum plerique; *impoſitae ſunt imagines eorum jumentis*, quos ego quodammodo ſequutus, germanice verti: *ihre Bilder werden wilden Thieren und Laſtthieren aufgelegt*, de pompis equidem deorum intelligens. Alii quid ſpectarint, ignoro, ſilent enim: ego quidem poſt היו ex ſequentibus ſupplevi מַשָּׂא, *factae ſunt bajulatio beluis;* ſed fateor, audax eſſe, ex ſequentibus ellipſin ſupplere, mallemque, prophetam ipſum ita ſcripſiſſe.

Indicandum locum duxi, in quo ipse mihi non satisfacio, quemque interpretes, a quibus eruditior discedere certiorque cupiebam, intactum praetermiserunt; dignum qui jam adcuratius tractetur. Habetne היה significationem illi aptam? an locus in mendo cubat?

יְהֹוָה *Jehova.*

Ex consveta sententia nomini ab היה *fuit*, ducto, inque tertia persona pro אֶהְיֶה primae personae Exod. III, 14. posito, tria tempora insunt, Jod ex futuro petito, (quod quidem dubio caret) Cholem ex participio, quo praesens tempus indicant Hebraei, et Kamets ex praeterito, ut eum designet, *qui idem semper fuit, est, eritque:* cui sententiae et meum, si quis est, calculum adjecerim. Verum sunt alii, qui haec repudiant, ut nimis artificiosa, voluntque, puncta nominis ex אֲדֹנָי translata, quod יהוה Judaei, sanctum efferri nomen veriti, *Adonai* efferebant, quam quidem adpellationem et puncta praefixorum sequuntur: scribendum quidem sic fuisse, יֲהֹוָה, ut, ubi puncta nominis אֱלֹהִים transferuntur, יֱהֹוִה, sed punctatoribus hic placuisse, schva simplex loco compositi ponere. Ipsam ergo antiquam nominis יהוה adpellationem hanc volunt esse, יֶהְיֶה *ERIT*, ut antea deus se אֶהְיֶה *ERO* vocaverat.

Ego vero, ut de Mosaico tempore nihil dicere ausim, id quidem certum habeo, multis ante puncta masorethica seculis יהוה *Jehova* adpellatum fuisse. Vix negaveris, Apocalypsin, quisquis ejus auctor sit seculo certe primo scriptam, nomen c. I, 4. interpretari, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quod masorethicae adpellationi jam ante plura secula concinit: Aegyptiorum sacerdotes septem illud vocalibus Graecorum ΙΕΗΩΟΥΑ scripsisse, veri effecit simillimum Gesnerus *de laude dei apud Aegyptios per septem vocales:* denique inscriptio templi Saitici divae, quam Minervam vocat Plutarchus, eandemque cum Isidae

dae censet, ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς θνητὸς ἀπεκάλυψεν, (*ego sum omne quod fuit, et est, et futurum est, meum nemo mortalium velum retexit*, (Plutarchus de Iside, editionis Francofurt. 1620. T. II. p. 354.) quid aliud est, quam interpretatio consveta nominis יהוה, sed ad Isidem, id vero est naturam, translata, ex qua, et per quam sunt omnia, et omnia in eam resolvuntur. Concentus Aegyptiae inscriptionis, et nominis Hebraici, ut jam in Apocalypsi explicatur, manifestus: id unum dubium videri possit, sitne insigne sententiae lumen, Aegyptium, atque a Jehova, Mosen mittente, a mortua mentisque experte natura ad creatorem, vivum, naturaeque omnis auctorem, translatum? an imitati suo more Aegyptii Israelitas, quorum syncretismum jam Hadrianus memoravit (*), nominis Jehova interpretationem ad suam Isidem transtulerint? Quidquid sit, sententia utrique genti communis punctis masorethicis multo antiquior. Ea autem adpellatio, quam pro masorethica substituunt, יַהֲוֶה veri neutiquam similis: tertiam enim personam futuri si loco primae, qua ipse de se loquebatur Deus, אֶהְיֶה a Mose usurpari voluisset, nulla adparet caussa, cur per Vau, nec potius, ut alias verbum scribi solet, יִהְיֶה scribatur.

Caeterum adpellationes nominis graecis literis proditae neutri adpellationi perfecte conveniunt, nec miraberis, memor, quam male graeci barbara nomina scribere soleant. Sed hic novi quid accedit, quod, qui sacris Judaeorum in templo non interfuerat Graecus, ne audire quidem nomen potuerat, Judaeis ineffabile. Colligit illas Clericus ad Exod. III, 15.

1) ΙΑΩ Diodorus Siculus, libr. I. ΙΑΩ Σαβαωθ (sic enim recte ΙΑΩΘ corrigit) Alexander Trallianus, itemque Origenes,

(*) Gesnerus l. c. p. 247. tomi I. commentariorum societatis scient. Goetting.

nes, de nomine ירמיהו differens, ἑρμηνεύεται μετεωρισμὸς Ἰαῶ. Hic vero manifeſtum, non eum ipſius tetragrammati pleni adpellationem tradere, ſed contracti, quod in fine nominis ירמיהו auditur, יָהוּ, vel, ut ipſe audierat, יָהוֹ. Hieronymus ad Pſ. VIII: *prius nomen Domini apud Hebraeos quatuor literarum eſt, Jod He Vau He, quod proprie Dei vocabulum ſonat*, et legi poteſt IAHO, *et Hebraei ἄῤῥητον id eſt ineffabile opinantur*. Ex ipſis verbis intelligis, non eum pronuntiari audiviſſe, quod nec Rabbinis, quibus utebatur, licebat, ſed ſibi ipſi aliquam finxiſſe adpellationem, nempe, ſive ex Origene, ſive ex terminatione nominum compoſitorum יָהוּ, quam Judaei ſalva ſuperſtitione ſono exprimere et ore poterant.

2) ΙΕΥΩ eſt Philoni Byblio, qui Sanchuniathonem graece reddidit, apud Euſebium in praepar. evangelica l. I. c. 9. Et hoc ad neutram earum, quas ſupra diximus, adpellationum accedit: ſed quis vel ſuſpicetur, Philonem Byblium vel unquam ſacris Judaeorum interfuiſſe, atque auditu conpertum habuiſſe, quid literae יהוה a Sanchuniathone ſic ſcriptae, ירבעל כהן אלהים יהוה, (Ἱερόμβαλος ἱερεὺς θεοῦ Ἰευω) ſonarent.

Id quidem ex utraque ſcriptione manifeſtum, aliquid vocis, ſacroſanctae Israelitis et nefaſtae habitae, ultimam literam ה cum vocali ad illam pertinente, ſubticeri, quam vocalibus nondum repertis, aut rei ſacrae adhibitis, nec ſcribere Rabbini ita poterant, ut Origenes aliquis aut Hieronymus, quod Judaeo ineffabile, effari calamo duce diſceret.

Effari nomen, religioni Judaeis et eſſe et jam a LXX tempore fuiſſe, ὁ Κύριος vertentium, in vulgus notum: utrum ex praecepto Moſis, an ex ſuperſtitione, non hujus eſt loci diſputare. Si quis tamen meam ſcire cupiat cum argumentis ſententiam, legat juris Moſaici paragraphum 251, addat et, quae Clericus hac de quaeſtione habet ad Exod. III, 15. et prout ipſi viſum fuerit judicet.

הֵיכָל, *sanctum exterius, templum, palatium.*

Male ad יָכֹל, cujus significatum adeo comminiscebantur, aut הֵכִיל *capere*, hoc quidem invita grammatica, retulit Coccejus: mihi quidem semper visum est, ad quadriliterum هيكل *magnus fuit*, referendum esse, quod et in collegiis multos per annos traditum Schultzius in Cocceji lexicon recepit. Unde autem quadriliterum ortum, non liquet. A magnitudine,

1) proprie dictum *sanctum* cum templi tum tabernaculi, capacius illud, adytoque oppositum. 1 Reg. VI, 5. 17. VII, 50. qua de significatione jam monuit lectores Coccejus, id unum non videns, primam et propriam fuisse. Sic accipiendum היכל puto, quoties ante conditum templum legitur, ut 1 Sam. I, 9. Ps. V, 8. &c.

2) Hinc per metonymiam partis pro toto templum omne, quin et

3) a capacitate et amplitudine palatium regium היכל dicitur.

Superest vocabulum in dialectis sororiis fere omnibus, Arabica, (cui rarius) Aethiopica, Syriaca, sed in qua specialem ac proprium significatum lapsu temporis mutavit: in christianorum enim templis exterior pars (ναός) ܗܝܟܠܐ, post quam sequitur, *chorus*, post hunc intima pars templi ܡܕܒܚܐ. Vide Schultzii (missionarii ad Judaeos) *Leitungen des Höchsten* T. V. p. 6.

הים *palare*, *vagari.*

Arabibus هيم *vagari*, *palare*, inprimis, cum aliqua amentia, ut, *siti*, *amore*, unde et هايم *attonitus*, *vagans*, *errans*, et هيوم *noctua*, quae sub lucem stupida prope volat et attonita, quod videre nequit, aliis eam avibus insectantibus.

Palandi significatio הים sine dubio occurrit, de gregibus in deserto pascentibus, Michae II, 12. תהימנה, (ubi sequens nomen מֵאָדָם effe-

efferens, verto, *ut oves palantes*, seu paſtum dimiſſae, *ex Idumaea.* — Alter locus, ubi fortius etiam et cum alio palandi verbo רוד componitur, eſt Pſ. LV, 3. אָהִימָה, ſive, *per deſerta vagus erro*, *patria expulſus*, ſive adeo, *attonitus erro.* Hunc quidem locum minus intellexiſſe interpretes, cum recentiores tum antiqui videntur. Sciendum etiam in Micha plane nullam habere biblia Kennicottiana varietatem lectionis, i. e. nullum codicem Jod in תהימנה omittere; in pſalmo 55 adeo exiguam, ut fere nulla putanda ſit: unus enim modo codex 73, et vero graecolatinus ſeculi XV, Jod transpoſito ואהמיה, et margo bibliorum Bombergianorum anno 1518 impreſſorum, ואהמה habet, ad המה referre ignotum ſibi verbum ignaro linguarum orientalium librario et editore allaborante.

Ex veteribus plerique ita verterunt, ut הים ab הום diſtinxiſſe non videantur, in Micha Vulg. *tumultuabuntur*, in pſalmo LXX. ἐταράχθην, Symmachus συνεχύθην Vulg. *conturbatus ſum*, Chald. ארגש *tumultuabor.* Sunt tamen, qui ab hac verſione recedunt in Micha LXX ἐξαλοῦνται ἐξ ἀνθρώπων, quod verbum, a Trommio et Bielio omiſſum, Arabs vertit, *quae* (oves) يغرّون من الناس *diffugiunt ab hominibus*, Syrus ܕܡܛܫܝܢ ܡܢ ܐܢܫܐ *quae occultant ſeſe ab hominibus.* Horumne menti vagandine ſit obverſata ſignificatio, viderint lectores: mea non intereſt, ſignificatione ex Arabiſmo certa, ſed tamen malim, non mihi primo excidiſſe.

הֵימָן *Heman.*

De Hemane Ezrachita, forte non uno, nec ejusdem temporis, vide notas ad Pſ. LXXXIX, 1. 1 Reg. V, 11. 1 Paral. II, 6. quo ultimo loco non nomen perſonae, ſed familiae, ſed tribus eſſe videtur, a capite familiae Hemane ita dictae.

הָכַר *attonitus fuit.*

Ἅπαξ λεγόμενον Jobi XIX, 3. in quo primi lexicographi melius verſati ſunt, quam recentiorum non pauci, qui ab illis certe diſcere debuiſſent. هَكَرَ Arabibus eſt, *obſtupuit*, unde هَكَرٌ lexicographi vertunt, التعجب او اشدّه *admirationem aut ea majus aliquid*, prima vis verbi in ſtupore proprie ſic dicto eſſe videtur, unde et de altiore ſomno verbum derivataque inde nomina ponunt. Monuerant aliquid hujus rei Judaei, linguae Arabicae docti, ex quibus, admiſtis erroribus, in lexicon tamen Reuchlini immigravit: *obruit*, *ſtupefecit*, *induxit in admirationem*, *vel*, *in alienationem mentis*, *quod Hieronymus oppreſſit interpretatur: et non erubeſcitis opprimentes me.* At ejus loco non pauci alieniſſimis radicibus collatis ſubſtituerunt, Raſchius, תתנכרו *alienos vos geritis*, alii הִכִּיר *agnovit*, ut Chaldaeus, obſcurum quo ſenſu, תשתמודעון לי *familiares et amicos vos geritis erga me:* Coccejus כרה *fodit*, *fodicatis me*, plerique denique, ex mera conjectura, *obfirmavit ſe.* Ad veterem nos et antiquam ſententiam, Arabicumque verbum, reduxit Schultenſius, ipſe tamen dubius, quo modo Arabicam ſignificationem loco aptet: in juvenilibus, quae dicere ſolet, verterat, *nonne erubeſcitis, quod me ad ſtuporem redigitis*, in commentario, *impudenter praefracti eſtis mihi:* Rabbi Jona, *nonne erubeſcitis quod ſtupeatis mihi.* Equidem malim de convicti et pudefacti intelligere ſilentio, ut rei ſumma idem cum praecedente תבושו ſit, cujus primam vim in ſtupore attonitoque ſilentio eſſe pag. 263. diſputatum: *nonne tandem pudebit vos, attonitique obmuteſcetis?* Vide verſ. germ.

Veteres ita in verbo rariſſimo verſati, ut manifeſtum ſit, ignotum illis fuiſſe: LXX. ἐπίκεισθέ μοι, ex his, quem forte nimis benevole de ſtupore cogitaſſe credidit Reuchlinus, Hieronymus, *oppri-*

mentes me, Syrus ܡܟܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܝ *aegre mihi facitis*, eodem verbo usus, quod Coccejum, sed fodiendi significatu, contulisse vixdum diximus. Nec mirandum, linguae enim Aramaeae, ex qua sola poterant suppetias ferre, Arabicae ignari, perierat. Librarii adeo alias literas substituerunt, unde triplex in verbo varietas lectionis: in codicibus 82 et 139 (XIV seculi.) תחכרו, quod vertere possis, *importuni estis mihi*, a حكر *iniquitas, importunitas in petendo*, in 223. i. e. Regiomontano 1, תהקרו, in editione anno 1494 Brixiae facta, תחברו *carmen de me pangitis*.

הַכָּרַת פְּנֵיהֶם Jes. III, 9.

Incertum, utrum ad hanc radicem pertineat, an ad נכר in Hiphil הִכִּיר *agnovit*. Sic quidem ex lexicographis et interpretibus non pauci, estque certe legibus grammaticis consentaneum, ab הִכִּיר fieri nomen הַכָּרָה, licet forma sit paulo rarior. Praeivit ex veteribus Vulgata, *agnitio vultus ipsorum*, et Chaldaeus אִשְׁתְּמוֹדְעוּת, egregia sententia, *ipse vultus ipsorum agnoscit conscius peccata quorum adcusantur, hicque ipse vultus testimonium contra illos dicit*. Male contra Syrus, ܡܣܒ ܒܐܦܐ *personarum respectus*, quod et, licet Syrum non nominans, et ad alia detorquens, in lexicon recepit Coccejus. Est id plane contra phrasin Hebraicam נשא פנים *faciem accepit*, in qua facies non est judicis, sed ejus, in cujus gratiam sententia a judice fertur; jam ergo in משאת פניהם suffixum non potest ad judices referri male judicia tuentes.

Sed et possit ad הכר referri, quod vixdum ex Arabismo exposuimus: sic sententia non multum dissimili erit, *stupens illorum et pudefactus vultus, ipso attonito stupore culpam fateri visus*. Huc quidem manifeste referendi LXX, *pudorem* vertentes, ἡ αἰσχύνη τοῦ προσώπου αὐτῶν ἀντέστη αὐτοῖς.

Eun-

Eundem vero Arabiſmum praetexentes alii *obfirmationem* vultus verterunt, unde et id in lexica fluxit, quod ſub verbo הכר *obfirmationem* habent. Auctor ſententiae, cujus ipſa ſcripta non habemus, Joſephus Kimchi, ſed filii, Davidis Kimchii excerptum, monentis, patrem vertere, עזות פנים *obfirmationem vultus*, i. e. impudentiam, idque הכר Arabice ſignificare. Hujus tamen ſignificationis lexica nullam faciunt mentionem, (excepto Caſtelli, ſed qui ex Kimchio ſumtam profitetur) nec exemplis eſt ex ſcriptis Arabum confirmata. Fieri quidem potuerit, ut a ſtupore etiam impudentia diceretur, fateorque, his quae in Jeſaia ſequuntur, *peccatum ſuum ut Sodoma fatentur, non celant*, impudentiam aptiorem eſſe, quam pudorem attonitum; eſtque prope inverecundum, Joſepho Kimchio, in Hiſpania nato, quae de Arabici verbi uſu adfert, negare. Donec tamen certa proferantur exempla, definire nihil auſim, ſed in certa malim verbi ſignificatione manere, quam et in verſione germanica ſequutus ſum.

הִתְהַלֵּךְ , הָלַךְ

Verbum הלך et ילך utrumque eſſe, *ire*, atque plerumque nullo diſcrimine ut ſynonyma poni, manifeſtum, ſumiturque a magna lexicographorum parte. Quod ut minime inficias iverim, notari tamen velim, non ex prima ſolum origine, ſed et aliquando ex uſu, ſignificationes diverſas eſſe.

הָלַךְ, linguae Hebraicae cum Arabica et Aramaea commune, ex propria verbi ſignificatione fortius eſſe videtur, Arabibus quidem, *praeceps ruit*, unde et هلك *praeceps*, et interitum perniciemque dixerunt. Huc quidem ex uſu Hebraico maxime referendum, ubi de fulminibus ponitur, ut Exod. IX, 23. ותהלך אש ארצה quod verti velim, non, et ambulavit, ſed, *decidit, coelo delapſus eſt ignis* (fulmen) *in terram*, plane ut Arabum lexicographi ſub ſexta conjugatione

tione habent, *decidit*, *praeceps ruit.* Notandum quoque, cum alias in futuro אהלך, תהלך, יהלך flectatur, hic masorethas, nescio quo jure, sed tamen, ut videtur, distinguendae significationis caussa, alia puncta supposuisse, ותהלך, quae ipsa et secundum occurrunt Ps. LXXIII, 9. ubi imago a tonitru coelitus audito desumta aut videri possit, aut auctori punctorum visa est: *in coelo posuerunt os suum, et lingua ipsorum* תהלך בארץ *fulminat in terra.* Mihi quidem figura placet, nec video, quid sit de lingua dictum, *ambulare in terra*, nisi hoc sensu acceperis: nihil tamen certi statuere ausim. Arabibus quoque, futurum verbi هلك per A et I formantibus, ubi in *decidendi* significatu ponitur per A يَهْلَكُ scribitur. Futurum per O Arabes non habent, forte, quod verbum simplici *eundi* notione illis non usitatum. In Hithpael quoque de tonitru dicitur, Genes. III, 8. *audiverunt vocem Jehovae Dei,* מתהלך בגן, quod nolim vertere, *ambulantis in horto*, ac si ipse Jehova obambulaverit, sed, *euntem in horto.*

ילך soli habent sub his literis Hebraei, ne Syri quidem nec Samaritani, at videtur idem esse, G et Ch permutato, Arabico, ولج *intrare*, *subintrare*, e. g. latebram, ac propria significatione quod latinum, *serpere*, *repere*, *labi*, e. g. Genes. III, 14. Usus tamen fecit, ut propria significatione deleta, nullo plerumque discrimine promiscue ut הלך ponatur, atque in Hiphil nunquam הלך, sed semper ילך occurrat.

Notanda etiam constructio verbi maxime in Hithpael, cum לפני, ex qua videtur esse, *servire alicui*, e. g. התהלך לפני אלהים *servire deo.* Nempe servientem Hebraei plerumque dicunt *stare* (עמד) coram domino, paratum ad jussa facienda; sed quia his auditis discursat, agit, exsequitur, *ambulare* etiam et *discursare* dici potest. Sic qui-

quidem jam ex antiquis aliqui praeiverunt, ut Geneſ. V, 22. 24. XVII, 1. XXIV, 40. XLVIII, 15. Chaldaei ſequiores, פְּלַח קֳדָם *ſervivit*, et Jonathan 1 Sam. II, 35. Eodem et retuli in notis ad Hebr. XI, 6. quod LXX. Geneſ. V, 22. 24. VI, 9. XVII, 1. XXIV, 40. XLVIII, 15. Pſ. XXV, 3. XXXIV, 17. CXIV, 9. pro התהלך habent, εὐαρεστεῖν, non, *placere*, ſed, *ſervire*. Eſt mihi quidem haec veriſimillima, ac prope certa explicatio, conjugationi Hithpael inprimis apta, quae ex origine eſt paſſiva; ergo ex הָלַךְ *ire*, הִלֵּךְ foret, *ire facere ire jubere*, הִתְהַלֵּךְ *juſſu alicujus ambulare, ejus juſſa exſequi:* ita tamen ut honorificentiſſime, de muneris functione phraſin uſurpari videam. Inſignis locus 1 Sam. II, 35. de ſacerdote, quem deus eliget, התהלך לפני משיחי *munere ſuo fungetur coram rege meo*, cui nempe ſubjectus eſt, et ſervit, quin ipſo de rege, munere ſuo fungente, 1 Sam. XII, 2. *ecce rex veſter* מִתְהַלֵּךְ לִפְנֵיכֶם *munere fungens* (rem publicam adminiſtrans) *coram vobis*. Huc et retulerim Malach. II, 6. ubi paullum mutata conſtructione, et in Kal, de Levitis ponitur: *in integritate et rectitudine* הָלַךְ עִמִּי *ivit coram me*, i. e. miniſterio meo functus eſt, *et reduxit multos a peccato*.

Eximie vero ex hac ſignificatione lucet Geneſ. V, 22. 24. ubi loco ejus, quod ad reliqui capitis morem ſcribendum fuiſſet, *et vixit* (ויחי) *Chanochus, poſtquam Metuſalam genuiſſet, trecentos annos, — fueruntque omnes Chanochi dies 365 anni,* (וימת) *et mortuus eſt*, plane inſigniter ſcriptum, *et ſervivit Chanochus Deo* (ויתהלך את האלהים) *poſtquam Methuſalam genuiſſet, trecentes annos: — ſervitque Chanochus deo, ſed non erat, quia recepit illum deus:* quae legens, quis non id ſibi videatur legere, ſanctiore jam in templo Chanochum poſt mortem deo ſervire, ſupereſſe poſt fata, et ſacerdotio fungi auguſtiore?

 Ex

Ex hac verbi significatione et nomen accipio

מַהְלָךְ *munus*, Zach. III, 7.

in quo notemus, עמד *stare*, et הלך *ambulare*, jam prope ut synonyma conjungi, et vero ut phrasin sacerdotalem. Summo sacerdoti deus: ונתתי לך מַהְלְכִים בין העמדים האלה, *dabo tibi ministerium inter eos qui hic stant*, angelos, mihi ministrantes. Sic quidem secundum puncta vertendum arbitror, in quibus mire luserunt interpretes, ut ex illis *ambulantes* i. e. *ministros* Josuae datos efficerent, מַהְלְכִין pro מַהְלְכִים scriptum statuentes. Quamquam et a punctis si recesseris, multo verisimilior sententia, dari Josuae ministerium inter angelos, superis sacerdotem eidem deo servientibus aequari, quam superos sacerdoti ipsi ministros, quod comminisci solent.

הָלַל

Novam significationem verbo non adfero, lexicographis incognitam, sed notas ad aliquam seriem redigo, soli hic aliquando etymologiae serviens. Viderunt et ante me verum aliqui eorum, qui lexica scripserunt, ut, Simonis, parcere ergo literis possim, sed tamen videntur aliqua cuique addenda, et quae quisque vere dixit ex linguis sororiis confirmanda, quod brevius fiet, si et ab illis dicta non subticuero. Ergo me judice

1) prima vis verbi הלל est *in splendendo*, *lucendo*. Arabibus هلّ est, *splenduit*, *adparuit*, exque lingua Hebraica insignis se offert locus, lexicographis dudum citatus, Jes. XIII, 10. ubi de stellis dicitur, לא יָהֵלּוּ *non splendent*. Eodem et retulerim, de qua plerumque aliter sentiunt, consvetam lectionem impressorum bibliorum, Jes. XIII, 16. *ibi Arabs* לא יַהֵל *non ignem accendet*, Arabes nempe ex igne nocturno, quem accendunt, eminus agnoscuntur, estque descriptio magnae vastitatis, nullam ibi uspiam lucem conspi-

conſpici. Vide Apoc. XVIII, 23. Eodem et referendum Job. XXV, 5. nec vero, ut fecit Coccejus, multique ex interpretibus, recepta lectio יאהיל, quae omnino nequit ad הלל referri, ſed vertenda eſt, *usque ad lunam tentorium non figit*, (quam crepant literae א epentheſin, merum eſt figmentum grammaticorum, nullo uſu Hebraicae nec ſororiarum linguarum confirmata): ſed ex alia lectione, יָהֵל. Hanc quidem veteres omnes, ſed varie, expreſſerunt, LXX. Vulg. Chald. Syrus, de quibus vide dicta in biblioth. Or. T. VIII. p. 201. ex codicibus qui nobis ſuperſunt, unus habet, 249 Kennicotti, Taurinenſis 4. Verte, *usque ad lunam nulla lux eſt*, i. e. omnia ſublunaria tenebroſa, nebuloſa, impura. Vide verſionem germanicam, notasque ei adjectas.

Germanum quidem non poteſt non aliquo modo percellere hic linguarum Orientalium cum ſuo, *helle*, (lucidus, ſplendens) concentus, unde nec mirum, Simonem aliquid de eo in lexico monuiſſe. Sed et offerunt ſe alia, ut, ἥλιος, quem a ſplendore volunt dictum. Qui ſi concentus verus eſt, nec caſu conſtitit, quod equidem aliis dijudicandum relinquo, caveamus tamen ab ea deliratione, quae noſtram linguam, aut omnes totius terrarum orbis, ab Hebraica ortas arbitratur, ſed dicamus potius, ex paucis eſſe reliquiis vetuſtioris linguae, quae in plures linguas manarunt, ut, *ſaccus*, *miſceo*, יַיִן *Wein*, *vinum*.

2) A lucendo dicitur in Piel הִלֵּל *laudare*, proprie, *illuſtrare laudibus*, *fulgentem reddere*.

3) Lucendi hoc verbum maxime ad lunam transferunt Arabes, cujus prima phaſis, هلال indeque initium menſis, هلّة dicitur, et مُهَلَّل *curvatus*, *in falcatae lunae modum*. Hincne

4) *insaniendi* fluxit significatio, lexicis omnibus nota, maxime sub forma Piel, הולל, q. d. *lunaticus fuit.* Sic quidem apud Britannos in jure gentis, *lunacy* omnem complectitur omnis generis vesaniam. Hoc nisi placeat, הולל *insanire,* cum suis derivatis, ad radicem הול referendum erit, quam Arabibus terrorem significare supra diximus. A terrore quidem limphatico vesaniae nomen duci recte potuerit.

Undecunque orta sit haec sub his literis *insaniendi* notio, ex illa quidem lucem accipit obscurior locus Ps. XVIII, 4, מְהֻלָּל אקרא יהוה, aut si malis, מְהֹלָל, amens, i. e. *terrore et timore limphaticus*, (omnia desperans) *invoco Jehovam.* Vide et Cohel. VII, 7. Alios codices מהולל habere supra monui, quod plane ad הול pertinet, sententia forte idem, si vesania a summo terrore dicta.

5) A luce gaudium dicere orientales solent, sicque et Arabibus هَلَّ, vertente Golio, *exsultavit prae laetitia*, itemque in conj. 5. تَهَلَّلَ (vide exempla a Castello collecta) unde تَهْلِيل ἀγαλλίασις, Luc. I, 44. Hac significatione, lexicis praetermissa, et Hebraicum verbum accipi velim Ps. X, 3. הִלֵּל רשע על תאות נפשו *exsultat injustus ob malevola sua desideria*, nempe, impleta videns omnia. Certe vix potest verti, ut alii faciunt, *laudat*, deest enim nomen ejus quem laudat, nec, *gloriatur*, id enim in dicendum התהלל fuisset.

6) A laeta nuptiarum festivitate est et הולל nuptias celebrare, quod infra sub הִלּוּלִים melius explicabitur.

הוֹלֵל *insanus*, i. e. *perditae mentis.*

Omne scelus stultitiam dicunt Hebraei, נְבָלָה, recte quidem illi, quod sine stultitia magnoque errore committi nequit: sic et הולל *insanus*,

ſanus, pro perditiſſimae mentis homine, vecorde ſceleribus, ponitur, Pſ. V, 6. LXXIII, 3. LXXV, 5. (ubi iidem qui in altero membro רשעים).

תָּהֳלָה vel potius תְּהִלָּה *ſtultitia.*

תהלה Job. IV, 18. *ſtultitiam* eſſe, plerique recentiorum conſentiunt, praeiveruntque LXX. σκολιὸν, Vulg. *pravitatem* (ſtultitiam ſenſu morali) Syr. ܬܘܗܝܐ *ſtuporem*, Chaldaeus, עַוְלָא *iniquitatem*. Retulit et ad radicem הלל Coccejus, quod quidem, ſi puncta תָּהֳלָה ſequaris, ut ipſe fecit, grammaticis legibus contrarium: in rei equidem ſumma, licet timidiuscule, conſentiens, punctis mutatis תְּהִלָּה ſcribo. Unus adeo Kennicotti codex, 48, alias quoque lectiones inſignes habens, תהילה ſcripſit, quod ne poteſt quidem *Thohola* efferri.

Haec ſcribens, non nego, aliquid mihi in vocabulo ſuſpectum eſſe, quod alias ſemper in melius poni de laude ſolet, meque de lectione addubitaſſe. Maluiſſem, תפלה, *ſtultitiam*, aut הִתָּלָה, *illuſionem*, *praeſtigias*, a תול, legere: ſed interrogati codices non ſunt ſuffragati. Quam Schultenſius habet, *vanitatem*, conferens ثهل *fruſtraneus fuit*, contra analogiam linguarum excogitata eſt, et reprobanda, donec certis exemplis, non conjecturis, probetur ث Arabum, ſemper pro ש Hebraico poſitum, etiam ת Hebraeorum reſpondere. Vide gramm. Ar. §. 2. p. 15 – 18.

Inſaniam ſi luberet ad radicem הול referre, pluresque codices תהילה haberent, poſſis quidem ſic laudem et ſtultitiam diſtinguere, ut תְּהִלָּה *laus ſit*, תְּהִילָּה *veſania*, *ſtultitia*. At uni codici quis diverſitatem lectionis credere auſit, maxime hanc Jod ſuperflui, quod germanici codices, qualis eſt judice Kennicotto 48, innumeris locis habent, forte et hic ipſe ante Dageſch forte, תְּהִילָּה?

הלולים

Bis occurrit, Levit. XIX, 24. Jud. IX, 27. *laudationes*, vel *laudes*, verti solitum, nec de priore loco contradico, ubi antiquos fere omnes praeivisse video: at in posteriore *laetum* mihi potius *festum*, esse videtur, a laetandi significatione ducto vocabulo. (pag. 536.) *festum vindemiae*, saltationibus et canticis, potoque musto, peractum. Sic quidem et Thalmudicis הלולים de nuptiis ponitur, unde domus nuptialis בית הלולים. Vide Buxtorfium p. 616. Huc fere redeunt ex veteribus, Chaldaeus, חנגין i. e. *saltationes*, Vulg. *cantantium choros*, et Arabs مايدة هَيَّؤُوا *instruxerunt convivia*, interpretati. Quod si tamen hoc loco festiva tempora denotat et convivia, non video, cur non et Levit. XIX, 24. eadem significatione accipiendum, vertendumque sit, *fructus erit sanctus conviviis festivis in Jehovae honorem*.

Caeterum de scriptione nominis apud Orientales dicendum. *Hillulim* festivae laetitiae nomen, sono prope eodem manente, referri poterat ad הלל *laetatus est*, sed et ad חלל *saltavit*, indeque aliqua oriri scriptionis varietas: Syrus הלולים Jud. IX, 27. ܡܫܬܘܬܐ vertit, quo ipso nomine Matth. XXV, 10. pro εἰς τοὺς γάμους usus est, *ingressae sunt* ܠܒܝܬ ܡܫܬܘܬܐ, plane ut Thalmudici בית הלולים dicturi fuissent. Hinc et aliqua in Hebraicis lectionis varietas: in Levitico Samaritani codices חללים vel חלולים habent, quod forte posses, nisi tanta esset codicum Samaritanorum constantia, ad confusionem referre literarum gutturalium librariis Samaritanis propriam, verum et in Judicum libro, ubi nulla lectionis varietate codices Kennicotto consulti He habent, olim in quibusdam חללים vel חלולים lectum fuisse, index est Theodotion, αὐλοὺς, *tibias* (חֲלִלִים) vertens. Meminerimus Germani, et nos de etymo quorundam nominum vernacu-

naculorum ambigentes, in ſcriptione etiam diſcordes aliquando eſſe, aut fluctuare.

Ab הִלּוּלִים *feſto*, maxime nuptiali, denominativum puto quod Pſ. LXXVIII, 63. legitur, *juvenes in bello occubuerunt, et virgines* לֹא הוּלָלוּ (ſeu ut unus codex, ſed recentiſſimus et latino-hebraicus, 73, per Chet habet, לא חוללו) *innuptae manſerunt.* Alii eodem ſenſu, ſed ab epithalamio ducta locutione, *non laudatae ſunt*, magis ad noſtrum morem, quam ad orientalium, qui ſolent novis nuptis maledicere, et vituperia ingerere, faſcini metu, ac veriti, ne laudes, multoque magis epithalamia, primae illis noctis gaudia praeripiant.

הֵילֵל *Lucifer*, fictitium nomen.

הילל Jeſ. XIV, 12. obvium LXX. ἑωσφόρον verterunt, (ἑωσφόρος ὁ πρωῒ ἀνατέλλων) indeque Vulgata, *Lucifer, qui mane oriebaris.* Non inepta argumento prophetae imago: rex Babylonius optime comparari Lucifero poſſit, omnes reliquas ſtellas fulgore vincenti, nec opus foret, ut fecerunt olim patres, daemonem ab inferis evocare, quem Luciferum vocabant, exque coelo volebant apoſtatam delapſum. Verum et his anilibus ſuperſtitioſorum (ſuperſtitioſarum prope manus effudiſſet) fabulis miſſis, multa ſunt, quae hic Lucifero, ſtellae matutinae, obſtant

1) nuſpiam video Venerem Orientalibus ab הלל dictam: lunae inde nomen duxerunt Arabes, nulla gens orientis Veneri.

2) הילל verbo conjugationis Hiphil הֵילֵל *ejula*, ſimilius, quam nomini. Sic quidem et alii veterum accipiebant, Syrus, ܐܝܠܠ ܨܦܪܐ *ejula mane*, ipſeque adeo Hieronymus, Vulgatae alias emendator: *pro eo, quod nos interpretati ſumus ob facilitatem intelligentiae*, Lucifer qui mane oriebaris, *in Hebraeis, ut verbum exprimamus ad verbum, legitur: ulula fili diluculi.* Nec ulla ratio cogit

cogit aut ſvadet, id quod ſe ipſis prope oculis ut verbum conjugationis Hiphil offert, in nomen mutare formae plane inſolitae. Inſolentiam formae ipſi fatentur, qui Luciferum optant, lexicographi, nec enim ratio reddi literae Jod in nomine poteſt, הלל potius ſine Jod ſcribendi, (ut quinque quidem codices Kennicottiani habent). Reddere eam conatus eſt Hillerus, (indignus cui Simonis in lexico calculum adjiceret) compoſitum dicens ex הל *ſplendor* et ליל, noctis: verum ſic alium potius locum Jod occupaturum erat, הליל.

3) Stella matutina, Venus, et ipſa pulcritudine feminina viſa eſt plerisque gentibus, hancne putes Hebraeis, ut ſequitur, בן שחר *filium crepuſculi dici?* Quidni potius בת שחר, *filiam crepuſculi?*

4) De ſtella matutina ſi ſermo, rectius diceretur, *expalluiſti*, id enim vere fit, *diſparent ſtellae, quarum agmina claudit Lucifer et coeli ſtatione noviſſimus exit:* neutiquam, *decidiſti de coelo*, plerumque enim non ita alte conſtituta, ut multum cadere poſſit, ſed horizonti propior.

Equidem verto, *ejula fili Aurorae*, i. e. ſtella primae magnitudinis, quo de nomine vide infra ſub בן שחר in Schin.

הלם *ultro citroque ire, nutare.*

Verbum a lexicographis et interpretibus recentioribus ſatis unanimiter, *tundendi, contundendi* ſignificatione, nullo ex linguis reliquis orientalibus certo indicio, acceptum, atque ex novem locis, Jud. V, 22. 26. 1 Sam. XIV, 16. Jeſ. XVI, 8. XXVIII, 1. XLII, 2. Pſ. LXXIV, 6. CXLI, 5. Prov. XXIII, 35. citari ſolitum, quem enim olim lexicographi habebant decimum locum Pſ. LXXIII, 10. addebant ex paraphraſtis Chaldaei auctoritate, (*vertunt ſe contra populum Jehovae ad*

percu-

percutiendum illum malleis,) recentiores expunxerunt, הלם, et vero recte, cum LXX. Vulg. Syr. ut particulam, HUC, interpretati.

Quassandi et *tundendi* significatio, jam inde a Reuchlino in lexicis tralatitia, egregie quidem locis non paucis apta, ut sagax eam facile invenire conjectura potuerit: sed sororiis linguis, quantum nos quidem novimus, plane ignota. Et tamen tot ex veteribus eam praeiverunt, ut verecundiae sit, eam verbo omnino negare. Hieronymi Reuchlinus jam attulerat auctoritatem, *Hieronymus*, inquiens, *interpretatur, cecidit, penultima producta, Judic. V*, 22. *ungulae equorum ceciderunt; i. e. percusserunt*, illo quidem in loco forte mentem Hieronymi, ut paulo post videbimus, non recte assecutus, cui ceciderunt est potius, lapsarunt, corruerunt: sed unius exempli loco, quod abdico, plura colligam, maxime cum videam, Coccejum, qui LXX aliosque nominare solet, hic tam fuisse gratis sumtae significationis certum, ut id factu non opus judicaret. Ergo hoc quatiendi, tundendi significatu acceperunt,

Jud. V, 26. ex quibusdam editionibus LXX. ἐσφυροκόπησεν, secundum alias, ἀπέτεμε, Vulg. *percussit*, Syr. et Chaldaeus, uterque verbo מחא usus.

1 Sam. XIV, 16. Syrus, ܘܐܬܬܒܪ *fractus est*, forte et Chaldaeus.

Jes. XVI, 8. Syr. ܦܣܩܘ *amputarunt*, Vulg. *vineam - - domini gentium exciderunt*, (hoc enim loco, *ci*, longum esse, manifestum, quod supra in *ceciderunt* Reuchlino negaveram) Chaldaeus, קַפִּידוּ *exciderunt*.

Jes. XXVIII, 1. Chald. כְּתִישֵׁי חֲמַר *fracti a vino*.

Jes. XLI, 7. מְמַפַּח בְּקוּרְנְסָא *percutit malleolo*, Vulg. *qui cudebat*.

Ps. LXXIV, 6. Chald. מְחַיִן.

Pſ. CXLI, 5. Chald. יטפחנני *percutiat me.*

Prov. XXIII, 35. cui loco haec ſignificatio videbatur uni omnium aptiſſima ob parallelismum praecedentis membri, הכוני, mirum, nemo veterum eam habet, praeter Theodotionem, nec de verberibus intelligentem, ſed de irridentium exploſione, *ἀνεκρότησάν με.* Plures ſane teſtes, quam quos repudiare univerſos, ut ex ſola conjectura ſignificationem commentos, velis: nec tamen ipſi ſatis in reddendo ita unanimes, ut certi quid habuiſſe videantur, atque ne numero quidem vincentes, pleriſque enim in locis plerique veterum aliter. Ergo dubitandum, tundendi ſignificatio non protinus repudianda, ſic forte non plane cenſenda commentitia, ſi ad illam, quam linguam Arabicam habere videbimus, referri, exque illa oriri potuerit.

Moleſtum, quod linguae orientales, quibus prope omne debemus, quod in Hebraicis certi habemus, nos hic deſtituere prima fronte videntur. Ex Rabbinica lingua nemo prudens ſuppetias veteri Hebraismo petierit: in qua quidem הלם idem fere eſt, quod Hebraicum הלם ex Rabbinorum interpretatione, quamquam ſenſu potius figurato de *refutatione* errorum poſitum, forte non a contundendo, ſed labefactando ducto. Antiquiori paulo linguae Thalmudicae הלם *congruit, aptus, dignus fuit:* verum nec ea ſignificatio quidquam lucis antiquo Hebraico verbo adfundit. Syriaco verbo lexica omnino carent, quodque ſolum in illis adfertur nomen *ciceris* ܗܘܠܡܨܐ non ſolum nihil ad dicta, de quibus quaerimus, ſed et cum idem dicatur quod ܚܠܡܨܐ, forte ne ad radicem quidem per He ſcriptam pertinet. Arabicum اِهْتَلَمَ بِهِ *abiit cum eo, absportavit*, non ſolum ab hac, quam lexica Hebraica habent, *tundendi* ſignificatione alieniſſimum, ſed et illis novem ſacri codicis locis, quibus lucem petimus, pleriſque certe, aptari nequit. Eſt tamen aliquid de اهتلم dicendum,

dum, in prima nos forte veri, quod quaerimus vestigia, deducturo. Manifestum, verbum esse denominativum ab Arabico هَلُمَّ et Hebraico הלם, HUC!--- *illuc abiit cum eo*, i. e. *absportavit?* Quid si Hebraicum הלם, licet non ejusdem cum octava Arabum conjugatione significationis, ejusdem sit a particula הלם originis?

Plus jam opis adferet Arabicum هَلِمَ, *flaccus* Golius vertit, ipse Geuhari مُسْتَرْخٍ, i. e. *laxus*, *laxatus*, *flaccidus* de equis etiam laxatis habenis currentibus poni solitum. Hoc si Hebraico compares, esse videbitur, *laxari*, *vacillare*, *nutare*, forte proprie, cum Arabicum tum Hebraicum, a particula הלם, *huc illuc ire.* Ab hac quidem laxandi et nutandi notione potuerit et verbum transitive esse, *labi facere*, *prosternere*, nempe sive pro conjugationum Kal et Hiphil diversitate, sive prout הלם intransitive, et הלם transitive extuleris, qua de duplici forma conjugationis Kal, Arabibus notissima, plura in grammatica Hebraica dicemus.

Tentemus jam, aptane novem locis haec significatio sedeat, audiamusque veteres, si quid ei concinens habeant, interpretes. Ergo

1) prima quam ex derivatione habet notio, *huc illuc eundi et fluctuandi*, sola prope verbis 1 Sam. XIV, 16. ההמון נמוג וילך והלם apta videtur, *multitudo fluctuabat* (vide lex. sub מוג) *ibatque, et huc illuc errabat.* Pro ipsa ibi particula habuerunt LXX. ἡ παρεμβολὴ τεταραγμένη ἔνθεν καὶ ἔνθεν, et Vulgata, *multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens.* Caeterum malim והלם vel והלם efferre, quam, ut masorethae jusserunt, והלם.

2) De equis Jud. V, 22. positum, אז הלמו עקבי סוס, *nutare*, *lapsare* esse videtur. Sic jam praeivit Syrus, ܕܢܦܠܘ ܥܩܒܐ ܕܪܟܫܐ

ܢܦܠܐ ܥܩܒܐ *cecidit calcaneus equorum*, et Vulgata *ungulae equorum ceciderunt*, *fugientibus impetu et per praeceps ruentibus fortissimis hostium.* Adscripsi totum ex Vulgata versum, ne *ceciderunt* cum Reuchlino ad *caedo* referas. In rei summa etiam LXX. consentiunt, licet alio verbo usi, ἐνεποδίσθησαν πτέρναι ἵππου. Sic illi ex consveta lectione, alii enim codices ἀπεκόπησαν habent. Eodem et redit Chald. אשתלהבו quod ipsum est, *excidere.*

Quaerere possis, cur non potius vertam, *admissis habenis fugerunt*, cum id استرخى significare dixerim? Displicebat, ob sequens עקבי calcanei; praeferebamque versionem, aliquo veterum consensu, qui vixerunt antequam plane mortua esset lingua Hebraica, firmabatur.

3) הֲלוּמֵי יָיִן *nutantes*, *ultro citroque nutantes vino*, Jes. XXVIII, 1. qui sint, quis est, qui non statim intelligat? ebrii! — —. Hic quidem demta figura, solam ebrietatem exprimentes, LXX. οἱ μεθύοντες, Theodot. καταγενυγμένοι (soporati) Syrus ܡܫܬܡܛܝܢ *stupidi*, Symmachus, πεπλανημένοι, eumque in Vulgata sequutus Hieronymus, *errantes vino*: solus aliquid etymi expressit, nec tamen nutationem, sed *lapsum*, Aquila, κατελασμένοι οἴνῳ *dejecti vino*.

Eodem sine dubio pertinet Jes. XVI, 8. בעלי גוים הלמו שרוקיה, nisi quod ibi verbum transitive accipiendum, *cujus palmites dominos gentium nutare fecerunt*, i. e. *inebriarunt*: quo tamen in loco neminem ex veteribus nactus sum consentientem. —

Ad eandem ebrietatis, sed sanctae, notionem et refero, Pf. CXLI, 5. יהלמני *inebriet me pius pietate*, seu, ut in versione germanica reddidi, *der Fromme berausche mich mit dem Rausch der Tugend.* Nempe ante de sceleftis quae fugiebat malorum conviviis locutus vates

tes erat: his sanctam opponit ebrietatem, de qua loqui orientales poetae solent. Vide notas germanicas ad hunc locum, et similia de sancta ebrietate dicta poetarum Orientalium a *Jones* de poesi Asiatica excerpta, ut p. 227. *ebrius est solummodo aeterni foederis amore is, qui more Hafezi vinum purum bibit. — — Jucundum cor sit illi, qui Hafezi similis poculum aeterni foederis cupiat. — — Amoris ebrietas capiti tuo non inest. Ahi! tu enim succo uvarum ebrias es. — — forsan unus amoris odor te inebriabit, et faciet te foedus divinum quaerere. — —* P. 228. poëtae Turcici dictum: *noli putare, nos uvae succo ebrios esse. Nos eas tabernas colimus, ubi divini foederis vino inebriamur.* Adde ex N. T. Luc. I, 15. Eph. V, 18. 1 Cor. XII, 13. et ex Philonis libro de Mose Mangeyanae editionis T. I. p. 80. (aliis pag. 459. vel 631.) libroque de ebrietate, Mang. ed. T. II. p. 379. 380. (aliis 203 vel 262). Quod quidem Lutherus habet, *der Gerechte schlage mich freundlich*, ex lexicis petitum, pulsandi significationem nullo argumento Chaldaeo interpreti hic credentibus: nec satis decora illi loco verbera. Admonitiones, abjurgationes amicas amice ferimus, non alapas.

Denique eodem refero Jud. V, 26. הלמה סיסרא *inebriavit Sisseram*, lacte nempe camelino, quod acidum factum inebriat. Vide notas ad Judic. IV, 19. et confer, qui aliquid hujus rei vidisse videtur, Josephum Ant. V, 5, 4. δίδωσι γάλα διαφθορὸς ἤδη. Ὁ δὲ πιὼν τοῦ μέτρου δαψιλέστερον εἰς ὕπνον τρέπεται *dedit illi lac acidum jam factum, quod immoderatius bibens in somnum incidit.*

3) Jes. XLI, 7. הֹלֶם פָּעַם sive erit, *nutans ac tanquam claudicans gressu*, sive, quod jam malim, *reciprocans gressum*, follem nempe calcans, eique jam hunc pedem imponens, jam illum. Ridicule in idololatras dictum: *brachio malleans deum animos addit*

follem calcanti. Vide verſionem germanicam. Idemne mecum ſenſerunt LXX. ἅμα ἐλαύνων vertentes?

4) Supra jam monui, verbum et tranſitive accipi poſſe, ſive in Piel, ſive in ipſa conjugatione Kal, pro ratione vocalis mediae radicali ſubſtratae. Sic quidem Proverb. XXIII, 35. accipio, ubi ebrius: *percuſſerunt me, nec dolui,* הֲלָמוּנִי *vacillare me fecerunt, nec novi,* ubi quidem tandem aliquando, rem ipſam ſi ſpectes, idem erit quod *tundere.* Ebrium joci et riſus cauſſa impellimus, ut vacillet et labatur. Nec tamen vel hic ſimpliciter eſt trudere, multoque minus, verberare. — — Proxima quidem hic mihi, aut plane conſentanea, vulgata: *traxerunt me.* LXX et Syrus, ἐνέπαιξάν με, et ܡܒܙܚܝܢ ܗܘܘ ܒܝ, *illuſerunt mihi,* vertentes, utrum idem mecum ſentientes paraphraſtice expreſſerint, an ſola conjectura duce eodem pene pervenerint, an denique Hiphil a radice לום putarint, quae Arabibus eſt, *reprehendere, temnere,* definire non auſim. Mirum quoque, Chaldaeum, in Proverbiis alias illis conſentire ſolitum, hic plane inſolite habere, בזזוני *diripuerunt me.* Scripſeritne potius בזחוני, Syri adeo ipſiſſimum verbum ſuum faciens?

5) Pſ. LXXIV, 6. prout lubuerit, intranſitive vertere poſſis, *nutant,* ſive tranſitive, *nutare faciunt, labefactant.* Sic quidem hoc loco fere omnes, κατέῤῥαξαν, indeque Vulgata, *dejecerunt,* Symmachus, κατέῤῥιψαν, Syrus, ܐܪܡܝܘ. Sic quidem, ut p. 541. ominabar, ſignificatio quam lexicographi habent, totque praeiverunt veterum, non plane falſa.

Caeterum, quod Pſ. CXLI, 5. habent LXX. Vulg. Syr. παιδεύσει, *corripiet,* ܢܪܕܝܢܝ, prorſus conjecturale eſſe videtur: graecae autem

tem verſionis Jeſ. XVI, 8. καταπατήσατε τὰς ἀμπέλους αὐτῆς, ut ſaepe in Jeſaia, nullam reddere rationem queo.

הלמות *potus inebriens, ſoporifer, oblivifci laborum faciens* Jud. V, 26.

Jael ſiniſtram ad paxillum, dextram extendiſſe dicitur לְהַלְמוּת עמלים quod prope unanimiter veteres, LXX. Vulg. Syr. Ar. *malleum* vertunt, et vero *laborantium* i. e. fabrorum, majorem malleum. Sequutus et illos olim in verſione ſum germanica: verum cum nulla Orientalium linguarum ſub his literis malleum habeat, nec verbum ſit, *percutere*, unde malleum dictum putant, non ſolum ſuſpecta mihi fieri coepit conſveta verſio, ſed et alia ita adblandiri, ut vix poſſim non praeferre. Meminerimus הלם de *nutatione ex ebrietate* poni, Jaelamque Siſſerae lac acidum porrigere, quo inebriatus alto ſopore opprimitur. Jam quid facto, quod canitur aptius, quam הלמות *inebriatio, nutatio*, id vero eſt, poculum inebrians ac ſoporiferum, עמלים *laborantium*, jam non, fabrorum, ſed *miſerorum*, ut ſaepe עמל Hebraeis ponitur, quo epoto aerumnae obliviſcuntur. Ita ſi accipias omnia egregie lucebunt, dextra quoque et ſiniſtra, illa potum inebriantem amice porrigens, haec lethalem paxillum occultans: *aquam poſcebat, lac porrexit, in vaſe pulcro lac obtulit acidum* (חמאה quod vide) *Manum* (ſiniſtram) *ad paxillum extendebat, dextramque ad poculum ſoporiferum gratum infortunatis, et aerumnae obliviſci faciens. Inebriavit Siſſeram, percuſſit caput ejus* &c.

מהלמות Prov. XVIII, 6. XIX, 29.

In priore loco optime eſſe poſſit ab Arabico هَلُمَّ *adeſto!* Hebraicoque הֲלֹם ut particula provocantis ſumtis, vertique, *provocationes*. Filo etiam orationis perquam aptum *labia ſtulti veniunt ad litem, et os ejus ad provocationes clamat*. Proxime a me abſunt, qui *jurgia*

 habent.

habent, Vulg. et Chald. forte ex conjectura. Recentiorum plerique, *verbera*, *colaphos* intellexerunt, quod cur meum non faciam ex supra de verbo הלם dictis intelligetur. Schultensius copiose de verbo, sed fere omnia quae habet ad لهم pertinent, *vorare*, *deglutire*, pro quo non negaverim aliquando et aliquos Arabes transpositis literis هلم dicere potuisse; est tamen alia radix, nec huic loco ita ut *provocationes* apta, *bucella*, *quam avide inglutinus*. — — Hae quidem ut me minus movent versiones, fateor dubium reddere LXX. Syr. et Arabem, qui aliter divisis in verba literis, de ore mortem advocante intelligunt, לָמָּה לַמָּוֶת יִקְרָא τὸ στόμα αὐτοῦ τὸ θρασὺ θάνατον ἐπικαλεῖται, ܡܩܪܒܐ ܠܗ ܠܡܘܬܐ (*pervenire eum facit ad mortem*, יקרא occurrendi significatu accipiens, فم المتهجم يستدعي الموت.

Alia alterius loci Prov. XIX, 29. ratio ומהלמות לגו כסילים, cui, quam superiori dedi *provocationis* significatio non satis apta, licet circumscribendo mollire possis, *et stulti in suum alios dorsum provocant.* Non diffiteor verbera, modo haec nominis notio probari ex linguis Orientalibus posset, apte sedere. Sic Syr. et Chaldaeus, ܡܚܘܬܐ ; מחתא, cujus loco generalius vocabulum τιμωρίαν LXX. habent, et male, ut mihi videtur, *malleos* Vulgata, baculum potius exspectasses. Schultensius quoque verbera vertit, licet pag. 190 edixisset, הלם *tutudit, et quidem speciatim malleo, fabulosum.* Equidem, ut fassus sum, הלם forte esse posse, *vacillare fecit, tutudit*, verberandi tamen nullum vestigium nec ex usu linguarum, nec ex translatione a vacillando suppetit.

Sed et hic forte literae aliter in voces dispertiendae, egregia sententia: וּמָה לַמָּוֶת לָגוּ כסילים *et quid mortem importune poscunt stulti*, aut, *quid ad mortem usque litigant stulti*, utrumque enim Arabicum

bicum لسع significat. (In versione germanica reddens, *tödtliches Gift geht in die Eingeweide des Narren*, sic discreveram, וּמֹהֵל מָוֶת לְגוֹ כסלים. Nempe مُهْل inter alia *venenum* est: sed prius praefero, vel ob parallelismum utriusque loci.)

יַהֲלֹם *gemmae ignotae nomen.*

De יהלם egit Braunius in libro secundo de vestitu sacerdotum c. 13. pro aliorum sententiis, aut potius conjecturis, quas recte repudiavit, suam substituens, *adamantem*. Id vero jam per se vix opinabile: nec enim solum obstat, quod in Apocalypsi, ut recte monuit Braunius, adamas in duodecim gemmis non comparet, sed multo gravius, quod vix sine certo teste sumi potest, Mosis tempore artem durissimo adamanti nomina insculpendi, inventam jam fuisse, unde optime videtur in gemmis, quibus tribuum nomina incidenda erant, omitti. Adde, ne sextum quidem inter gemmas locum, quem יהלם Exod. XXVIII, 18. obtinet, gemmarum nobilissimae convenire. Sextae aut *Nafthali* nomen inscribendum fuisset, si ordine natalium nomina inscribebantur, aut Danis, si eo ordine quo Num. VII. nominantur. Judae aut Ephraemi nomen adamantem decuisset, non Nafthali et Danis.

Et vero hanc sua jam sponte veri dissimillimam sententiam, quibus argumentis Braunius firmat? Antiquorum de quibus sperare possis, plus eos nobis de vocabulo Hebraico cognitum habuisse, nullius nomen auctoritatemque adfert, sed Abarbanelis, Abenesrae, Lutheri, Belgarum, Junii, Diodati. Haec quis in ejusmodi quaestione nomina exspectasset? quibus tamen quantum tribuat, nempe, ut אדם adamantem neget, *quia tot viris doctis non leviter sit contradicendum*, vide p. 634. Deinde Graeco Ἀδάμας utitur, cui Graecam a δαμάω

(gemma invicta) derivationem negat, vultque a יהלם Jod abjecto et L in D mutato, quod literae Δ et Λ sint figurae similitudine facillimae permutatu, nomen habere: quo graecae linguae concentu uti si voluisset, אדם potius futurus *adamas* erat, ex monte quem dicunt Adami adlatus, nobilioremque locum Judae tribus occupans. Denique commentitiam ex Judaeis adfert a הלם *confringere* derivationem, *quod adamas frangat omnes* lapides, ipse non frangatur. Hanc vero significationem verbi gratis sumtam supra vidimus, ac si etymologicis artibus gemmae investigandae, aequius foret de amethysto cogitare, cui ut a μεθύειν Graeci nomen duxerunt, ita forte et Hebraei ab הלם *inebriare.*

Ergo, donec novae quid lucis adfulgeat, quae gemma יהלם sit fateamur nos ignorare.

הָמָה

Quam *strependi*, *tumultuandi*, *turbandi* significationem verbo dederunt lexica, inductione quidem exemplorum ita firmatur, ut de ea dubitare nequeas: nec tamen orta, ut fere volunt, a generaliore commovendi, nec nostrum verbum idem, quod המם, sed prima ejus vis in *fluendo* fuisse videtur. همى *fluxit*, et Hebraeis, non lenem quidem, sed fortiorem ruentis aquae impetum significasse videtur: Jes. XVII, 12. Jerem. V, 22. VI, 23. XXXI, 35. LI, 55. Ad quem proprium usum et nomen המון Dan. XI, 6. referendum, *vox ejus erat* כקול המון non, *ut vox strepitus*, sed, ut egregie auctor Apocalypseos, suam ex Daniele imaginem Christi ornans, c. I, 15. ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν, *ut sonus impulsi maris.* Hinc ad alios graviores sonos, omnemque tumultum transfertur: Jes. XVI, 11. de cythara adeo positum, cujus sonus aliquando fragori maris eminus audito similis. Apocal. XIV, 2.

Ob

Ob locum difficilem Pſ. IX, 7. quem in verſione germanica mutatis punctis ad radicem המה retuli, אבד זכרם הֵמָּה, vertique, *periit memoria eorum, aufugit*, aliquid et de translata verbi apud reliquos Orientales ſignificatione dicendum. Arabibus quidem همي inter alia eſt, *huc illuc paſtum vagatus eſt grex*, hoc ipſum a fluendo, ac proprie, *diffluxit*. Hinc jam a vagando et aberrando Syris ܗܡܐ eſt, *neglexit, avertit oculos, adſpectum*, maxime etiam cum ܡܢ conſtrui ſolitum, e. g. Aſſem. biblioth. Or. T. I. p. 21. de Jacobo Niſibis epiſcopo, ܠܐ ܐܗܡܝ ܡܢ ܐܝܢܐ ܕܦܐܝܐ ܗܘܐ ܠܗ *non receſſit a decoro*: — p. 57. ܐܗܡܝܢ ܡܢ ܡܟܬܒܢܘܬܐ *refugimus a ſcriptione*, i. e. *noluimus ſcribere*. His quidem non ſatis certis indiciis auſus ſum et *fugiendi*, *diſparendi*que ſignificatum verbo tribuere, adque locum, ex vocalium lectione languidum aut obſcurum transferre. Rectene fecerim, nondum pro certo definio. Poſſit et alii videri, המה ut majus et ſonantius poſt אבד poni, forte pro, *merſa profundo eſt* (memoria ipſorum). LXX quoque ibi de הֵמָּה cogitaſſe, jam in bibliotheca Orient. T. XI. p. 201. monitum, vertunt enim, *ἀπώλετο τὸ μνημόσυνον αὐτῶν μετ᾿ ἤχους*. Hoc quid ſit, utrum, *interiit memoria ipſorum cum gravi ſonitu*, (ex alto in profundum decidens, ac ſubmerſa)? an, *interiit memoria ipſorum, ut ſonus interire ſolet?* an denique alius? in dubiis relinquo, nec enim omnia hic obiter congerere cupio, quae opinabiliter dici poſſunt: id tamen certum literas המה interpretem graecum non ad הֵמָּה pronomen, ſed ad radicem הָמָה retuliſſe.

המון *multitudo, exercitus.*

Nomen, terminatione maſculinum, feminine conſtrui volunt, Job. XXXI, 34. הָמוֹן רַבָּה *multitudo magna*, hacque ſola auctoritate generis communis eſſe tradunt. Incertum exemplum, poſſit enim רַבָּה

et

et in gignendi casu verti, ut fecerunt, grammaticarum legum hic valde studiosi LXX. *πολυοχλίας πλήθους*, Syrus ܫܘܓܢ ܕܥܡܡܐ, Chald. רִכְפַּת גֵּיוְתְנַיָּא *fremitus superborum.*

Multitudinem et pro numeroso poni exercitu posse, monitu vix opus: Danielis tamen XI, 11. 12. 13. ita repetitis vicibus illa constructione המון *exercitus* est, ut prope *κυρίως* hanc significationem tempore Danielis nactum videatur. Lege e. g. v. 11. ונתן ההמון בידו *et dabitur multitudo sub manum ejus*, pro, *praeficietur exercitui*, *ipse rex Philopator dux erit exercitus.*

המון *Gabrielis apud Judaeos nomen.*

המון Jes. XXXIII, 3. *angelum* reddit Vulgata, Hieronymusque in commentario annotat: *a voce enim angeli, quem Symmachus ita ut in Hebraeo scriptum est transtulit AMUN, quem Hebraei Gabrielem autumant, et habere etymologiam populi* &c. Inane somnium Rabbinicum, scitu tamen necessarium, ut intelligas, quomodo acciderit, ut in Vulgata *angelum* pro Hebraico המון legamus.

המון *Juppiter Hammon?*

אמון Jovis Ammonis nomen esse proprium, et monuerunt ex lexicographis alii, et infra sub נא אמון, attingendum nobis erit. Hic vero Ammon, cum Thebis maxime olim cultus superbissimis fuerit templis, ipsique urbi nomen נא אמון, *Diospolis* dederit, cui haec Ezechielis legenti, והכרתי את המון נא, cap. XXX, 15. non verisimile prope videbitur invito, vertendum esse, *exscindam Hammonem Thebarum*, Jovem ipsum Diospolitanum? Et tamen omnes, a quibus solus secedere in versione germanica non ausus sum, adpellative *multitudinem* intellexerunt, ipsi, quod mirere, LXX, sed המון נף legentes, quod nullus jam codex habet, verterunt enim, *ἀπολῶ τὸ πλῆθος Μέμφεως*. Vide pag. 202.

המלצר

המלצר Dan. I, 11.

Plerisque nomen visum est proprium, cui sententiae, et mihi verisimillimae, favet terminatio צר in Chaldaeorum nominibus frequentissima, nec obstat He, modo non praefixum habeas, sed partem vocabuli. Est tamen duplex varia lectio, quamquam in codicibus Hebraicis Kennicotto non inventa, ex qua possit adpellative ut nomen muneris verti,

1) המלצר quam graecis literis Theodotion expressit, Αμελσαδ, quibus literis si puncta substernamus, הַמְּלְצַד habebimus, *illum qui est a latere*, *collegam*, apta loco significatione.

2) המנצר Arabs مناصر, et Syrus v. 16. ܡܢܨܪ, מְנַצֵּר *custos* erit, *inspector juvenum*.

Sed hae auctoritates mutandae lectioni minime improbabili neutiquam sufficiunt, ac Syri prope nulla auctoritas, solent enim librarii Syrorum frequentissime in N pro L ponendo errare. Vide gramm. Syr. p. 6.

הֲמוּלָּה, המל Jerem. XI, 16. Ezech. I, 24. *imber*, *strepitus*.

Non occurrit nisi apud duos, quos indicavi, scriptores coaevos, obscurum certe vocabulum, de quo nihil, quod satisfacere quaerenti possit, hucusque adlatum. In ponendo omittendove Vau, (המלה, המולה) codices discordes. Interpretationis magna divergia, ac ne convenit quidem interpretibus et lexicographis de radice.

1) Ad מול *circumcidere* in Jeremia retulerunt LXX, εἰς φωνὴν περιτομῆς αὐτῶν, sicque et Syrus, ܠܩܠܐ ܕܓܙܪܬܐ ܕܗܘܢ: licet enim Ephraemus, biblia Syriaca non inspectis Hebraicis interpretari solitus, ܓܙܪܬܐ hic *decretum coeleste* intellexerit, manifestum tamen, cum ex Hebraico המולה nullo modo *decretum* effici possit, ܓܙܪܬܐ *circumcisionem* esse. Nec est haec spernenda versio, aut in absurdis habenda: datur enim ex lege Mosaica aliquod arborum

praeputium et circumcifio, Levit. XIX, 23. feqq. *circumcifio* ergo *magna*, forte fuerit ultima. Obftat tamen grammatica aliqua ratio, He enim in המולה fi praefixum eft, etiam fequens adjectivum praefixum habere, fcribique oportuiffet, המולה הגדולה. Praeterea in Ezechiele plane nequit de circumcifione cogitari; ergo hanc cum derivatione fignificationem abjiciamus neceffe eft.

2) Ad מִלֵּל *loquutus eft*, referens Vulgata in Jeremia vertit, *loquelam grandem*, Syrusque in Ezechiele, fed aliter cum fequentibus conftruens, ܐܝܟ ܩܠܐ؛ ܕܡܡܠܠܐ ܐܝܟ ܩܠܐ ܕܡܫܪܝܬܐ, *ut vocem fermonis* (celeusmatis forte) *in caftris*. Haec quidem neutri loco apta fignificatio plane repudianda: quod enim eam Ezechieli fatis aptavit bene, difpendio factum conftructionis. Obftant etiam, quae fupra de He praefixo monui. Caeterum aliquid hujus explicationis in lexicon olim receperat Reuchlinus, fed ex ingenio mutatum: *vociferatio*, *collatio*, *converfatio*, *differtatio*, – – *quod opinantur venire a* מִלָּה *i. e. loquela*, *feu vox*, *per prosthefin He.* Haec feculo XVIII vergente defcripfiffe, id vero jam eft refutaffe. Quanto melius eadem derivatione Syrus ufus erat! fed hunc Reuchlinus non noverat. – – Habet tamen et adhuc fub מִלָּה Coccejus; nova conjectura *fufurrum* vertens, *ut a multis colloquentibus*: qua ex verfione quam jacebit uterque locus!

3) Conjectura ex filo orationis non fane infeliciter ducta, *ftrepitum* vertebant recentiorum plerique, fed hanc etymo et grammatice confirmaturi, a vero aberrabant. Qui fapientius, המון conferebant, quod et patrem meum in notis mfcr feciffe video, verum hoc a radice המה: fed forte conjiciebat, radices duabus in literis convenientes fignificatu etiam convenire; quod quidem, ut infra adnotabimus, hic non omnino falfum, nec tamen eft inveftigan-

ſtigandae ſignificationis adminiculum; quot enim verba, duabus literis conſonantia, diverſiſſimas habent ſignificationes, ut ipſe pater meus in diſſertatione de *ſeminibus non biliteris* docuerat. Simonis, errorem errori ſubſternens, per luſum et tranſpoſitionem literarum confert הלם ex commentitia *contundendi* ſignificatione, unde *ſtrepitum ex colliſione* dici arbitratur. Hic illo tempore mos ſeculi.

Mihi quidem omnia petenda a verbo videntur Arabico, همل *fluxit*, (latiore etiam verbi ſignificatu, ut, cum oculus manat lacrimis) *pluit*. Hinc jam egregie lucet Ezechielis dictum, cui ſonus alarum equorum tonantium eſt *ſonus imbris* perpetuo in terram decidentis. Ut autem המון proprie eſt ſonus aquae commotae, deinde et omnis gravior ſtrepitus, ita et vocabulo המולה in Jeremia accidiſſe reor, ubi circa viridem arborem deus accendiſſe ignem dicitur, לקול המולה רבה, *ſono ſtrepitus magni*. Hic המולה ſive eſt ipſe aequabilis ardentis ignis ſonus, murmuri aquae continuo ſimillimus: ſive gravior etiam ſtrepitus ligni igne diſſilientis. Prius praetulerim. Video hic me proxime abeſſe a Clariſſimo Venema, quicum raro haec ſententiarum vicinitas. Conſule ejus comment. in Jeremiam.

Caeterum id quidem jam verum, quod ſupra monueram, verbi המל et המה indeque ducti המון, easdem fere eſſe ſignificationes.

המם *liquefecit, diffluere fecit, coxit apud animum, concoxit, fatigavit, impulit.*

In hoc quidem verbo omnia uni debemus Alberto Schultenſio, qui in Originum libr. I. c. 5. indicatis antea lexicographorum erroribus et fluctuationibus, quippe qui omnes non niſi divinaverant, ſuo quisque modo, ex lingua Arabica eam illi lucem adfudit, ut ab eo, qui legit intelligitque, dubitari amplius nequeat. Dediſcant ante omnia lecto-

lectores, quidquid in lexicis ante Schultensium legerunt, sciantque, همّ Arabicum esse,

1) proprie; ut ipsorum interpretantur lexicographi indigenae, اذاب *fluere fecit, liquefecit*, e. g. sol nivem, ignis aliquid, quod liquescere potest. Hac quidem propria et prima significatione utrum et in Hebraicis occurrat, haud pro certo dixerim: id tamen notari velim, si vel *diffluere fecit*, ex secunda significatione accipias pro *in fugam dedit* hostes, insigni tamen in loco Ps. XVIII, 15. ex membrorum parallelismo הפיץ, quod sine dubio est, diffluere fecit, et המם, sibi invicem respondere,

וישלח חציו ויפיצם
וברקים רב ויהמם

quod quidem possis vertere, sive proprie, *jaculatus est sagittas suas*, (fulmina) *et diffluere eas* (nubes) *fecit*, *fulminaque sparsit*, *et exundare eas fecit*, (nempe de nubibus quoque in pluviam resolutis, illamque largiter fundentibus verbum poni, non docuit modo Schultensius, sed monet et lexicon ex bonis quodvis obvium) sive, *et diffluere eos* (hostes meos) fecit, i. e. dispersit inque fugam vertit; utraque explicatione tam bona, ut difficilis sit optio.

2) A diffluendo Hebraeis plerumque est, *fugare*, *dispergere*, quin et, *tanquam tabe absumere*. Sic quidem positum videbis, pro, *diffluere facere exercitum*, i. e. dispergere, in fugam vertere, Exod. XIV, 24. XXIII, 27. Jos. X, 20. Jud. IV, 19. 1 Sam. VII, 10. (quamquam et quibusdam ex his locis prope aptius, *terrorem incutere*, quo liquescere animum et corda dicunt Hebraei) — — *tabescere facere*, pestibus *morbisque absumere*, Deuteron. II, 15. *manus Jehovae erat contra illos*, *ut tabe absumerentur ex castris*, — — *de omni malo* sub quo tanquam contabescimus, aut corde colliquescimus, i. e. tolerare illud non possumus, 2 Paral. XV, 6.

3) Hinc

3) Hinc et dici videtur, *concoquere*, Jerem. LI, 34. *voravit me, concoxit me Naboshodonosar rex Babylonis.* Conjecturalia et dissona, quae alii habent, LXX ἐμέρισε με (absurde, divisit, postquam jam deglutiisset) ܦܪܬܢܝ *diripuit me*, Syrus, שֵׁיצִיאַ Chaldaeus, *devoravit me* Vulgata.

4) Arabibus هَضَمَ *tabefecit*, *liquescere fecit*, etiam de *morbo* dicitur, et *senectute* extenuante, quin et de *labore defatigante.* Id quidem certum هَضَمَ inter alia esse, *impulit ad celeriorem cursum.* Hinc explicandum Jes. XXVIII, 28. *impellit rotam plaustri sui.* Hic semel aliquando satis aptum Cocceji *agitare*, et aeque aptum Vulgatae, *vexabit*, utrumque enim ut paraphrasticum huic loco concinnum. Ergo ut nemo sanus ex Vulgata effecerit, verbi significationem propriam in *vehendo* aut *vexando* esse, sic nec Cocceji fictitia significatio, *agitandi*, hic tandem aliquando per casum vera, ex Jesaiae loco probari potest.

Ut tamen plane fateor, huic ipsi loco novas adhuc ex sororiis linguis et certiores suppetias optem, quae donec adferantur, his contentus sum, quae dedit Schultensius.

Praeter has significationes هَضَمَ cum derivatis duas in lingua Arabica habet,

5) *aegritudinis et solicitudinis*, quae, ut Orientales loquuntur, cor colliquesceret facit, (הָמַס לֵבָב) et

6) *studii, animique in rem intenti*, sive ab hac, quam vixdum indicavi, quarta, sive, quod, ut latini loquuntur, rem animo *coquimus.* Haec quidem Arabibus usu tritissima, et reliquis significationibus multo frequentior ac notior.

Indicandas duxi, ne quem lexicon Arabicum evolventem turbent, su-

ſpectaque ei faciant de etymo et propria verbi ſignificatione dicta: in Hebraico quidem codice non occurrunt.

הֲמָסִים Jeſ. LXIV, 2. (al. 1.) *ſonus confuſus*, *ſtrepitus*.

Ἅπαξ λεγόμενον, ut mihi quidem videtur, ex Arabica lingua explicatu facillimum, eſt enim Arabibus, همس cum derivatis, *mixtus obſcurusque ſtrepitus*, ut *locuſtarum*, unde et verboſos garruloſque dicunt. Vide Golium, et lege inſignem Corani locum, Sur. XX, 107. *illo die* (judicii extremi, cum in tubam inflabitur) *ſequentur vocantem nulla declinatione, et ſubmiſſae erunt voces precantium ad miſericordem*, وَلَا تَسْمَعُ إِلَّا هَمْسًا *nec audies niſi murmur*. Tale quidem murmur, aequabile, nec valde ſonorum, ignis ardentis, de quo vixdum ſub המלח dixi. Verte ergo: *ut cum ignis murmurans ebullire facit aquam*. Poſſis forte murmuri et ipſum addere confuſum ſonum lignorum igne diſſilientium et crepitantium. – – Eandem Arabicam radicem et Schultenſius contulit Originum libr. I. cap. 2. §. 19. 20. ſed aliter ea uſus, nempe quod omnino vellet proprietatem verbi קדח, *attritu et terebrando ignem elicere*, loco ſervare: ergo המסים *fomites* interpretabatur, quibus ignis excipitur, pro quibus putat R. Jonam *ſtipulas aridas* poſuiſſe. Male profecto: ignis attritu lignorum exſiſtens, fomite exceptus, valde exilis adhuc eſt, nec bullire facit aquam; pertineret haec fomitis imago ad rem, quam omni modo auctam vult vates, minuendam.

Veteres quidem omnes, nec obſtante nec valde invitante grammatica, ad radicem מסס *liqueſcere*, retulerunt, non ſane grandiſone, nec bullientibus, quae ſequuntur aquis apte: LXX et Syrus, *ut cera coram igne liqueſcit*, (unde ceram extorſerint, an ex ipſo מס, a liqueſcendo dictam, obſcurum,) Vulg. *ſicut exuſtio ignis tabeſcerent*, Chal-

Chaldaeus et Symmachus in duas voces הָמַס יָם divellebant, אתמסא יַמָּא, ἐτάκη θάλασσα, *liquefactum est mare*, obscurum quo sensu, cum sua natura fluidum liquefieri non possit. Contra Judaei, teste Hieronymo: *sic comburet ignis iniquos, quomodo aquae fervent ignis ardore:* AMASIM *enim*, sic ipse pergit, *non consumtionem et tabem, ut reliqui, sed iniquos intelligi volunt.* Nempe חמסים ignotum alliteratione ex חמס interprebantur, consveto usi ignorantiae adminiculo: nec enim eos aliter legisse narrat Hieronymus, nec ullus codicum manuscriptorum Kennicotto collatorum per ח habet, sed sola Bombergiana editio anni 1528, manifesto, ut mihi videtur, sphalmate typographico. Ab his omnibus discedens, nullo argumento, nullo linguarum Orientalium consensu, sed sola quorundam Judaeorum fide, in lexicon recepit, *extorruit, arefecit*, Vulgatam adeo, his certe meliorem, carpens; Simonis cum quibusdam veterum Rabbinorum, *stramen, caulem fractum, stipulam, festucam*, addita insuper Arabica etymologia sed per transpositionem literarum ab هشم fregit, unde هشيم sit, *fracta res, stipula.* Ad haec quidem violenta philologorum artificia devenire necesse non erat, ipso همس, iisdem literis scripto optimam offerente interpretationem: quod nisi haberemus, Simonis forte εὕρημα adblandiri posset.

מהמרות Ps. CXL, 11.

Ἅπαξ λεγόμενον, in quo plerique nihil viderunt interpretes, nisi quod Jo. Henr. Michaelis in notis ad psalmos de Arabico همر cogitavit. Nempe duplicem nobis هَمَرَ explicationem offert, quod est,

1) *impulit* (idem quod دفع) sic מהמרות erunt impulsiones: *igne cadere faciet eos, in impulsionibus non consistent*, id est, ita impellentur, ut consistere nequeant.

2) *pluit*,

2) *pluit*, unde هَمْرَةٌ *una pluviae effusio*, *unus imber*; nempe et vehementiore pluvia ab impellendo dicta. Sic erit, imber vehementior, sensusque, *effusis imbribus non consistent*.

Posterius praefero, quod manifestum est, gravem tempestatem describi: praecesserat, *fulmen* et *ignis*, sequitur nunc *diluvium* et *inundatio*.

Veterum aliqui, Symmachus et Hieronymus, *foveas* interpretati sunt, conjecturane ex filo orationis ducta? an quod *fontes bituminis* (חמר) Genes. XIV, 10. male conferrent? Suspicari quidem hoc possis in Thargum legens, בֵּיצִין דמחמרין quod in Polyglottis, *foveae lutosae*, vertitur, verum jam monuit Buxtorfius p. 786. lex. Chald. biblia ibi Regia דמהמורין per He habere. Ex Rabbinis pluribus *foveae* significatio placuit, cui suppetias ex lingua Thalmudica tulit Kimchius, dictum illorum citans, (quod equidem haec dum typis trado reperire in ipso Thalmude distinctiusque citare non possum) בראשונה היו קוברים אותם במהמורות נתאכל הבשר מלקטין את העצמות וקוברים אותם בארונים *initio sepeliebant eos in* מהמורות, *cumque consumta esset caro, colligebant ossa, sepeliebantque in loculis*. Opposuit jam Coccejus, forte Thalmudicos ad hunc ipsum locum psalmorum allusisse, exque eo vocabulo significationem dedisse: mihi quidem necdum constat, Thalmudicis מהמורות esse *foveas*. (Quid enim, si *arenarum colles*, — *lapidum tumulos* potius vertas, qui Arabibus هَمِرٌ sunt?) — — Pulcra, et audaci conjectura, sed nulla philologiae ope, Lutherus, *er wird sie mit Feuer tief in die Erde schlagen*, nempe ut nos Germani, (ab exteris audire non memini) dicimus, *der Donner soll dich 1000 Klafter in die Erde schlagen*. — — LXX. ἐν ταλαιπωρίαις vertentes, sine dubio ad radicem מרר *amarus fuit*, conjugationemque Hiphil retulerunt: egene! nec svadente grammati-

matica, quae pauca habet ex Hiphil He characteristico servato nomina.

Caeterum miror, neminem de nostra radice ad Job. XVII, 2. ובהמרותם cogitasse: non quasi ex ea explicandum rear, sed tamen, quod sepulcri mentio praecesserat, et Thalmudicis מהמורות locus aliquis sepulturae sunt.

הִנֵּה *particula demonstrandi.*

Usitatissima particula, Hebraeisque tam frequens, ut bono interpreti plerumque in vertendo, sit negligenda, ne peregrini quid, moraturum lectorem, suae linguae invehat. Eadem est Arabico هُنَا, et هَنَّا *heic*, ostensive, ex quibus هُنَا longe frequentius, Dagesch forte הִנֵּה, si modo verum antiquumque, in altero هَنَّا reperitur. Vide e. g. Job. IX, 19. אם לכוח אמיץ הנה, *de viribus si quaeritur*, *heic potens*, i. e. hic est potens: *kommt es auf Macht an*, *hier ist der Starke!* Exactius respondet germanico nostro, *da!* quod quidem, plane uti Hebraicum, non solum particula temporis fieri potest, sed et, ubi cum aliqua emphasi redundat, eleganter pro הנה substitui, ut Job. III, 7. הנה הלילה ההוא יהי גלמוד *da! diese Nacht müsse unfruchtbar seyn.* Innumeris locis in Hebraicis redundat, ac pro solo more linguae ponitur. Fuerunt quidem, qui ubique emphasin creparent, juberentque adeo sic accipi, ac si spiritus sanctus in margine manum exporrecto adpinxisset digito! Ridiculos vero homines, qui ignorabant, particulam quantumvis emphaticam, ubi nimis saepe ponitur, omnem non solum emphasin, sed ultimum etiam significationem exsuere, id vero est, voce grammaticorum, πλεονάζειν, redundare.

LXX quidem interpretes plerumque per ἰδοὺ reddiderunt, quod ex illis in Vulgatam versionem serpsit, ECCE, ex Vulgata in Germanicam,

nicam, SIEHE, aliasque Europaeas. Utinam minus diligentes fuissent, nec Hebraicae linguae particulam redundantem, suae linguae ingenio invito obtrusissent! Forte LXX excusandi, quod Judaei graeca lingua utentes eundem in eam pleonasmum intulerunt, at Germanorum auribus hoc perpetuum *siehe* ita intolerabile, ut si quis alia oratione imitetur, ridere velle biblia videatur.

Significationes particulae secundarias non excerpo, ex Noldii concordantiis petendas, lexicisque inferendas.

הֵנַע Jes. XXXVII, 13. 2 Reg. XVIII, 34.

Secundum receptam lectionem, maxime vocalium, me quidem judice verbum est conjugationis Hiphil a r. נוע, quam infra vide. Ex serie tamen orationis nomen geographicum, urbis aut regionis, exspectasses, et sic ex veteribus plerique acceperunt, LXX. in libro regum Ἄνα καὶ Ἄυα, inque Jesaia, utroque nomine ענהועוה in unum contracto et ע per Γ expresso, Ἀναεγγουγαυα vel, ut Hieronymus eos legebat, *Anavegava*: utrobique Aquila, Ἄνα καὶ Γαύα, Vulgata, *Ana et Ava*, Syrus, ܘܕܢܥ ܘܕܥܘܐ, Arabs, وناع وعاوا. Mirum, neminem veterum haec nomina tentasse, sed nihil de illis habent, Theodoretus, Hieronymus, inque ipsa catena Graeca in libros regum, quam Nicephorus edidit, ne verbum quidem de illis reperies. Vitringa ingenue de Ana ignorantiam fatetur. Geographiae quidem mediocriter perito, Graecum et Latinum, Ἄνα, ANA, legenti, non potest non in mentem venire *Anae*, celeberrimae ad Euphratem urbis, Arabiaeque desertae primariae: deque ea cogitasse video Büschingium in Arabiae geographia, *die Stadt Ana*, inquit, *ist vermuthlich die Stadt Hena welche beym Jesaia 37, 13. genennet wird.* Recte ergo quaeras, quibus illa literis Arabice scribatur? iisdem vero, quae in Jesaia leguntur, sed inverso ordine, عانة. Vide Abulfedam pagina prima

prima descriptionis Arabiae. Saepius ergo suspicatus sum, in Hebraicis quoque, עֲבָה rescribendum esse, sed nullus codicum Kennicottianorum conjecturam stabilivit, ita tamen probabilem, ut necdum damnem.

הַס *St!* cum verbo inde derivato.

Hic tandem aliquando ad vocem devenimus, sua natura usuque Hebraeorum tam claram, ut ope cognatarum dialectorum haud indigeamus. הס, sive per Patach sive per Kamets punctatum, id enim perinde, quis, praeceptis grammaticis de solis verbis radicibus non depravatus, Jud. III, 19. Amos VI, 10. VIII, 3. Hab. II, 20. Zeph. I, 7. Zach. II, 17. (al. 13.) legere poterit, ac dubitare, quin particula sit naturalis silentium jubentis, qualis Latinorum et Germanorum *St!* verbumque, incertum utrum הסה an הסס, hoc enim ex punctis pendet, Num. XIII, 30. (al. 31.) Nehem. VIII, 11. inde derivatum, sit 1) intransitive, *silere*, 2) transitive, *silere jubere*, *compescere*, e. g. tumultuantem populum? Sic et praeivit, ipso sono St adlato, Raschius ad Num. XIII. Rem qui invertunt, ut omnes fere lexicographi, verbumque הסה *siluit*, radicem faciunt, cujus imperativus sit הַס, *sile*: non solum exotericis, seu potius omnibus, doctrina de solis verbis triliteris, a quibus et particulae naturales ortae sint, radicibus, ita probe tinctis, ut deleri ex animo nequeat, perquam videbuntur incredibilia dicere; sed et vitiorum rei fiunt grammaticalium, ut Habac. II, 20. ubi feminino הארץ sequente, הסי dicendum fuisset, verbum si esset. Adde, silendi significationem הסה in nulla alia lingua orientali habere.

Caeterum cum deinde moniturus sim, veterum multos sub הס et הסה alia habere omnia, eos praemittere necesse est, qui datae a me explicationi consentiunt. הס *silentium*, nec tamen particula utentes, sed nomine aut verbo verterunt, Jud. III, 19. LXX et Vulg.

Amos VI, 10. LXX. Aqu. Symm. Vulg. VIII, 3. LXX. Vulg. Hab. II, 20. Zeph. I, 7. Zach. II, 17. sola Vulgata: inque verbo הסה, Num. XIII, 30. omnes, LXX κατεσιώπησε, Vulg. *compescens murmur populi*, Chald. אַצֵּית Syr. ܦܝܣ Ar. Pol. أسكت Erpenianus سكّت, Samaritanus, אשדך: – – et Nehem. VIII, 11. LXX σιωπᾶτε, Vulg. *tacete*, (alii omiserunt). Notandum putavi tantum eorum consensum, in quibus aliquid residet auctoritatis, quod in duobus locis, in quibus verbum occurrit, aliam lingua Arabica quaerenti offert interpretationem, est enim هشّ inter alia, *laetus*, *facilis*, *comis fuit*, unde qui nihil lingua Arabica non confirmatum, ne naturales quidem sonos, in linguam recipere statutum habeat Hebraicam, Numerorum locum vertere possit, *facilem placatumque fecit populum Mosi*, Nehemiaeque, *laetamini*. Sed abdico.

Jam vero et est ratio reddenda veterum, qui non verbum quidem, sed ipsam particulam הס alio omni modo verterunt, forte quod nulla linguarum orientalium hanc naturalem particulam haberet.

LXX in prophetis minoribus plerumque εὐλαβεῖσθαι, *timere*, Hab. II, 20. Zeph. I, 7. Zach. II, 17. similiterque his ipsis locis Syrus, jam ܢܬܙܝܥ *intremiscat*, jam ܕܚܠ *timuit*. Hoc unde? mutumne metu dei silentium timorem interpretati liberius sunt? an cum חסה confuderunt?

Jud. III, 19. Syrus, ܦܘܩܘ ܡܢ ܬܢܢ, *transite hinc!* sicque Arabs أخرجوا *exite*. Sumtumne ex إسّ abigendi particula, unde verbum أسّ *abegit*. Eodem redigendus videtur Chaldaeus, qui Jud. III, 19. Amos VI, 10. VIII, 1. סלק *adscende* vertit, vel סַלֵּק *ascendere fac*, quod, monente Raschio est, *exire facere*, *abire*. Contra

Hab.

Hab. II, 20. Zeph. I, 7. Zach. II, 17. verbo סָף *absumi*, usus Chaldaeus.

הֲפַךְ, הֵפֶךְ *stultitia* Jes. XXIX, 16.

Verbum Hebraeis Aramaeisque *vertendi, invertendi, evertendi* significatione notissimum, apud Arabes quaeres sub Eliph, أفك.

הַפְכְּכֶם Jes. XXIX, 16. plerique, *perversitas vestra*, ego malim, eximie ad filum orationis, *stultitia vestra*, coll. أفك *a statu mentis avertere, mentis consiliique inopem reddere*, مَأْفُوك *delirus*, quin et per He, هَبَنَّقَك *stultus*.

מַהְפֶּכֶת *nervus obtortus*. Jerem. XX, 2. 3. XXIX, 26. 2 Paral. XVI, 10.

Ex lexicographis eos praefero, qui *cippum*, seu *nervum* vertunt, i. e. *lignum cui pedes captivi, aliaeque etiam corporis partes inseruntur*, e. g. πεντεσύριγγον ξύλον, cui ambo pedes, ambo brachia, et collum inserebantur. Sic praeiverunt Jerem. 20. Hieronymus, *nervum* vertens*, inque commentario addens, *vinculi lignei genus, cui pedes inseruntur*, Chaldaeus כיפתא *(cippus)* Syr. ܣܘܕܪܢ *circulus*.

Nec tamen mihi verisimile, simplicem nervum, סַד alias Hebraeis, מהפכת fuisse, qui ab invertendo nomen accipere vix potuisset, *sed obtortum nervum*, in quo distortus sedet captivus, facie a pedibus aversa. Sic quidem βασανιστήριον et στρεβλωτήριον Hieronymo teste, Jerem. 20. verterunt Symmachus et Theodotio, acceditque, quod unicum modo diem in eo moratur Jeremias, non custodiae, sed poenae loco.

Fuerunt, qui generatim, *carcerem* verterent; quod et a Judaeis in lexica non pauca receptum videbis: nec obnitor, si ita בית המהפכת *domum nervi*, 2 Paral. XVI, 10. interpreteris, ubi LXX.

φυλακὴν habent, Syrus ܒܝܬ ܐܣܝܪܐ. Ipſum vero carcerem nulla alia addita voce, *inverſionem*, dici, vix veriſimile. Fuerunt tamen, ut poſtea videbimus, ex veteribus, qui praeiverunt. Simonis adeo in lexico, novam tentans conjecturam a praecedente هيفكى (pag. 565.) *carcerem veſanorum*, *Tollhaus* interpretatus eſt. Sed vereor, ut Hebraei illo jam tempore proprios ſolis rabioſis carceres habuerint.

Jam et de LXX. dicendum, de quibus Hieronymus ad Jerem. XX, 2. *Septuaginta et Theodotio vertere cataractem*, quem deinde omnes ſequutos video, ſicque et Bielius in lexicon recepit. Καταῤῥάκτης quidem loco citata *cloaca* eſt *ſubterranea*, crudelis ſane carcer, ſed mirum, eos מהפכת, et vero contra morem ſuum, in cloacam vertiſſe. Conferamus locum Jeremiae parallelum XXIX (graece XXXVI,) 26. ubi pro Hebraicis, אל המהפכת ואל הצינק habent, εἰς τὸ ἀπόκλεισμα, καὶ εἰς τὸν καταῤῥάκτην: videmus מהפכת eos ἀπόκλεισμα, *carcerem*, vertiſſe, καταῤῥάκτην pro alio vocabulo צינק poſitum eſſe. Suſpicari ergo liceat, etiam in viceſimo capite, ubi καταῤῥάκτην ponunt, eos in Hebraico alterum צינק, aut, ſi mavis (de hoc enim infra vide) צינר legiſſe.

הֹצֶן vel חֹצֶן Ezech. XXIII, 24. *ferrum? equus?*

Ἅπαξ λεγόμενον, non ſine varietate lectionis, cui linguarum orientalium pleraeque opem negant, magnopere diſſidentibus antiquis interpretibus. Unus Kennicotti codex (96) והכן habet, alius (4) חוסן *fortitudo*, quae quidem lectiones parum momenti faciunt, at per ח unus חוצן et novem חצן, ut adeo Chet inter et He ambigi poſſit.

Audiamus jam veteres:

1) LXX. ἀπὸ Βοῤῥᾶς, ac ſi eſſet מצפון: nec puto illos ita legiſſe, ſed in ignoto et obſcura חצן, cum non intelligerent, aliquid de צפון conjeciſſe.

2) de

2) de armis cogitarunt, Chaldaeus, בְּמָאנֵי זְיָנָא, Syr. ܒܙܝܢܐ ܡܙܝܢܝܢ, quo et, *instructos*, Vulgatae refero. Possis id quomodocunque lectioni חצן aptare, cum ܚܨܢ sit *munitus fuit, munivit, custodivit*, quamquam de castellis potius, murique munitione poni, quam de armis solet. Monuit Castellus, חצן Aethiopibus *loricam* esse, copiosiusque in notis ad biblia Halensia Joh. Henr. Michaelis, *forte omnium simplicissime collato Aethiopico חצין (per Harm), ferrum, ferramenta, hoc est, instrumenta quaevis ferrea, gladii, thoraces, vincula &c. intelligi possunt. Vide Ludolfi lexicon* p. 289 seqq. (In lexicon suum primus recepit Simonis) Laborabat, cum primum proponeretur, aut in Simonis reciperetur lexicon, explicatio, quod Hebraicum nomen He habet, Aethiopicum Harm, i. e. ח Hebr. خ Arabum; indeque verecunde ac timide ab avunculo meo proposita: jam vero cum in codicibus non paucis ח inventum sit, multo est facta verisimilior. *Veniet super te ferrum, currus, rotae*, possit esse, sive, *arma*, sive etiam poetica scriptione, *currus falcati*, de quibus ipsis aliquos sed ex mera conjectura cogitasse, disco ex Raschio.

His ergo, qui *ferrum* vertunt, adsentior, incertus, sitne *ferrum curruum falcatorum*, an, arma? Si tamen חצן per Chet legendum, possis et *equos excellentiores* vertere, curribus, qui sequuntur etiam aptiores, Arabibus enim حصان *custoditus*, est, *equus*, inprimis *caballus eximius, quem custodire nec promiscue ad equas admittere solent;* idque in versione germanica sequutus sum, sed jam displicere incipit, quod adjectivum ex hippagogiis Arabum petitum, qui Ezechielis tempore equos nondum aluerunt.

Habent quidem et Thalmudici, quod citari ex tractatu Succa solet, חוצני פשתים *fasciculos lini viridis*, idque aliqui ad nostrum vocabulum

cabulum transferre voluerunt. Verum non solum parum ad rem, quid enim sibi velint, *fasciculi*, *currus et rotae* eminus venientes? sed et vocabulum Thalmudicum ipsum potius lucis egit, non illam impertiri potest. Mihi ipsa adeo ejus scriptio suspecta videtur, emendandumque, per Chet חוּצְנֵי פִשְׁתִּים, *lacerti* vel *sinus lini viridis*, i. e. *manipuli lini sub lacerto gestati*, ut nos dicimus, *ein Arm voll Flachs.* Confer ad phrasin Ps. CXXIX, 7.

Videamus et, quid praeter haec ex meris plerumque alliterationibus et conjecturis, Rabbini habuerint. Raschius cum צנינים septis spinosis conferens, vallum castris circumdatum, intelligebat, (quasi vero venire cum curribus rotisque dici possit!) Menachem, quem ille citat, clypeum a צִנָּה. Tertiam addit conjecturam, positum esse pro חצן, *lacerto*, quo nomine jam brachium, i. e. exercitus intelligatur. — — Kimchius in libro radicum his accedit, qui arma interpretati sunt, monens tamen, patrem suum, Josephum Kimchium, cum חצן contulisse, ac brachium interpretatum esse. Vides ergo, jam veteres de חצן per ח hic cogitasse, licet de lectionis varietate nihil moneant. Plane ex conjectura Reuchlinus: *rheda vel quadriga, est autem instructio vecturae.* Hoc, quod de instructione habet, Vulgatam spectat.

הר *mons Hor.*

Celeberrimum in geographia Hebraica nomen, de quo in Relandi Palaestina p. 119. minus quam velis reperias, Simonis vero onomasticon p. 219. evolvens, duobus situ diversissimis montibus confusis, errare etiam adsvescas. Nempe duplicis montis nomen est, (forte antonomasticon ex הַר MONS, sic enim quam HOR adpellare malim) quem et LXX scriptione graeca distinxerunt,

1) *ab Austro Palaestinae, proxima a Kades statione*, ad ipsos *Idumaeae fines* (על גבול ארץ אדום) Num. XX, 22. 23. XXXIII, 37.

37. in quo Aharon mortuus, c. XX, 25. 27. 28. XXXIII, 38. De eodem et Num. XXI, 4. sermo. Hunc quidem LXX Ὤρ τὸ ὄρος vocant, adpellationi punctorum הֹר praeeuntes.

2) *borealis ac limitaneus Palaestinae (cisjordanensis) versus septentrionem.* Num. XXXIV, 7. 8. Hic Graecis, ὄρος τὸ ὄρος q. d. *MONS mons*, primo nomine ut proprio accepto, הֹר הָהָר.

Possit forte in mentem legentibus venire, non duos montes, sed unum montium jugum, ab Idumaea inde usque ad summum Palaestinae septentrionem exporrectum, qualia ultra Jordanem habemus: sed obstat, primo, quod borealis Hor terminus est Palaestinae non transjordanensis, sed cisjordanensis, et vero proximus a mari; deinde quod ultra etiam Libanum situs fuisse videtur, quem transire minorum montium jugum non poterat.

De borealis quidem situ maxime quaerendum, de quo parum solicitos fuisse interpretes video, et vel errores indicandi. Hoc primum, multo mihi borealiorem videri, quam plerisque interpretibus, atque adeo ut dixi, ultra Libanum: nec hoc solum ex illis sumo, quae in jure Mosaico, Josuaeque interpretatione disputavi, maximam partem Libani, et vero occidentalis, Israeliticae ditionis fuisse; sed ipsa quoque Mosis verba Num. XXXIV, 7. 8. manifesto sunt argumento, tabula geographica in manus sumta. Terminus borealis incipit a mari, ab hoc linea ducitur ad montem Hor, inde Hamatham i. e. Epiphaniam: manifestum ergo medio inter mare mediterraneum, et Hamatham, non urbem forte, sed regnum, loco, montem Hor situm fuisse. Quis hoc nomine dictus fuerit, ignorare me fateor, obsolevit enim jam diu nomen, nec ullum ejus vestigium apud geographos superest, alio recentiore Arabico aut Syriaco obliteratum. Tabulas quidem Syriae inspicienti haud procul a mari versus Hamatham offert se mons Casrevan, sed non ideo adseveraverim eum montem Hor fuisse, licet non dedeceat, nec nimis sit septentrionalis: Baalbeca enim sine dubio Israelitica fuit.

Multo etiam magis ad Boream removebant Judaei, quorum vel ipsos manifestos errores ignorare vix fas est, in quaestione geographica ad terminum borealem Palaestinae a Deo promissum pertinentes. Servavit eos nobis Hieronymus in commentario ad caput XLVII Eze-

chielis, in quo nostrum quidem nomen non legitur, sed videtur a Judaeis ex Num. XXXIV. illuc interpretando translatum. Sic ille T. III. editionis Martianaei, p. 1060.: *quod autem dicit, pervenient termini ejus ad montem altissimum*, (sic ergo הר ההר Judaei interpretabantur, nisi fallor secus quam puncta jubent recentiora, הֹר הָהָר montem montis adpellantes) *iidem Hebraei autumant, vel Amanum montem significari, vel Taurum: quod nobis videtur verius.* Amanum hic intelligo, non biblicum, Damasco haud procul, sed qui Ciliciam a Syria disterminat, paulo ante enim dixerat, *septentrionalem plagam incipere a mari, quod Ciliciae praetendatur litoribus.* Vesanas spes miraberis, totam Syriam, ne Cyrrhestica quidem et Commagena excepta, ditioni Israeliticae adjungentes: sed fons erroris, quod pro cubitis, quibus terram sanctam mensurari vidit Ezechiel, non Judaei modo, sed et consectarium non videntes multi ex christianis, perticas substituerunt, quibus sumtis ditio Israelitica ad Ciliciam usque aut ultra pertinuerit: poteratque vel ipsum Tauri nomen blandiri, quod adpellative Syriaca lingua *montem* significare, (ܛܘܪܐ) notum. Vide notas ad Ezech. XLVII, 13. 14. Eo tamen usque, quidquid posteris exspectent Judaei, terminus Palaestinae a Mose promissus non pertinuit.

הָרָא *Hara* 1 Paral. V, 26.

Ἅπαξ λεγόμενον pro nomine proprio habetur regionis Assyriis subjectae, in quam colonias Israeliticas deduxerint; cogente fere orationis serie. Omittunt LXX et Syrus, sed quod mihi hic facere, quamquam nihil certi habenti, non licet. Nomen, *ARA*, retinuit Vulgata. *Montes tenebrarum* (טורי קבלא) paraphrastes Chaldaeus vertit, de quibus fabulam Judaicam ex Gorionide copiosius narrat Beckius in notis ad h. l.: invia est Scythiae regio, in quam Alexander M. penetrare non potuit, monitu avium redire jussus, quod sanctae ibi reliquiae essent decem tribuum. Historiam Alexandri comparans, statim intelliges ad res Alexandri circa Oxum gestas pertinere, a Curtio libr. VII. descriptas, quibus hoc in suae gentis honorem mendacium Judaei attexuerunt.

Cognata huic fabulae, sed demto mendacio, eorum sententia, qui *Ariam* Ptolemaei, Asiae cap. XVII. p. 164. et Strabonis, l. X. p. 785.

785. al. 516. intelligunt, in quibus ipse est Beckius. Nempe Ariam, quam pro more suo, in gradibus valde errans, nimis ad Orientem summovit, gradibusque ab 111 ad 120 subjecit Ptolemaeus (*), felicissime Arabum هراة (*Hera*, vel *Herath*) Persarum هري (*Hera*) esse docuit Golius in notis ad Alfergan p. 179. 180. nobilissimam metropolin, cognominemque urbi regionem, Chorasanae, quam in d'Anvillii tabula Asiae invenies sub gradu lat. 34. longit. 79. Satis opitulatur conjecturae scriptio nominis Arabica et Persica per He, sed vel sic, si sub gradu 79 ponas, obstat situs nimis orientalis, et ab omni Gauzania, cum qua conjungitur, vel ut pars ejus describitur, nimis remota. Vide quae supra de גוזן scripsimus, et sume adeo, non Gauzaniam intelligi Mesopotamiae, sed Assyriae, ab Aria 18 tamen gradibus remota erit, et vero quod maximum est, longe ultra Caspium sita mare, ut fluvium Chaboram qui Tigridi illabatur, habere omnino non potuerit. Quod si respondeas, nihil Ariam ad Gauzaniam, regiones esse situ diversissimas, sed in quas Israelitae ab Assyriis deducti sint, vix tamen verisimile, imperio Assyriorum regionem tam ab Assyria dissitam subfuisse: sed de hac forte aliter sentient, potentiam Assyriorum in majus augere, ei prope omnem Asiam subjicere adsveti, qui si mihi suam de magnitudine imperii Assyrii satis persvaserint sententiam, sane et hic הרא *Ariam*, *Heram*, interpretabor.

Estne הרא haec ipsa, quam dixi Aria, sed commentum Judaeorum, quod libris regum ignotum chronicis addiderunt? verioresque codices, quos LXX et Syrus sequuti illud omiserunt? – – An alia in Calachena aut alibi Ara nobis ignota? כלנו enim Genes. X, 11. Thargum Hierosolymitanum הַרְיָת vertit.

הרג *occidit.*

Frequentissimum Hebraeis verbum, sed Arabibus hac significatione rarius, Syris ignotum. Dicta caedes ab insidiis? ܗܪܓ est, *meditari*, *multum animo volvere:* e. g. in chrestom. p. 104. ܟܕ ܗܝ ܫܢܬܐ ܐܣܛܪܘܠܘܓܝܐ ܗܪܓ ܗܘܐ ܒܠܒܗ ܐܡܝܢܐܝܬ *cum hunc annum* (ex astrologia suspectum) *semper in animo haberet.*

הרים

(*) In tabula IX. non sine errore quidem, nec tamen tanto, sub 105 long. 35 lat. invenies.

הָרִים *progenitores*, vocabulum ſpurium.

Ab הָרָה eam, quae gravida nos in utero geſtavit, i. e. *matrem*, הֹרָה dici poſſe, dubio vacat; vide Hoſ. II, 7. Cant. III, 4. (quamquam in poſteriore loco non inelegans varietas lectionis, ſed unius modo codicis, *donec in conclave* הורדתי *deſcendere eum fecero*): at plane a vero abludit, quod fere ad Geneſ. XLIX, 26. ſumunt, utriusque ſexus majores, patres et matres, הורים dici. A graviditate patres? quis id ſibi perſvadeat, ſi qua ſuperſit ratio, exemplum et vero unicum abſurdiusculae phraſis aliter explicandi? Jam ergo in bibl. Or. T. IX. p. 233. praeferre me hic lectionem Samaritani textus, et LXX (ὀρέων) הרי ſine Vau, profeſſus ſum, totumque verſum ſic vertere: *benedictiones patris ſuper benedictiones* (על בְּרָכוֹת)! *montes* (nempe, tibi adprecor) *ab antiquo jam tempore celebres*, הָרֵי עַד Vide verſ. germ. Sic et jam VIII codices Hebraicos Kennicotto conſultos legere video, juvatque הרי עד parallelismus ſequentis membri, גבעות עולם. Vau forte ex lectione הָרְרֵי, ejusdem cum הרי ſententiae, ortum.

Caeterum verbum הרה *gravida fuit*, ita Hebraeis proprium, ut nec Arabes habeant, nec Syri, nec Samaritani.

הֶרֶס *leo*, עיר ההרס *Leontopolis*, Jeſ. XIX, 18.

De lectione nihil dico, id enim in bibliotheca Orient. ſupplem. Tomi XIV. p. 33–36. factum; de ſola ago conſvetae lectionis interpretatione, quam, cum ante eum magnopere errarent, et הרס ex alliteratione cum חרס ſolem interpretarentur, invitiſſimo, quem ſequi ſe putabant, Joſepho et Onia, primus perpurgavit Conr. Ikenius, in diſſ. de עיר ההרס, *philologico-theologicarum* quas junctim edidit, decima ſexta.

Nempe monet هرس *leonem* eſſe, a voracitate ita dictum, (eſt enim هرس cum, *contudit*, tum *vorax fuit*) nec aliter Oniam, extorrem patria ſacerdotem, intellexiſſe, qui Jeſaiae vaticinium, ut ipſe quidem putabat, impleturus, ſignificat regi, ſe cum Judaeis veniſſe, *εἰς λεόντων πόλιν τὴν Ἡλιοπολίτου*, *Leontopolim urbem Heliopolitani nomi*, petitque libertatem, templum Deo ſuo aedificandi, ubi collapſum

psum jaceat templum Dianae agrestis. Joseph. Ant. XIII, 3, 1. impetratque §. 2. licentiam, modo Deo non ingratum sit, *ἐν λεοντοπόλει τοῦ Ἡλιοπολίτου ἱερὸν συμπεπτωκὸς ἀνακαθᾶραι, προσαγορευόμενον τὸ τῆς ἀγρίας Βουβάστεως, Leontopoli, quae est nomi Heliopolitani, renovare collapsum Bubastis agrestis fanum.* Haec ita quidem plana, ut mirum sit, errari potuisse.

Caeterum haec si *Leontopolis* est Heliopolitani nomi, non potest celebris illa intelligi Leontopolis in Delta, ipsa nomi cognominis metropolis, sed minor alia et obscurior a latere Nili Orientali, haud procul *Ain-Schemes* et *Matere*, forte eo ipso in colle, qui in hunc usque diem *Tel Jahud* (تلّ يهود) dicitur: ab Israelitarum certe antiqua in Aegypto habitatione, ut aliqui conjecerunt, nomen superesse non potest, non solum per nimiam rei antiquitatem, sed et quod *Judaeorum* nomen multo recentius, ac Maccabaeorum circiter tempore invectum.

Aliter statuit, quem totum lege, *Jacobus Bryant* in *observations and Inquiries*, p. 124. seqq. duplicem in Aegypto sumens Heliopolim, alteram ab Oriente Nili, in ipso Delta alteram. Non hic excerpo, quod non de Heliopoli, quae nihil ad lectionem עיר הרס, sed de Leontopoli quaero.

הֵתֵל et הוּתַל non ad radicem התל referenda.

Communis error, quod הֵתֵל *illusit*, *decepit*, ejusque passivum הוּתַל, Genes. XXXI, 7. Exod. VIII, 25. Jud. XVI, 10. 13. 15. Jes. XLIV, 20. Job. XIII, 9. ad radicem התל referre lexicographi solent, Piel et Püal dicentes, ex quo Dagesch forte exciderit. Primo quidem nulla omnino ratio redditur, cur exciderit, nec semel sed semper, ex litera Dagesch fortis capacissima ת, nec vero ubi Schva, sed et ubi vocalem habet. Quis הֵתֵל et הוּתַל legens, nec decretis de eo grammaticorum probe imbutus, non potius Hiphil et Hophal putet a radice תול? sub qua infra verbum quaere. Sed fac, haec omnia contemnere, ut ex punctorum auctoritate pendentia, nostri seculi sententiis adsvetum lectorem, (quamquam qui ad התל olim referebant punctis erant fidissimi, multa de Dagesch excidente disputantes,) ac jubere nos jam הֵתֵּל atque הוּתַּל scribere, majus etiam accedit, quod, sola excepta Chaldaica Judaeorum, linguae Orientales universae verbum התל hujus aut cogna-

tae

tae significationis non habent. Plane radicem התל ignorant Syri et Samaritani; habent هتل Arabes, sed alia plane *pluendi* significatione. Contra תול ut infra videbimus, fascinandi et decipiendi notionem apud Arabes obtinet, solaque linguae Arabicae ignorantia facere potuit, ut הֵתַל atque הותל legentes non de Hiphil atque Hophal verbi תול cogitarent. Errarunt, fateor, eundem errorem et homines Arabice doctissimi, sed quo a teneris imbuti errore erant, ejus tenaces.

In ויהתל 1 Reg. XVIII, 27. תהתלו Job. XIII, 9. יהתלו Jerem. IX, 4. He characteristicum conjugationis Hiphil in futuro, more Chaldaeorum, quos hac parte aliquoties imitantur Hebraei, servatum: quae quidem futura pro ratione praeteritorum his animanda vocalibus arbitror, וַיְהָתֵל, תְּהָתֵלּוּ, יְהָתֵלּוּ, non, ut factum in editis, וַיְהַתֵּל (Dagesch plane contra analogiam praeteritorum posito) תְּהַתֵּלּוּ (vitiosius etiam Dagesch posito, sed quod omittunt in bibliis Halensibus indicati, praetereaque editio Stephani in fol. Nisselii, codex Regiom. 2).

At quid faciamus, inquies, nominibus derivatis, He habentibus, ut est in 27 codicibus התולים vel, הֲתֻלִּים Job. XVII, 2. et מַהֲתַלּוֹת Jes. XXX, 10? -- Possit quidem et in his esse He characteristicum Hiphil, quod raro quidem, sed tamen nonnunquam, in nominibus reperias: sed et potuerint ex Hiphil novum verbum הֵתֵל formare Hebraei, qualia plura per derivationis errorem vivente etiam lingua exstitisse, in grammatica docere soleo. Quamquam id si displiceat, prius quidem התלים ad veram radicem התל referre possis, sed alia interpretatione: est enim هتل inter alia, *manarunt lacrimae*, unde אם לא התלים עמדי interpretari possis, *nisi lacrimae porro sunt mecum*, i. e. *nisi diutius mihi vivendum, pluresque dies flebiles destinati sunt*: posteriusque, ex eadem lacrimandi significatione, *lugubria*, -- *loquimini blanda, quamvis videatis lugubria.* Haec tamen ipsa vocabula legens, suspicor, per Chet scribenda esse, חתולים, et מחתלות *deceptiones*, a ختل *decepit*. Eadem mihi suspicio et futura adflavit He servantia. Satisne excussi codices? quamquam ex illis hic parum sperem, quod omnes nimis recentis aetatis sunt. In Jesaia quidem Symmachus pro מהתלות πλάνας, Syrus ܡܪܡܝܘܬܐ habet, inque Jobo pro התולים Syrus ܡܪܡܝܐ: sed id parum ad varietatem lectionis, cum et הֵתֵל a תול sit decipere. De his ipsis nominibus infra iterum dicemus, nec modo sub תול, sed et sub תלל, ad quam הֲתֻלִּים cum Dagesch referendum.